DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Clinic
300
B16
H43

Mle de Carpentier

S·P·Q·R·
ROMANORVM
NVMISMATA
F. Chauveau Inv. et fecit

IMPERATORUM ROMANORUM NUMISMATA

EX ÆRE MEDIÆ ET MINIMÆ FORMÆ:

Descripta & Enarrata

Per

CAROLUM PATINUM

Doctorem Medicum Parisiensem.

ARGENTINAE,

Prostant apud SIMONEM PAULLI Bibliopolam.

M. DC. LXXI.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISS.



Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/imperatorumroman00pati

Joan. Walter delineauit

J. Boulanger sculp.

IMPERATORI CAESARI LEOPOLDO

AUGUSTO OPTIMO MAXIMO
PRINCIPI,

ROMANORUM, GERMANIÆ,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ & SCLAVONIÆ

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ &c. &c. &c.

PATRI PATRIÆ

ET

TRIUMPHATORI INVICTISSIMO,

Vita, Salus, Gloria.

Non potest fieri, quin in dedicatione hujus libri animum meum iste ex reverentia Numinis Majestatisque Augustæ horror subeat, quem

Poëta diſertiſſimus Cæſari Germanico Faſtos ſuos conſecraturus expreſſit :

Pagina judicium docti ſubitura mouetur
Principis, vt Clario miſſa legenda Deo.

Trepidat, inquam, ad thronum, quo nullum ſuo propiorem Deus in terris eſſe voluit, viam affectans, & circa limen templi quod Auguſta Majeſtas inſidet, obſtupeſcit hic liber. Propitium tamen admiſſionis officium ſperare incipit, argumenti ſui fiduciâ. Sacratos enim Cæſarum Romanorum vultus, verenda Auguſtæ domus pignora, decora, honores & vota publica præferentem arceri aditu, Auguſta comitate nemini præcluſo, vt crederet, induci non potuit. Antiquitas tota Hiſtoriæ Auguſtæ auro, argento, ære conſecrata AVGVSTO *vero & vnico antiquitatis melioris ſpecimini ſe hic ſiſtit; & in vno* LEOPOLDI *nomine quidquid ſex amplius ſæculorum Auguſti, diuinum, cæleſte, immortale, auguſtum denique habuere, venerari cupit. Hic mos libri, hoc inſtitutum ſcripturæ, etſi non facundæ, pietate tamen, quæ ſola res diuinas & ſacras aſpirare nouit, ſatis confiſæ. Dum enim illa tracto ad ſingulas paginas, vltro in oculis in animo fuit ſacroſancta* LEOPOLDI AVGVSTI *majeſtas. Modo Auguſto qui primus hoc nomen meruit, comparari debere videbam: modo Trajani, Antonini, Conſtantini Magni, Theodoſii, & reliqua meritorum Auguſtorum genera in unum caput congruere videbam, quod Deus auitis gloriarum elogiis tanquam coronâ Cæſarea cinxiſſet. Nunc* SALVS AVGVSTA, SECVRITAS AVGVSTA, FELICITAS AVGVSTA, PROVIDENTIA AVGVSTA,

vt in ſolio OPTIMI PRINCIPIS *inſcripta nomina ſe legenda præbebant. Sonant imo in auribus piorum ciuium, leguntur & ſplendent in oculis, æmula omnibus ſæculis* VOTA DVODECENNALIA: *in quibus non poteſt obliterari memoria tot diſcriminum, quæ à* LEOPOLDO AVGVSTO *non aliter tanquam ab Hercule Chriſtiâno Benefico & Victore ſuperanda fuerunt, & Diuinâ manu pignus & caput Auguſtum, quod ſolandis ſæculi malis dedit, in ſinu tuente, feliciter ſuperata ſint. Quare non poteſt eſſe alia incitatior pietas quam vt*

Cum tot ab hac Anima populorum vita ſalusque
Pendeat, & tantum caput hoc ſibi fecerit orbis,

publica VOTA *ad altera* DVODECENNALIA *& vltra proclament. In quo omnium bonorum deſiderio & bona omnia complexo: finio, Deumque*

Comprecor vt repetas cœleſtia ſydera tarde
Parsque ſiem turbæ parua precantis idem.

Exaudi vocem meam CVSTOS IMPERATORIS, ÆTERNE DEVS: *Reſpice tu quoque,* AVGVSTE, *nec dedignare tenue deuotiſſimæ Numini Majeſtatique Tuæ ſubjectionis teſtimonium, quod offert humillimè*

Carolus Patin.

V. CL.

CAROLO PATINO

Doctori Medico & Professori
Parisiensi.

S. P.

AUgustos vultus, venerandaque nomina sæclis
Expressit cælo hic elogiisq; liber.
Commodat artificem calamum ingeniumque PATINVS,
Vrsini *pridem qui reparator erat.*
Felices chartas, quæ Magni Cæsaris audent
Iudicium ac oculos veste subire novâ.
Hujus si Solis radios perferre valebunt,
Pignora quis, mihi dic, hæc aquilina neget?

gratulandi causa scribebat

JO. HENR. BOECLERUS.

Ex Epistola Viri Illustris

EZECHIELIS SPANHEMII

Serenissimo Electori Palatino à Consiliis status
& p. t. in tractu inferioris Rheni Residentis,
ad Autorem scripta.

Sed de usu acidularum aliâs. Cæterùm dici non potest, quanta me voluptate perfuderit optatissimus nuntius, de proxima libri, seu verius Thesauri tui editione, cujus me ἐργοδιώκτην nosti. Ergo non in ventos abiere cohortationes illæ assiduæ, quibus præsentem te aut absentem, καίρως ἀκαίρως, ad urgendum omni animi contentione hoc opus, solebam inflammare. Scis autem valde me velle, quæ cupio; nihilque habere jucundius, quam ut delicias illas & suavitates nostras, ornatas novo & insigni aliquo laudis testimonio videam. Quale autem luculentius, aut quod plus ponderis ac auctoritatis erit habiturum, quàm

quam quod iis apud imagines & ſigna Romanorum Cæſarum, ſuo iſto opere perhibetur? Vnde non putes quidquam à te aut ad dignitatem horum ſtudiorum utilius; aut ad tui nominis transmittendam ad poſteros memoriam accommodatius fieri potuiſſe. Volitabis per ora Virûm, mi PATINE, principibus non Achivis, ſed orbis verius permixtus, qui tuâ arte, tuo certe beneficio redivivi, gloriæ tuæ viciſſim ſervient. Adde, nihil mihi privatim optatius, quam ut exſtaret hic velut prodromus & adſertor illius induſtriæ, quam mihi quoque, prout facultas tulit, ornandam ſuſcepi. Tantum abeſt, ut doleam factum, quod dum opus illud noſtrum, cujus te haud minus avidum oſtendis, nondum iteratò, prout dudum potuerat ac certè debuerat, è preli carceribus ſolvit, nonnulla forte habeat tuus liber utrique communia, quippe ex iisdem fontibus hauſta. Immo volupe imprimis, ſi in diſpari valde, ut noſti, utriusque operis ratione, viâ, conſilio, in eodem tamen verſemur curriculo; ſeu verius ad unum ſcopum tendamus, excitandi nempe hæc ſtudia, eorumque uſum & præſtantiam adſerendi. Quamquam nec erunt eadem longo intervallo disjuncta, ſi quam ſpem facit Elzevirius noſter adimpleat, de meo ſcilicet intra duos tresve menſes ad finem tandem perducendo. Quod Seguinum monuiſti, de delato, quem ad me curatum voluerat, faſciculo, rectè & ex ordine factum. Mirum eſt, quanta ſit in illo viro facilitas, urbanitas, elegantia, tum in promovendis his ſtudiis non ſimilis certè, ſed florentioris ætatis alacritas. De altero illo tuo Opere Selectorum & theſauro tuo Numiſmatum, de quo ſpem quoque excitas, valde te amo. Vrge illud quoque, ſi me amas, ſi te reſpicis, ſi gloriæ tuæ faves: De repertis novis nummis, quos nuntias, præclaris adeò & inſignibus, gaudeo in ſinu, immò Tibi impensè gratulor. Næ tu illos homines, qui in hauriendis ſeu verius inveſtigandis defoſſis Theſauris, (quales vidiſſe memini haud paucos) totos ſe nihil inveniendo exhauriunt, iſta tuâ felicitate ac induſtriâ ad reſtim adiges. Cave autem credas, hic loci, utpote in Romana Colonia, tale quidpiam haberi in pretio. Ita me amet Plutus, ſi omnes æreos Agrippæ aut Agrippinæ, conditorum ſuorum nummos, uno ſplendido aureo redemptos ullus hodie Mercurialis colonus vellet. Sed deſino, Eram enim forte, cum me ad ſcribendum accingerem, paulò occupatior; neque adeò tamen, quin pauliſper traductum ab aliis curis animum, ad ſuavitates noſtras referrem. Habes proinde Verſiculos, non quia digni, qui æterno tuo Operi inſerantur; ſed quia ita voluiſti. Quare in puncto temporis quo tuas accepi, & illos effudi, & tuis reſpondendum putavi; ut mea ſaltem ſi non in Te laudando induſtria ſaltem in Tibi obſequendo diligentia probaretur. De aliis tuis ζητήμασιν, aliâs. Vale Coloniæ Agrippinæ prid. Non. Decembr. clɔ Iɔc LXX.

AD ROMAM,

In Numiſmata
ROMANORVM CAESARVM
eleganti induſtria
CAROLI PATINI Medici Pariſienſis
in lucem adſerta.

Quòd ſacros vultus, quod qua licet ora videmus,
Queis domina quondam cultus in urbe fuit;
Et facies operum, & Latiæ miracula gentis,
Queis oculos pavit quælibet ora ſuos;
Tòtaque Cæſarei quod vis veneranda refulget
Numinis, ac priſcum ſpirat in ore decus;
Seu decus hoc Pacis, ſeu quid quondam ære vetuſto
Signaſti laudis, Martia Roma, tuæ;
Eruta cineribus quod tandem tota reſurgis,
Quodque ipſum ſenii ponere viſa metum:
PATINI laus iſta mei, qui forte jacenti
Sollerti medicas attulit arte manus.
Crede mihi, valeat tuus ille ſalutifer anguis,
Præſentem ſenſit quem tua turba Deum.
Per quam parta ſalus Dominis, & viva Deorum
Ora vides, priſcis contumulata rogis;
Tabida ſeu quidquid conſumpſerat ante vetuſtas:
An, precor, haud majus numen habere putas?

EZECHIEL SPANHEMIVS.

ILLUSTRI VIRO
CAROLO PATINO
Antiquitatis Vindici.

Fingitur, Ægiden dias revocaſſe ſub auras,
Et caput innocuum ſurripuiſſe neci,
Maximus Alcidæ, poſt fuſa minantia cœlo,
Fuſaque terrarum monſtra, fuiſſe labor.
Qui regum vultus, exeſaque nomina ſanat,
Divinasque notas, Cæſareasq; notas,
Templa, triumphales arcus, ſacra vaſa, coronas,
Eruit è tenebris, funereoque ſitu:
Nonne, Deûm vindex, rapit immortalia morti,
Et patrat in nummis, Hercule majus, opus?

Asserat unum hominem natus Iove: quantula res est.
Quanta sed, unum hominem mille juvare Deos?
Præstitit hoc, scripto vigilem spirante lucernam,
Artis inexhaustæ non imitanda manus.
Macte, PATINE, *Tibi decus ære perennius ærâ*
Æra, quibus per te reddita vita, ferent.
Donec erit pretium rebus post funera pulcris,
Donec erit studii nobilioris honor,
Vivere tu facies alios, tuaque æra librique
Vivere te facient, & superesse neci.
Nec, licet antiquo per Te propiora metallo,
Sunt satis in laudes sæcula nostra tuas.
Quem labor Herculeus viventem exercuit, astris
Hunc decet, at sero! post sua fata capi.

Ita Virum Summum publicè veneratur

JO. CHRISTIANUS KECK,
Serenissimi Principis March.
Durlaco-Badensis Consiliarius Aulicus.

GUIDO PATIN

Doctor Medicus Parisiensis,

& Professor Regius.

Longioris absentiæ tuæ desiderium vtcunque levare cogor datis acceptisque litteris. Video autem Te ad umbilicum perduxisse Opus quod parabas, Numismatum Cæsareorum à Julio Cæsare usque ad Heraclium. Animadverto etiam Te aliqua antiquitatis monumenta alia raritate aut arte notabilia inseruisse suis locis. Bene factum arbitror, quod otii & negotii tui rationem reddere studuisti. Faxit DEUS ut in tuis studiis mea senectus possit quodammodo acquiescere. Vale.

V. Cl. CAROLO PATINO

Medicæ artis & antiquitatis peritissimo
Distichum hoc amicitiæ ergo objicit

FABER,
Serenissimi FRIDERICI Würtembergiæ &c. Ducis Medicus
Imperialis ciuitatis Hailbrunnensis Physicus ordinarius.

Roma tibi canitur, dubium est magis anne trophæa
Ipse pares illi, an paret illa Tibi.

V. CL.

CAROLO PATINO Doct. Med. Pariſ.

Amico ſuo ſummo,

Gratulatur JACOB SPON Lugdunenſis
Doctor Medicus.

Eſt aliquid docto celebratum in carmine nomen,
Famaque quo Virtus creſcere poſſit, habet.
Hæc alios, quos & plauſus & gloria blandis
Abripit obſequiis ambitioque, juvent:
Sed quod Cæſareos vultus & ſacra PATINI
Auſpicio vivus exhibet ora notis;
Hoc ſe jam teſtatur Opus. Sint cætera laudis
Indiga; ſat de ſe prædicat iſte liber.

V. CL.

CAROLO PATINO D. Med. Pariſ.

OB

RESTAURATAM ROMANORUM NVMISMATVM

GLORIAM

DENVO FAMAM PRÆCIPVAM MERENTI.

Qui novus Auſoniis quondam ſubtracta ruinis
Complexus monumenta liber, per pignora priſci
Temporis, & Latij, ſed adhuc florentis, honorem,
In tantum ſurrexit Opus; majora triumphis
Nomina & æternum non interitura, PATINO
Continuat: toties cui debellata vetuſtas
In titulos jam tota ſubit: Quo dante Quirites
Accepit modo Roma ſuos, pridemque renatos
Æterno augurio mirata eſt curia faſces
Et radiis fulgere novis. Nunc grandior aſtris
Deſcendit rerum ſeries: longo ordine vultus
Cernimus Auguſtos: hic Cæſar & omnis Juli
Progenies deſcripta patet. Quanta ecce ſuperbis
Oſtentant vel bella notis, vel mitia pacem
Ora gerunt. Quos aut virtus Heroas in altum
Extulit, aut vitiis merſit veſana cupido,
Hinc pretium pœnasque ferunt: hic viva Tyrannis
Objecit in triſti ſceleris veſtigia fronte
Majeſtas, damnatque truces Clementia vultus:
Quæque coloratis alibi aſſentatio verbis
Et mendax confundit honos, hic ora tueri

Incorrupta juvat: quanto præsentior illis
Et Genius & numen inest: quo vindice supra
Elogii mortale decus, durabit in ævum
Atque instaurati splendescet gloria secli.

VLRICVS OBRECHT,
Argentinensis.

Epigramma
IN
MUSEUM
V. Cl. CAROLI PATINI
Doctoris Medici Parisiensis in rebus antiquis celeberrimi.

Spectatum admissus quorsum se verterit hospes,
Inveniet, quæcunque queant, fugientia quamvis
Lumina, vel tantum cupientia rara morari,
Hac Tibi parte patet nitidissima Bibliotheca:
Parte alia secli stant plurima signa vetusti:
Effigies illic magnorum mille virorum:
Hinc ævi cuiusque vides armaria variis
Plena numismatibus digestis ordine pulchro,
Qualia nulla tibi monstrant æraria Regum:
Multaque præterea quæ ponere pectora Musis,
Culta solent in delicijs sunt obvia passim.
Cuncta sed hæc superat mens enthea, gratia morum,
Alloquij veneres, qui possidet ista, PATINI.

Observantiæ testimonium fautori studiorum suorum scribebat Parisiis A. M. DC. LXVI.

HENRICVS AVEMAN
Brunsvicensis, nunc Reip.
Patriæ Secretarius.

V. CL.

CAROLO PATINO

Gloriæ Orbis Romani Reſtauratori.

Amicitiæ M. P. L. M.

JOHANNES RODOLPHUS WETSTENIUS, Filius.

Baſileæ Kalendis April. M. DC. LXXI.

Δημοβόρος Τοτίλας ὅτε ὤλεσεν ἄσπετον ὄλβον,
Σήντε βίην, Ῥώμη, ῥῆξατο θαρσαλέη,
Γῆτε περιπτύξασα κεχηνότι δέξατο κόλπῳ,
Ἅπτινα ἐκ κείνου πώποτε ὠρύχαται.
Δὴ τότε Ἀονίδες φωνὴν στονόεσσαν ἔρευξαν.
Φεῦ γῆς θησαυροὶ νῦν ἐκρύβησαν ὅλως.
Ῥώμη ἔην, Ῥώμην ἐν Ῥώμῃ τίς ῥα κιχήσει;
Τὸ πρὶν ὑπαὶ Ῥώμην πᾶν βαθέως ἐκρύβη.
Ταῦτα πάλαι. ἄλλως πάνυ νῦν φορμίζει Ἀπόλλων,
Νῦν ὑμνεῖ Φοῖβος. Ῥώμη ἀνῴκται ἔπαψ.
Ῥώμη ἀνισταμένη ἐπανέρχεται ὡς τὸ πάρος περ
Φαίδιμος, ἐκ χειρὸς φαιδρὲ ΠΑΤΕΙΝΕ τεῆς.
Ἆρα σὺ Αὐγούστων ἐπάγεις, αἰδήλον ὅμιλον,
Θησαυροὺς κρυφίους δείξας ἀνευραμένους.

Verſio latina.

Tempore quo Totilas *magnam pervertit opum vim,*
Et fregit vires inclyta Roma *tuas;*
Atque ſinu obſcuro tellus ſua cuncta recepit,
Splendida, quæ ſolers eruit inde manus;
Miſcuit Aonidum chorus his ſuſpiria verbis:
Heu theſauri orbis, qui patuére, latent!
Roma *fuit!* Romæ *fruſtrà eſt inquirere* Romam,
Priſtina ſub Româ *cuncta ſepulta jacent!*
Hæc olim: nervos aliter nunc pulſat Apollo,
Exclamat Phœbus: Roma *adaperta patet!*
Excita Roma *redit, priſco fulgore coruſca,*
Auxiliante manu, Clare PATINE, Tuâ:
Induperatorum ſeries Romana *reſurgit,*
Et modò theſauri, qui latuére, patent.

Ad

Ad Virum Celeberrimum

CAROLUM PATINUM

Antiquitatis Reſtauratorem,

Opus ſuum de Numiſmatibus Imperatorum Romanorum evulgantem.

Ob ſterilem thalamum, vacuamque propagine ſtirpem
Æthereum fingunt ingemuiſſe Iovem.
Vxor erat Regina Deûm, non illa marito
Principio peperit pignora chara thori.
Ne tamen exiguo Superum genus omne periret
Tempore, conſuluit Iuppiter ipſe ſibi;
Percuſſitque caput, duro hoc diſrumpitur ictu,
E cerebro Pallas protinus orta fuit:
Et galeæ fulgebat apex, clypeoque coruſco
Virgineum ſtatim muniit illa latus.
Egregium facinus! non indignumque Tonante,
Quod ſtupuere homines, quod ſtupuere Dii.
Sed licet hoc unum perfecerit, attamen ipſum
Æternos conſtat non genuiſſe Deos.
Ille quidem tutum Ledæum à morte putavit,
Per tamen Elyſios non ſecus ivit agros.
Scilicet humanæ mentis ſolertia vicit,
Nunc demum vires, ingeniumq; Deûm.
Orci qui primus ferale recluſerat antrum,
Auguſtosque rapit; CAROLVS *ecce fuit.*
Qui poterat primus reges ſubducere morti,
Multosque Heroes; *ecce* PATINVS *erat.*
Qui vocat e tenebris homines, quo Tullus & Ancus
Decidit, hunc magnum nè patet eſſe Virum.
Hic hominum ſolus proferre Deosque, Deasque
(Audi Poſteritas) è cerebro potuit.
I nunc & jacta tua numina magna vetuſtas,
Hic hominum ſolus numine major erit.

gratulabundus fecit

JOH. JOACHIMUS BOCKENHOFFER
Argentinenſis.

PRAEFATIO.

Quanquam videri poterat locus iſte non inconueniens eſſe, quo vel Notitiæ Numiſmatum in uniuerſum ſuus in elegantioribus diſciplinis ordo aſſereretur, vel ſingillatim illis quæ ſunt ex ære mediocri conflata, proprium præ reliquis alterius modi & generis, decus, & precium quo præcellunt eximium vindicaretur: Non aliud tamen nunc mihi permittit propoſiti mei ratio, quam vt æquo & fauenti Lectori legem huius Operis & ſi quæ illam propius contingunt, interpreter: quo hinc euidentior eorum publicè ratio conſtet, quæ vel ſine legentium diſpendio, vel certè citra laboris mei fraudem nequeunt ignorari. Non ſum neſcius equidem, fore plerosque, quos hæc tam ingens nummorum, qui à me publicantur, multitudo & copia ex admiratione in ſuſpicionem abripiet; qui me conjicient eadem licentia uſum eſſe, quam ſibi permiſerunt plures ex illis, quorum ante me in hoc argumento verſata induſtria eſt: quibus neque pudori, & non niſi apud peritos, id eſt, pauciſſimos opprobrio fuit, quod cum genuinis ex antiquitate monumentis deſtituerentur, fingendis nummis & ſupponendis inſcriptionibus, quarum nullum uſpiam veſtigium extitit, ſuæ & aliorum conſcientiæ ſive per imperitiam, ſive quod ita famæ ſuæ & utilitatibus conducere arbitrarentur, illuſerunt. Neque ego tantum arrogauerim illi ſive peritiæ, ſive facultati quam in dignoſcendis his rebus, & vſu & ſtudio non mediocri mihi poteram acquiſiuiſſe; vt ſub eius authoritate ſperem quenquam à me poſſe ad mitiorem ſententiam reduci. Nimis mihi, quid recuſent ferre humeri mei cognitum perſpectumque eſt, quam vt me eius litis idoneum judicem feram, quæ inter primores huius doctrinæ arbitros ambigua eſt. Defendit me ab omni tam glorioſæ ambitionis ſenſu, hinc ætas mea; à qua radios expectare tam denſis tenebris diſcutiendis ſuffecturos non poſſum: Inde reliqua vitæ meæ munia; à quibus nihil impetraui aliud unquam, niſi vt mihi liceret huic diſciplinæ inter aliud agendum intento eſſe. Ingenti id quidem cum jucunditate ſemper, & perpetuo fructu tam ingenuæ voluptatis

qua ſimul & delectari me & aduerſus ſeueriorem legem quotidianæ conſuetudinis, quam in vivendo mihi pro præcipua delegeram recreari atque ad alacritatem incendi adeo efficaciter ſubinde ſentiebam; vt hîc me tandem illas delicias reperiſſe gloriarer, quas alibi quæſieram fruſtra: Sed quæ omnia oblectamenta, quibus homines ætatis meæ & ordinis diſtrahi decipique ſæpius conſueuerunt, longo ſub ſe intervallo deſpicerent.

Ipſa itaque rerum Natura, quæ me voluit ſimul & Medicæ arti & huic tam eleganti curioſitati deditum eſſe, aliquas ſibi jure ſuo partes vindicare poterat in concilianda dictis meis fide & authoritate ea quam in animo Lectoris ambio. Succeſſit in ſupplementum eius labor & diligentia: cui cum ingenii naturalis propenſio velut obſtetricaretur; inſigne ab vtraque deliciis meis incrementum acceſſit. Quo pene inducor, ut me credam citra vllius arrogantiæ ſuſpicionem aſſeuerare poſſe: Vix metui debere, vt ſucceſſus deſtituat induſtriam, ad quam in quocunque propoſiti ſtudiique genere tanto quis animi ardore incenditur. Quam tamen opinionem quo minus ad me transferam, ſatis prohibet virium & facultatis meæ mediocritas: Cuius quanto magis mihi conſcius eram, tanto ſum ſtudioſius annixus, ut eam quibus poſſem ſubſidiis & auxiliis redderem ſolidiorem. Fauor & amicitia illorum, quorum inter manus noueram hos antiquitatis theſauros recondi, ita erat inſtituto meo neceſſaria: vt citra illum vel in minima huius ſtudij parte conari proficere, ſi non penitus ſtulti, certe, ne quid grauius dicam, non valde circumſpecti hominis indicium deputari potuiſſet. Nulli quippe alij hîc niſi oculorum ſenſui fides eſt. Multum equidem ſplendoris, dignitatis, venerationis denique accedit Antiquorum Scriptorum dictis, cum veteris alicujus ſed genuini numiſmatis imago & illorum authoritatem ſtabiliuit, & firmauit fidem, & argumentum, non legendum & luſtrandum obiter, ſed penitus atque pleno obtutu inſpiciendum objecit. Verum præſenti hæc omnia penetranda viſu ſunt, palpanda manibus, examinanda judicio. Quo amplius curæ & ſolicitudini meæ incubuit, vt non perfunctorie vterer felicitate temporum, in quæ natum me eſſe & reuerenti erga ſeculum animo agnoſco, & gratulor mihi; præ quibus nulla ætas unquam digniore æmulatione literas coluit, nulla ſinceriore veneratione antiquitatem proſecuta eſt, nulla vetuſtatis reliquias integriore affectu amplexa eſt, aut ſua æternitati pignora generoſiore ſtudio conſecrauit. Conjuncta cum his lubentia, comitas, affabilitas velut publica, effecit, vt cum ego ad exequenda, quæ ſemel deſtinaueram cœpta ſummorum quorumque & Ampliſſimorum Virorum ope vehementer, neque minus neceſſitudine indigerem; illi non ſecius ſuæ erga me & dignitatis & amicitiæ exiſterent prodigi. Et cum eam ego ambitioſiſſimè amplecterer, illi non minus cupidè offerebant: non meo

quidem ſed Reipublicæ literariæ intuitu quam ſibi perſuaſum habebant, poſſe ſub ſuo auſpicio, operâ & miniſterio meo magis magisque reddi ampliorem. Non ferunt huius loci anguſtiæ ut enumerationem inſtituam illorum omnium, quorum in me non exiguis talis fauoris pignoribus beneuolentia defluxit. Quicquid eſt in Gallia hominum ſelectioris elegantiæ curioſorum, in hoc cenſu mihi computandi forent; quorum vix queo vllius recordari, à cuius non vel doctrina facem, vel in ſubmittendis numiſmatibus humanitate facilitateque præſidium aliquod mihi ſim mutuatus. In quo tamen generaliori elogio non debet à me inuolui memoria Sacratiſſimi Regis, & quem vlla vnquam ſæcula vel tulere elapſa, vel ferent ventura, Optimi, LVDOVICI XIV. Ad quem cum ante octo circiter annos perlata de ſpecimine fama eſſet, quod augendis Romanorum Familiis totum fere ante ſeculi ſpatium à CL. Fulvio Urſino primum editis, parabam publicæ luci; Clementiſſimè paſſus eſt à ſe impetrari, vt theſauri ſui inſignem labori meo acceſſionem, vel ſi verius loquendum eſt, illuſtre præberent complementum. Et tametſi huic Regiæ munificentiæ non vna difficultas intercederet; eſt ea tamen omnis majeſtate tam beneficii ſideris facile diſſipata, poſtquam authoritas eius expreſſo juſſu interpoſita, eâ me felicitate beauit, ad quam non niſi his temporibus & ſub hoc Rege fas erat vel ſpe vel votis aſpirare. Et diffuſa quidem in vniuerſum orbem hæc gratia, quam latè literis, eruditioni & omni denique elegantiæ honor patet, ipſam etiam aliquando poſteritatem vberrimo ditiſſimorum fructuum prouentu demeritura eſt: ſed in me tamen ſicut propiore & ſingulari prorſus beneficio deſcendit, ſic mihi debet eximio ſemper peculiaris reuerentiæ cultu ante prima fortunæ meæ munera ſancta eius & venerabilis recordatio ſupereſſe.

At enim vt reuertar eo, vnde paulo ante digreſſus ſum; vltra genitale incitamentum, quo me ſum profeſſus ad hæc ſtudia eſſe perlatum; præterque neceſſitudines quæ me cum plerisque eiuſdem diſciplinæ ſtudioſius cupidis coniunxerant; ſumptibus quoque quantum in me erat manu non illiberali huc erogandis, minimè fuit parcendum. Non alibi quippe magis intempeſtiua auaritia, vel damnoſa minus prodigalitas eſt. Cuius hîc neminem temerè pœnitentia ſubire poteſt; niſi qui id quod raritas eximia, quod ſingulare pretium, quod venerabilis antiquitas, quod genuina elegantia, quod nativus, & vt ita loquar, originalis decor non ficto ſplendore commendat, ab iis quæ vulgaria ſunt, quæ protrita, quæ rudia, quæque non niſi ſuperbiunt adſcititio cultu ſecernere non nouit: quod tamen ut diſcatur niſi ab iis, qui ipſa hæc monumenta poſſident, quique ea aſſiduâ tractatione verſant, mihi equidem ratio nulla apparet. Sed neque in hac quoque parte me deſtitutum à fortuna, jure conqueri poſſum: quæ tametſi me non permiſit magnis

opibus gloriari; abunde tamen & quantum ſatis erat, ardori meo nunquam non ſuffecit, ſi quid eſſet in mercem tam caram & cuius primum ſemper apud me æſtimium ſteterat, erogandum. Quo factum eſt, vt in jus meum complura cimeliarchia tranſirent, quæ in hanc ætatem, ſors deſideriis meis mirum in modum amica & fauens, venalia expoſuit. Dixiſſes, duo iſta, quæ ante noſtrum ævum ſecula effluxerunt, ob id vnum præclara & intenta tam doctæ curioſitati ingenia aluiſſe, vel ad colligenda quicquid ex vetuſtate ruderum ſervari potuit, incitauiſſe; vt ea tandem quaſi pleno & vnito alueo in meas manus deuoluerentur. Inter quas, an ſit illis is, quem merebantur, honos redditus, dicere non auſim: Id certè ſedulo prouidi, ne qua ex otio ærugine vel ſitu obſiderentur: Huc animi, huc ingenii mei neruos omnes, huc meipſum denique flagrantiſſimo zelo conuerteram, vt ſi quid abditum in iis, ſi quid interius abſtruſum aut penitius reconditum lateret, id niſi eruerem, at certe eruere laborarem. Quo factum eſt, ut mihi quoque ea in his tenebris fax interdum alluceret, quam alii multis votis ſolicitauerant fruſtra, magno fuerunt labore pacti.

Et capiebam quidem ego exinde omnem qua vnquam honeſta mens perfundi poteſt, maximam voluptatem. Sed quam illa mihi non vili impenſa ſteterit, publicè aliquando teſtabuntur nummi non conſulares tantum, ſed quos præterea vel ex auro, vel ex ære maioris juxta & medii moduli poſſideo; quibus quod priuatim vnicè delector, non illiberalis ut judico recreatio eſt, & quod palam glorior, ambitio nulli nocitura. Non enim me adeò fortuna in deliciis ſuis habet, vt dum eius beneficia prædico, queam alicuius erga illam adulationis me ſuſpectum reddere; ſed ſuperauit ea certè omnem, ſi qua vnquam in me fuit, indulgentiam, dum inæſtimabili dono, illuſtre mihi cimeliarchium contulit, cuius hoc toto libro deſcriptionem tradere ſum agreſſus: Quo minus expectari à me debet, vt dignitatem eius, in hoc transcurſu tenui & perfunctoriâ commendatione attrectem. Vbi primas tantùm eius origines breui commemoratione perſtrinxiſſe ſuffecerit, vt exinde aliquatenus & laboris mei occaſio, & circa quod is occupatus fuit, grauitas argumenti pateſcat.

Lomeniorum nomen adeò publica jam pridem per vniuerſum orbem fama celebratum eſt, vt neminem opiner etiam in exteris gentibus facilè repertum iri, ad quem vel minima ſiue politioris literaturæ, ſiue de ciuilibus rebus aura penetrauerit; quin cognitum ei ſimul ſit, quibus hæc familia curis, negotiis, operibus obtinuerit, vt inter præcipua inſtrumenta, quibus dudum Regum noſtrorum Regnique ſalus & felicitas ſuſtentata eſt, communi omnium bonorum & honeſtatis amantium plauſu conſenſuque haberetur. Et

quanquam hæc gloria dudum jam in ſummo ciuilis honoris faſtigio conſtitiſſet, acceſſit ei tamen novum atque ingens incrementum ab HENRICO LVDOVICO LOMENIO: qui ſicut natalium prærogatiua nomen & dignitatem huius gentis ſuſtinet; ita virtute ſuâ collectam à majoribus ſuis famam vel ſupergreſſus eſt, vel certè nobili acceſſione locupletauit. Indoles eius non niſi rebus laude & veneratione dignis intenta & amore omnis elegantiæ acerrimo, inter principia ætatis ſtatim ſupra curam, quæ in educationem illius inſumebatur, euecta, rarum illi in tanto fortunæ & dignationis culmine decus conciliauit, vt cum eloquentia præſertim & genuinis atque propriis politiſſimæ dictionis gratiis nulli ex æuo noſtro concederet; ex ipſa antiquitate nomina M. alicuius Antonii, Bruti, Ciceronis repetenda ſint, quæ ad facundiam in epiſtolis eius præfulgentem dignè contendi queant & comparari. Quantulacunque inde portio publicæ luci donata eſt, ſatis hoc elogium meum à vanitatis & aſſentationis ſuſpicione abſoluit. Quin imò ſi grauiſſimæ, quibus diſtringebatur, occupationes tantum ei ad priuata ſtudia temporis indulſiſſent, inter opera eius reliqua ITINERARIVM ab ipſo publicatum loco non niſi infimo legeretur. Sed enim excelſa muneris amplitudo, cum qua ſecretiora Regis Acta & externarum neceſſitudinum cura fidei & diligentiæ eius concredita fuerat, exigebant ab eo, ut omne tempus ſuum & oblectamenta omnia in ſolidum Regis & Regni utilitatibus ſacra eſſe juberet. Hoc ego rerum & occaſionis exoptatiſſimæ momento in notitiam eius euectus ſum. Inter cuius auſpicia ſuauiſſimo me colloquio deliniuit, de pretio, pulchritudine, ſplendore, vel ſi magis huc conuenientibus nominibus vti licet, majeſtate potius theſauri, quem in re nummaria ſibi curâ, prouiſu, labore ſummo, nec minore ſumptu parauiſſet. Et quanquam tum hæc, tum deinceps prolixior quàm vt hîc recenſeri debeat, nobiliſſimi & inæſtimabilis depoſiti prædicatio, ab eo ore profluebat, vnde rebus etiam vilibus facile ingens potuiſſet honor & dignitas accedere: poſtquam tamen ipſe ſum ad inſpiciendum id & noſcendum propius, cuius antea laudem tantum audiueram, gratioſè admiſſus; præſenti experimento edoctus ſum, quantum facundiſſimi laudatoris eloquentiam, rei laudandæ amplitudo infra ſe reliquiſſet: ſiue quod eam coërcuerat modeſtia: ſiue quod elogium ſuo merito excluſerat omni elogio majus ipſum præconii argumentum. Quid enim omninò credas ei cimeliarchio vel ad nobilitatem accedere, vel ad complementum deeſſe poſſe, cui amplificando cunctæ penè vniuerſi orbis prouinciæ ſua munera contulerant. Si quis rarior ex Ægypto, ſi quis ex Græcia elegantior nummus expectari potuit, is huc tanquam in aliquod ſacrarium æternitatis & commune contra vim temporis aſylum confluxerat. Et Italia præterea ipſa

ſentiebat ſuas opes non indignabunda exhauriri, vt ſplendori huius muſei ſuffragarentur. Vt non difficulter exinde, quoties rariſſimorum nummorum aliquod quaſi concilium deſignandum eſſet, muſeum Illuſtriſſimi Briennæ Comitis in hunc vſum ſolenni prouerbio nominaretur. Atque hæc tamen, quæ modo memoraui, nihil aliud quam faſtigium tam ſuperbo monumento addiderunt; cui ſummam manum impoſuit Muſagetes Illuſtriſſimus itinere Gallico ex occaſione profectionis Regiæ ad Pyrenæos montes, inſtituto. Non autem minus inſigne fundamentum, à quo ſurrexit hoc Opus haberi debet: vtpote quod primùm Illuſtri manu PEIRESCII poſitum eſt. Cuius Viri nomen ſicut eouſque Muſarum fauore inclaruit, vt pridem jam non ſuis magis quam Mæcenatis Gallici titulis celebratum ſit; ita tota eius vita tot ciuilium laudum exemplis efloruit, quot facundiſſimus eius enarrator Petrus Gaſſendus vel ſagaciſſimo animo complecti valuit, vel aſſequi politiſſimiſtyli facultate. Huius poſtmodũ exquiſitiſſimam in hoc inſtituto ſolicitudinem excepit MEMMIVS ille, cuius honori primum datum eſt, ut ſua merita videret Magni Præſidis cognomento honeſtari. Ne indicandum quidem eſt, quo æſtimio metiri fas ſit conjuncta duorum iſtorum Virorum induſtriæ pignora; in quibus ſingulis tanta heroicæ virtutis decora, tanta in his præſertim rebus judicii & perſpicacitatis atque intelligentiæ lumina eminuere. Fuerunt nihilominus poſtea, quibus copioſiores redderentur hæ diuitiæ, cimeliarchia Domini de Raſcas Bagaris aliorumque multorum, ſuo jam ſeorſim pretio commendata & illuſtria. Quibus colligendis atque conducendis in vnum, Lomenius noſter eum authoritatis & operæ ſuæ fructum tulit, quem nemo in hoc eruditionis genere ſibi polliceri auſit, niſi quem ſimilis ardor & par felicitas eò vel accendit vel prouehit: Verùm non exiſtimauit ſe inde ſatis beatum eſſe, niſi aliquam eius partem in publica commoda deriuaret. Natum eſt igitur hinc illud plenum ſublimioris generoſitatis conſilium deſcribendi, & in publicum emittendi theſauri ſui, ſine cuius non arbitrabatur injuria fieri poſſe, vt diutius in ſcriniis ſuis deliteſceret; idque cum mihi aliquando ad ſe vocato indicaſſet, profeſſus ſimul eſt; non ſupereſſe ſibi tempus aut otium exequendo deſiderio ſuo neceſſarium, in me itaque oculos conjeciſſe, cuius ſperaret induſtria facile ſibi omnem eximi ſolicitudinem poſſe, qua nunc ab hac parte diſtringeretur, ſi modo non refragarer aliquas horarum mearum, ſuis & communibus eruditorum omnium votis indulgere. Erubui ad hoc alloquium non minus quam ad reliquas quibus eadem opera me onerabat, laudes; quæ ex ipſo quidem argumenti genio colligi queunt, à me autem enumerari non debent: Et quanquam notis ſat manifeſtis aliqua portio defenſionis meæ in vultu meo legeretur, longè tamen intenſior erat pudor, quo animum

meum imbecillitatis' propriæ conſcientia confuderat. Idcirco eo minore negotio certa potuit verbis meis fides fieri, quàm me ſincero pectore tanto operi imparem judicarem: Sed cum omnia conquiſiuiſſem, quibus tam ſplendidum onus ab humeris inæqualibus amolirer; nihil obtinui aliud quàm vt mihi regereretur: Satis abundeque in antiquitatis notitia profeciſſe, ſi quis ejus eſſet amore & veneratione imbutus: Meas denique quas allegaſſem, & à quibus mihi fueram vacationem pollicitus, excuſationes non recipi.

Quid facerem? neque ſeruitio me exire licebat
Nec tam præſentes alibi cognoſcere diuos:

Amplexus ſum obſequii tam ſpecioſi, tamque honorifici gloriam: & vt mihi ad paratiores in meo labore uſus prompti eſſent, nummos quibus deſtinabatur noſtra commentatio, ordine atque ſerie continuâ conſignaui: atque eos quidem mille octingentos, inter quos vix vnus erat, qui non mereretur inter pretioſiſſimos computari. Qui utique ſatis amplam erant materiam complexi, vt exercerer indies, in requirendis vrbibus, eruendis coloniis, ſcrutandis ænigmatibus, quæ ſculpturis eorum præferebantur. Vbi aliquid reperiſſem, quod perferri ad Illuſtriſſimum Heroem noſtrum dignum videretur, exprimi non poteſt, quanta is conſueuerit lætitia exultare: indeque mox beneuolentia eius in amicitiam erga me conuerſa eſt, quæ me deinceps ad eam neceſſitudinem & familiaritatem extulit, quam inter præcipua felicitatis meæ pignora nunquam deſinam recenſere. Vt enim præteream hic quibus me ſubinde lauticiis & muneribus ampliſſimè proſecutus eſt, longè mihi eminentiùs profuerat fauor ejus; quem facile poſſem omnibus intelligendum præbere, ſi me hujus ſcriptionis inſtitutum pateretur referre, quàm gratioſâ ſuffragatione mihi viam aperuerit ad ambiendam Regiam benevolentiam. Quam ſi obtinui, ſi inde infinita in me beneficia & majora quàm pro ſortis meæ modo commoda deriuata ſunt; ſi multis magnisque exemplis aliquoties benigniſſimum & indulgentiſſimum Principem ſum expertus: Cuncta hæc tametſi ab altiore fonte, non alio tamen mihi interceſſore ſunt conciliata. Sed enim

Inuida fatorum ſeries, ſummisque negatum
Stare diu, nimioque graues ſub pondere lapſus;

Quemque alias

-- -- Lætis Numina rebus
Creſcendi poſuere modum:

Hæc meum quoque Mæcenatem eo quem in aula tenuerat gradu deturbarunt: nouo documento futurum, quàm in ea palæſtra nulla ſit niſi quæ in complexu Principalis gratiæ vita ducitur.

Citiùs

Citius ſtirpem videas ſubtracto quo fouetur Sole florere, quam vt quodcunque animi robur (experto credi poteſt) ſubducta Principis ſui beneuolentia non marceſcat. Amplexus tamen eſt noſter, quem vnum potuit, omnis ſolatii fontem: mundum abdicat, deſerit quibus antea tantopere capiebatur ſtudia ſua, omnibus denique humanæ vitæ deliciis & illecebris nuntium mittit. Quo in ſtatu cum me paulo poſt ad ſe in cœnobium aliquod, in quod ſe a turba vulgi ſubduxerat, accerſiri curâſſet; Nullum, inquit, vlterius cujusquam curioſioris ſtudii cura locum in pectore meo ſibi vindicat, neque ex iis, quibus antea oblectatus ſum quicquam mihi reliquum feci, quam quod amore te meo & memoriâ nunquam deſinam amplecti. Numiſmata quæ habui, apud te, & ſi tanti putas, tua ſunt, laborem iis impendes, qualem ipſe volueris, ad quem te nihil attinet mea porrò commendatione incendi: quantum enim me vides, mundo & eius vniuerſæ jucunditati defunctus ſum. Non aliter me his verbis quàm aliquo fulminis ictu afflatum ſenſi, cùm cernerem eum, cuius modo vita erat in ſelectioris ſtudii diſciplina penitus repoſita, tantum ab illo mutatum repente eſſe, vt eius nullam prorſus rationem & vix memoriam penes ſe haberet. Innocentiſſimamque voluptatem quam exinde perceperat, ſub tam durâ lege vel extinguere, vel potius vlciſci. Neque quicquam mihi ſupererat, quod in euentu tam inſperato dicerem vel ſentirem omninò: quàm vt admirarer tacitus tam ſublimem pietatem, quæ ſub hoc ſpecimine ex infimo receſſu generoſi cordis adeò manifeſtis radiis exſplendeſcebat.

Poteram ego quoque in eosdem affectus trahi, & cum eo in ſocietatem eiuſdem propoſiti abripi, cum quo me jam in communes animi motus excitatum lacrymæ inter nos mutuis gemitibus profuſæ teſtabantur: ſi vel æquè ac illi, mihi quoque tùm in propinquo diuina gratia ſtetiſſet, vel conſtantiæ minus habuiſſem, qua tam præclari exempli efficaciæ reſiſterem. Tantum certè abfuit, ut perdiſcendæ antiquitatis ſtudium atque cupiditatem deponerem; vt me potius ambitio inuaſerit, & deſiderium parandi mihi, quod ſciebam cunctos totius vetuſtatis theſauros vero æſtimio ſuperare. Et, Illuſtriſſimus noſter, cumprimum id aduertiſſet promptiſſima votis meis benignitate annuit. Nec ego gaudia mea reprimere potui, quin ſubitò exclamarem: Hic eſt amor meus & ardor, hæ deliciæ:

Quas propter tutum Piſæa lege trementem
Currere & Oenomai fremitus audire ſequentis.

Pro quibus nihil à me expeti poteſt, quin id ſim lubentiſſimè profuſurus. Sit, reſpondit ille, ſit maneatque tua hæc Venus ſine conditione vlla, ſine lege: Nimis eius ſincerus amator extitiſti, quam vt ab ea repulſam ferres. Quid multa? transactum eſt inter nos de

pretio: ſed quid pretium dico? imò de eo, quod mihi pro merce inæſtimabili eſſet perſoluendum: & ego ea ſum auctus lætitia, quam ex quotidiana contemplatione rerum, quæ ſub ſenſus cadere poſſunt, venuſtiſſimarum ingenua mens recipere poteſt. Neque tamen ſine ritualibus amaui. Teſtes aduocare poſſum mille nobilium peregrinatorum; nulli unquam, quousque apud me fuit, hoc ſacrarium præcluſum fuiſſe; ſed cum proprietatem quidem jure meo mihi vindicarem, vſum ejus patuiſſe omnibus. Inde illud tempus proceſſit, quod deſcribendis enarrandisque tot numiſmatibus impendi. Nulla præteribat dies, quâ non aliquot lineas ducerem: neque aliam magis me perdidiſſe arbitrabar, quam qua nullum inquirenti, lumen in his rebus affulſiſſet. Donec tandem, cum ſeptem jam circiter annis huic tam innocenti ſtudio vacaſſem, mihi quoque novum è cœlo fulmen propoſitum omne, & calamum, quo diis meis veluti penatibus operabar, excuſſit, Inuidum quoddam & non ſatis amicum fortunæ meæ caput, inſtar Ve-Iouis alicuius, omnium, quæ mihi propitia erant, Numinum fauorem conculcauit, & me propriis damnis edocuit, quanto plus ab inimico vno periculi, quàm à centum amicis præſidij immineret. Sed hæc DEO & REGI Clementiſſimo curæ erunt. Vt ad cimeliarchium noſtrum reuertar, Regi denique indicatum eſt, me huius tam eximii theſauri poſſeſſorem eſſe: Illuſtriſſimus itaque Colbertus, vt in cæteris quoque omnibus ad ſalutem & deſideria Principis omni opere, induſtriâ, conatu intentus, quò à me flagitaretur, curauit: Interceſſoribus vſus Illuſtribus Domino de Brienne, Domino Segvino & Domino de Carcavy. Ex quibus is quem poſtremo loco memoraui, poſtquam in me nulla offerendi omnia tradendique mora eſſet, curæ ſuæ habuit vt ea reciperet, & eodem mihi pretio rependeret, quo primum à me cognouerat eſſe comparata. Atque hoc quidem modo proprietate tantarum opum orbatus, infinitum tamen ampliore gloriâ auctus ſum, quod in tam Illuſtres tamque pretioſas manus illam depoſui. Quid enim gratius, quid glorioſius eſſe vſpiam poteſt, quam Regi ſuo & tam generoſi ſpiritus Principi inſeruiiſſe, amplificando theſauros eius adeò locuplete incremento, vt illi æquale non potuerit niſi à pauciſſimis expectari.

Poſt hæc nihil mihi reliquum erat, quàm vt laborem meum in publicam lucem emitterem, qui tanta mihi, quanquam cum maximo meo oblectamento, temporis impenſa ſteterat. Sed hîc non vna difficultas animi mei intentionem in diuerſa trahebat. Operis ſtatim frons exigebat à me titulum, ipsâ inſcriptione obſeruantiam meam & recordantem beneficiorum mentem teſtaturum: quæ vix mihi videbatur aliter quam ſub elogio Thesavri Lomenianorvm Nvmismatvm, idoneè poſſe declarari. Verùm quod hinc jubebat debiti officii ratio, ab eo inde abſolutâ parendi neceſſitate arcebar.

Quodque

Quodque Illuſtriſſimus Comes noſter non poſſe citra injuriam modeſtiæ ſuæ fieri perſuaſum habebat, id ego facere me prohiberi ipsâ ſemel addicti obſequii lege cenſebam. Quæſiui tamen temperamentum, quo componeretur hæc lucta: Cumque in prima pagina obedientiæ ſatisfeciſſem, debebam, & ut opinor, non incongruè poteram & reuerentiam & pietatem meam in hoc præloquio placaviſſe.

In ipſo progreſſu operis emerſit nouæ ſolicitudinis materia ex eo quod per itinera mea recentiora, vltra ducentos optimæ notæ nummos mihi comparaueram: quibus neque fraudari eruditos volebam, & verebar tamen, ne ſi, vt ſuadebatur, in appendicem aliquam eos coëgiſſem, ſimul ordinem laboris mei perturbarent, & hinc eum redderent in publicum ingratiorem. Malui itaque prouidere, vt denuò reficerentur tabulæ, quotquot decentiori diſpoſitioni videbantur impedimento eſſe. Cui cauſæ imputandum eſt potiſſimum, quod hic non ejuſdem ſcalpturæ genius apparet. Peritiſſimus cælandi artifex Dn. Chauueau conſuetam ſibi, & ſuo merito placituram induſtriam in plerisque, decurſu ſeptem annorum, quorum ſuperius indicium feci, mihi commodauerat. Quam non illaudabili itidem dexteritate excepit Ammanus, Heluetius. Reliqua à rudiori manu ſunt; à cuius culpa, eadem, quæ me illi adſtrinxerat, neceſſitas abſoluet. Vix poteſt expectari, vt feliciter cælatura ſuccedat, niſi quæ ad ipſos Numiſmatum ectypos exigitur, vnde cum inſcriptiones præſertim, meam præſentiam omnibus modis exigerent, amplectendum fuit quodcunque ſubſidium, quo meum propoſitum qualitercunque vel promoueri potuit, vel maturari.

In ipſo denique complemento libri, cui deſtinaueram dignam clauſulam indice majuſculis characteribus expreſſo, adjicere, deſtituit me ex inopinato literarum & typorum inopia: meque coëgit alij loco reſarciendum emendandumque, in quo hîc peccatum eſt, ſumptu prouiſuque majore reſeruare. Si me aliquando ſimili inſtituto ſorte magis propitiâ contingat applicari.

Quanquam autem de cætero hîc nulli conſtituiſſem impenſæ parcere, proſpexi tamen quantum fieri potuit, ne eius cuiquam in minus neceſſariis prodigus vltra modum viderer. Vnde cùm ſæpius vltra quinquaginta aut ſexaginta eſſent ab vno Imperatore nummi producendi, arbitratus ſum ſufficere, ſi faciem ejus ſemel exhiberem, contentus ſi qua illam extra ordinem noſci digna inſcriptio nobilitaret, eius ſeorſim breuem, quantum ſat erat, feciſſe mentionem. Nam vt prolixiori à me enarratione obrueretur, neque opus vtique neque conſilium erat. Pridem enim hanc operam alii mihi lucrifecerant, & ego nunquam is fui, quem vel ex muſtaceo laurea juvaret, vel qui agendo actum, poſſem delectari.

PRÆFATIO.

Non decebat me tamen eousque vel pecuniæ, vel ſudoris parcum eſſe, quo minus infinitæ multitudini coloniarum, vrbium, provinciarum, fluviorum, montium, quibus hæc numiſmatum ſeries vndiquaque præfulget, ſuus ſeparatim honor haberetur. Coercui nihilominus illum duabus Geographicis tabulis partim auſpicio, partim ductu etiam & operâ meâ inciſis, & peculiari conſignatione, quam index tabulis adjectus complectitur. Vterque iſte utilior fortaſſe, quàm ſpecioſior labor eſt: ſed fuit tamen hîc quoque aliquo judicio, neque minore diligentiâ opus: non in diſponendis tantum locis quæ certæ, ſed in repudiandis etiam & diſſimulandis, quæ erant dubiæ poſitionis. In quibus præoptaui ſilentium meum argui, quàm in decidendo errorem fortaſſe reprehendi. Ne autem diffuſiorem in his me præberem, ſatis itidem certâ ratione inhibebar. Cùm hîc quoque ſi quid vlterius præſtari potuiſſet, id jamdudum amplè ſatis ab aliis ſit occupatum. Sicut fidem inprimis præter experientiam propriam facit, quem non ita pridem perinduſtrius & mihi amicus Dn. Simon Paulli Bibliopola Argentinenſis Orbem Terraqueum publicauit, quo prolixâ & laboriosâ recenſione omnes quæ nominari merebantur terrarum deſcriptiones enumerauit. Vnde, ſi quid alicui huc videatur deſiderari, id ex tantâ copia ſeligi eſt in promptu.

Ducebat me nunc ordo huius ſcriptionis ad commemorationem Virorum dignatione vel meritis illuſtrium, penes quos hodie vel præcipuorum cimeliarchiorum, vel potiſſimæ partis ex illis monumentis, quæ hîc deſcribuntur, gloriâ conſiſtit: & huc quoque toto animo propoſitoque ferebar. Sed hanc viam ingreſſuro manum injicit conatus Illuſtr. Ez. Spanhemii, Viri qui dudum gentile nominis decus & hæreditariam eruditionis famam rariſſimâ ingenii felicitate & ingenti doctrinæ atque ſcientiæ reconditioris laude tuetur vel vincit. Is quia, ſicut pro comperto habeo huic argumento jamjam aliquam in æterno quod meditatur opere ſedem deſtinauit; nolo cum eo de palma contendere in eo certamine, in quo me Illi lubens meritoque inferiorem agnoſco. Silentio tamen præterire non poſſum Sereniſſimos Fratres Eberhardvm & Fridericvm Duces Würtembergicos &c. &c. Horum muſeis curandis præſunt, illi quidem Clar. Schmidlenvs Stutgardiæ, huic Neoſtadii Cl. Stoffelivs, quos ambos amicitiæ, honoris, amplitudinis causâ nominatos cupio. Et poteſt ſanè ex vtroque hoc theſauro nihil aliud expectari, quàm de quo ſibi omnes, quos numiſmatum & antiquitatis reuerentia atque amor tenet, jure ſummo queant gratulari. Præſto me huius promiſſi publicum ſponſorem cunctis, qui ſuum in hoc ſtudio cenſuque nomen profitentur: quos inuicem ſpero grata reverentia culturos eam benignitatem atque lubentiam, quâ me Celſiſſimi Principes permiſerunt ſuas opes in publicam diſcentium vtilitatem conuertere.

Fuerunt præterea alii, qui ſuæ quisque diligentiæ, obſeruationis acuminis ſpecimina comiter admodum & beneuolè mihi voluerunt ad proferendos operis mei terminos patere. Sed ego de iis potius coercendis eram ſolicitus: Eoque etiam conſilio ex nummorum typis nullos admiſi, niſi quorum ipſe prototypos oculis vſurpaſſem. Ne in illum errorem vel inciderem ipſe, vel alios inducerem, quo HVBERTVS GOLZIVS tantâ cæterum ex his artibus famâ celebris, tertiam partem Faſtorum ſuorum Conſularium iis numiſmatum exemplis impleuit, quorum genuinas origines nemo vnquam hominum vidit, nemo fortaſſe videbit vnquam.

Sed nec cæterorum nomina tacitus tranſilire debeo, quorum labore præuio, ſum aliquid temporis & cogitationum lucratus: Occonis præſertim Medici, cuius me in concinnandis nummorum inſcriptionibus plurimum diligentia juvit. Et inprimis Illuſtris TRISTANI, cuius Commentarii hiſtorici non tantum elegantiſſimis & valdè accuratis cælaturis artificum meorum manus rexerunt, ſed ante omnia mihi omnigena variæ eruditionis copia exoptatum lumen affulſerunt. Vt vel hinc aſſeuerare proprio experimento auſim, nihil poſt hoc nomen Galliæ noſtræ deeſſe, in quo ſe ab Italia in hac ſolida literarum celebritate metuat prouocari.

Quæ hoc loco refero, non quod exiſtimem horum Virorum tam exigua merita eſſe, vt poſſint præconia illorum vel harum paginarum, vel ingenii mei anguſtiis conſtringi. Sed quo magis impoſterum ſi qui fortean ex noſtro quoque labore utut non admodum ſpecioſo, non tamen ſupervacuo penitus aut inutili, proficient, ij hoc exemplo incitentur, non quò laudent extollantque mea, id enim neque mereor, neque affecto, ſed vt ijs facilius ignoſcant. Nam ego quidem ſic animum induxi meum, vt me reputaturus ſim ſatis vberem horarum mearum & laboris fructum eſſe conſecutum, ſi me boni & cordati homines vtriuſque vſum non malè penitus collocaſſe arbitrabuntur. Cæterorum qui his diſſimiles ſunt, an judicium admodum & fauorem exoptare debeam, neſcio: malignitatem certè, inuidiam, iniquitatem non pertimeſco. Præterquam enim quod non tam ſterilis bonorum exemplorum hæc ætas eſt, vt mihi ad ſolatium ſola debeat facti conſcientia ſufficere: attamen etiamſi, quod non ominor, ævum hoc parum gratum eſſet, quid noui: ſuum cuique pretium poſteritas rependet.

INDEX

PROVINCIARVM, VRBIVM, OPPIDORVM, FLVVIORVM & MONTIVM,

Quorum nomina leguntur in Numiſmatibus ſcalptis in hoc Opere.

A.

ΑΒΑΣΗΝΩΝ Pag. 286.
ABDERA 74
ΑΒΥΔΗΝΩΝ 256
ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ 224
ACHAIA 194
ÆGYPTOS 191
AELIA CAPITOLINA 159, 228, 235, 322, 396
AFRICA 124, 191, 194
ΑΔΡΑΝΝΩΝ 258
ΑΔΡΙΑΝΗ 266, 267
ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ 203, 206, 227, 252, 266, 282, 302, 318
ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ 319, 373
ΑΙΓΑΕΩΝ 5, 344
ΑΚΡΑΣΙΩΤΩΝ 282
ΑΚΜΟΝΕΩΝ 109
ALAMANNIA 467, 470
ALEXANDRIA 191, 339, 427, 464, 466
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ 373, 421
AMACTPIANΩN 9, 189, 227, 236 250, 340
AMAΣEA 102
AMICOC 227
AMOPIANΩN 4
ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ 408
ΑΝΑΣΑΡΒΕΩΝ 256, 337
ΑΝΘΗΔΟΝ 306
ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ 4, 253, 304
ANTIOXEΩN 8, 48, 76, 200, 246, 302, 304, 331, 384, 386, 388, 391, 394, 398
ANTIOCHIA 142, 150, 163, 218, 234, 281, 301, 384
ΑΠΑΜΕΙΑ 392
ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ 319, 333
ARABIA 175
ARELATE 465
ΑΡΑΔΙΩΝ 166, 187, 246
ARMENIA 257
ARMENIA 255, 257
ΑΡΟΧΕΩΝ 101
ASIA 353, 373
ΑΣΚΑΛΩΝΙΤΩΝ 45, 151, 227
ΑΣΠΕΝΔΙΩΝ 398
ATTAITΩN 7
AVGVSTA TIBERII 74
AYTOYGTH TPAIANH 282, 333

B.

BEIΘΥΝΙΑC 164, 185, 205
ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ 184
BERYTVS 18, 39, 179, 195, 234, 241, 299, 369, 370, 385, 406
BEPOIAIΩN 184
BILBILIS 35, 69, 93
BOCTPA 264, 343
BRITANNIA 191, 217, 279, 295
BYZANTIΩN 186, 188, 267, 302, 327, 342, 352, 398

C.

CABE 25
CÆSAREA AVGVSTA 33, 67, 92, 322

GEOGRAPHICVS.

CÆSAREA FLAVIA 195, 220, 249, 255, 261
CALAGVRRIS 34, 71
CAPITOLINA 195, 235
CAPPADOCIA 191
CASCANTVM 68
CASSANDRENSIS 115
CELSA 34, 71
CIBARIS 100, 115
CLAVDIOPOLIS 100
CLVNIA 71
COMMODIANA Colonia 261
CONSTANTINOPOLIS 462, 466, 480, 493, 497, 498, 499
CORINTHVS 18, 41, 94, 116, 127, 195, 206, 236, 256, 282, 289, 298, 312, 317

Γ.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ 243, 323
ΓΑΔΑΡΕΩΝ 229, 306, 334
ΓΑΖΑ 202, 246, 313
ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC 274
ΓΕΡΜΗΝΩΝ 267
ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ 85, 204

Δ. D.

DACIA 175, 191, 382, 385, 387, 390, 597, 404, 411
DAMASCVS 382, 385, 397, 399, 404
ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ 47, 308, 334
ΔΕΛΦΩΝ 200
ΔΕΣΣΗΝΩΝ 353
DEVLTVM 301, 343, 349, 358
DEVSONIVM 420
ΔΙΟΝΥCΟΠΟΛΕΙΤΩΝ 370, 372

E.

ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ 77, 373,
ΕΓΗΣΤΑΙΩΝ 47
ΕΛΑΙΤΩΝ 290, 313
EMERITA 37, 71
ΕΜΙΣΗΝΩΝ 228, 290
ΕΠΕΙΤΩΝ 118
ERGAVICA 34.
ΕΡΜΙΩΝΕΩΝ 290
ΕΥΚΑΡΠΕΩΝ 290
ΕΦΕΣΙΩΝ 19, 57, 169, 186, 226, 241, 264, 267, 289, 290, 302, 319, 323, 344, 351, 354, 356, 373, 378, 383, 388, 392, 407, 412, 415, 416

F.

FLAVIA CÆSAREA 195, 220, 249, 255, 261

G.

GALLIA 420
GERMANIA 157, 234, 260, 356
GOTHIA 435.
GRACCVRIS 68

H.

HELVIA Colonia. 281, 298, 317, 382, 411
HISPANIA 191, 194

Z.

ZAKYNΘIΩN 243
ZEYΓΜΑΤΕΩΝ 223, 224, 256, 383.

H.

ΗΛΕΙΤΩΝ 200
ΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ 262
ΗΡΑΚΛΕΙΤΩΝ 319, 333

Θ.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ 59, 120, 143, 243, 282, 290, 291, 374, 383, 416,
ΘΕΣΣΑΛΩΝ 202, 306
ΘΗΡΕΩΝ 243
ΘΗΑΤΕΙΡΗΝΩΝ 5, 155, 334

INDEX.

I.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ 5,182,186,228, 256,302,332,386.
ILERDA 35
ΙΛΙΕΩΝ 95,290
ILLICE 72
ILLYRICUM 390
ΙΟΥΔΑΙΑΣ 151
ΙΟΥΛΙΕΩΝ 86,185,229,230,408
ISCA 420
ΙΣΤΡΟΣ 324,333.
ITALIA 174
ITALICA 35,67,84
IVDEA 141,147
IVLIA 42,163
ΙΩΝΙΑ 304

K.

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ 50,130,263,274, 302,331,413.
ΚΑΛΟΗΝΩΝ 169
ΚΑΛΛΑΤΙΑΝΩΝ 372
ΚΑΛΥΚΑΔΝΟΥ 304,375
ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ 186, 244, 290, 302,319,379.
ΚΑΡΡΗΝΩΝ 306,373
KARTHAGO 15,279,296,453,454,455
ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ 184
ΚΑΣΙΩΣ 180,228
ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ 201
ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ 418
ΚΛΑΡΙΩΝ 164
ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΙΤΩΝ 164
ΚΝΙΔΙΩΝ 336
ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ 375,400
ΚΟΜΑΓΕΝΗΣ 201,227,244
ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ 304,319,327
ΚΟΤΙΑΕΩΝ 109
ΚΡΗΤΙΕΩΝ 290
ΚΡΗΤΩΝ 164,181,204
ΚΥΔΟΝΙΑ 50
ΚΥΔΟΥΤΑ 164
ΚΥΜΑΙΩΝ 5
ΚΥΠΡΙΩΝ 80,101,143,180
ΚΥΡΗΝΗ 151
ΚΗΡΡΗΣΤΩΝ 184,226,256,383
ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ 238,252,262,302,373,388, 416
ΚΩΙΩΝ 43,95,383

Λ. L.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ 203,244.
ΛΑΜΨΑΚΗΝΩΝ 262
LAODICEA 117.298,318,331,382
ΛΑΟΔΙΚΕΙΑΣ 86,117,185,229,230,340, 351.
LAVS IVLIA CORINTHVS 18
ΛΙΒΑΝΟC 228

M.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ 5,169,253,267,344, 373,386,388,413
ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ 11,12,13,14,120,164, 239,306
ΜΑΡΕΔΕCCA 304
ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ 282,302,333, 351,370
ΜΑCΤΑΥΡΕΙΤΩΝ 306
MAVRETANIA 191
ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΙΤΩΝ 267,373
ΜΕΛΗC 9,207
ΜΗΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ 384
ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΙΩΝΙΑ 304,413,416
ΜΙΔΑΕΩΝ 304
ΜΙΛΗCΙΩΝ 87,94,186,243,290,364
ΜΥΩΝΩΝ 101.
MORA 230

N.

ΝΑΚΡΑΣΙΤΩΝ 185
ΝΕΑΠΟΛΙΤΩΝ 151
NEMAVSVS 38
ΝΙΚΑΙΕΩΝ 102,143,224,228,257,265,289, 306,309,319,323,334,140,151,356,375,398, 400,412
ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ 143,164,185,209,226, 241,247,257,262,263,206,351,358,375,379, 386,392,412,416
ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ 310,324,333,372

NILVS 191
NISAEΩN 238,306

Ξ.

ΞANΘOC 5

O.

OΔHCCEITΩN 304,307,372
OSCA 37,73
OSICERDA 71
OSTIA 113
OYΛΠIAC 250,263,282,309,311

Π. P.

ΠAΘMΩΣ 285
ΠAΛECTNIHC 253
PANNONIA 211
PARTHIA 279,322
ΠATAPEΩN 375
PATRAS 38,98,99, 127, 163, 234, 261, 298
PELLA 195,370
ΠAYTAΛIA 250,263,282, 290, 309, 319
ΠEPΓAMHNΩN 53,188, 201, 224, 262
ΠEPΓAI 286,383, 418
ΠEPINΘIΩN 164,185, 188, 207, 253, 290,302,313,340,379
ΠETPA 200
PHILIPPI 29,99,163
ΠIEPIAC 180,228
ΠAOYCIAC 45
ΠAΩTEINOΠOΛEITΩN 253
ΠONTOY 185,282,302,318,319,373
ΠPOYCAEΩN 257,290,304, 413
ΠPYMNHC 308
PTOLEMAIS 299,317
ΠYΛIΩN 309

P. R.

RAVENNA 390
REGENSPVRG 74
PHNIΩN 358
RHENVS 234
PHCAINHCIΩN 391, 402
POAIΩN 222
ROMA, 2, 16, 31, 191, 301, 360, 432, 454, 460, 485, 486, 487, 488, 489, 493, 495, 496.
POMAIΩN 118,265
POMHC 3, 4, 21, 58, 123
ROMVLEA 75

Σ. S.

SAGVNTVS 70
ΣAΛEITΩN 206,394
ΣAMAPEIA 151
ΣAMIΩN 58,151,377,413
ΣAMOΣATEΩN 201,227, 244, 286, 310
ΣAPΔIANΩN 53, 102, 208, 334, 358, 373
SARMATIA 466
ΣEBACTHNΩN 265
SEGOBRIGA 71,93
ΣELEYKEΩYN 180,228,282,304,351, 375
SEPFVRVS 322
ΣEΠΦOPHNΩN 183
ΣERΔIKHC 311
SICILIA 217
ΣIΔHTΩN 356
SIDON 298,340,349
ΣIΔONOC 182,201
ΣIKYΩNIΩN 319
SINOPES 299,317
ΣIΠYΛOY 5,169,267,344.
SISCIA 437,467,470, 473, 476, 484, 487
ΣMYPNAIΩN, 5,55,56,107,119,167, 169,207, 209,267,290,302, 343, 351, 412, 416
STABIÆ 317
STOBENSIVM 142,281, 289, 298, 318, 331

INDEX GEOGRAPHICVS.

ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ 319
ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ 3,166,172
ΣΥΡΙΑC 180,182,200,228,241,253,256, 263, 285, 302, 304

T.

TAPCOY 266, 267, 310
TARRACO 36, 61, 73
ΤΕΜΝΕΙΤΩΝ 5, 353
ΤΕΡΕΒΙΝΤΙΝΩΝ 353
ΤΗΜΕΙΤΩΝ 5, 353, 376, 386
ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥCΙΝ, 3
ΤΗΝΙΩΝ 353
ΤΙΑΝΩΝ 226, 227, 241, 247
TIBERIEΩN 185, 205
TIBERIS 214
ΤΟΜΕΩΝ 282, 302, 308, 318, 373
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ 164
ΤΡΑΠΕΖΥΝΤΙΝΩΝ 265
TREVERIS 459, 460, 464, 465, 466, 484
ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ 44, 187, 204, 244, 334
TROAS 221, 235, 262, 281, 289, 298, 349, 358, 370, 407, 411
TVRIASO 36, 66
TYPANΩN 286, 290
TYRUS 299, 326, 331, 338, 388, 349, 370, 397, 406

V.

VALENTIA 18, 234
VIMINACIVM 369, 382, 394, 396, 397, 399, 401, 404, 406

Y.

ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ 290, 360, 375
ΥΡΚΑΝΩΝ 383, 388
ΥΤΥΡΑΝΩΝ 286

Φ.

ΦΑΝΕΑC 241, 253, 323, 327, 400
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ 7, 200, 253, 340
ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ 7, 253, 266, 282, 302, 308
ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ 246, 290
ΦΟΙΝΕΙΚΑΙΩΝ 187
ΦΩΚΑΙΕΩΝ 5, 207, 263, 290, 383

X.

XAΛΚΙΔΕΩΝ 184, 202

SUMMA PRIVILEGII.

CAutum eſt autoritate Regia, ne quis in Galliarum Regno librum, cui titulus eſt IMPERATORUM ROMANORUM NUMISMATA EX ÆRE MEDIÆ ET MINIMÆ FORMÆ, DESCRIPTA ET ENARRATA PER CAROLUM PATIN, DOCTOREM MEDICUM PARISIENSEM, absque prædicti Caroli Patin permiſſu intra viginti annos excudat, vendatve. Si quis ſecus fecerit, mulctâ ter mille libellarum, confiſcatione exemplarium, omniumque hac de cauſa impenſarum, prout amplius in ipſo Diplomate continetur, coercebitur. Lutetiæ Pariſiorum VII. Februarij A.S. M.DC.LXII.

LVDOVICVS.

Subſignatum

& ad mandatum Regis proprium

PHELIPEAVX.

Conceſſit iſtud Privilegium dictus CAROLVS PATIN Doct. Med. Pariſienſ. SIMONI PAULLI Bibliopolæ.

Impreſſus eſt Liber Anno M. DC. L. XXI.

TABVLA GEOGRAPHICA
VRBIVM OCCIDENTALIVM
QVÆ IN NVMMIS ANTIQVIS
CONTINENTVR
PER
C·P·D·M·P·
BRITANNIA
GAL
LIA
GERMANIA
ALAMANNIA
SARMATIA
PANNONIÆ
ILLYRICVM
DACIA
MYSIA
MACEDONIA
ITALIA
MARE ADRIATICVM
HISPANIA
OCEANVS
MARE TYRRHENVM
MARE MEDITERRANEVM
MAVRITANIA
AFRICA
Corsica
Sardinia
Baleares
Pithiysæ
Fretum Gaditanum
Mons Atlas
Sicilia
Corcyra
Zacyntus
Pelopone sus
Melita
Carthago
Tuca Terebintina
Zama Iulæ regia
Iulia Cæsarea
Mons Ætna
Adranum
Plutia
Emerita
Italica
Hispalis
Gades
Illice
Abdera
Valentia
Roma
Ostia
Ravenna
Nemausus
Massilia
Lugdunum
Montes
Pyrenæi
Osca
Ilerda
Tarraco
Clunia Sulpicia
Bilbilis
Turiaso
Calagurris
Cæsar Augusta
Iulia celsa
Cæsaraugusta
Caesaraugusta
Segobriga
Saguntus
Valentia
Ergauica
Tiberii seu Ratisbona
Augusta
Ulpia Traiana
Budalia
Danubius seu Ister
Nicopolis
Pons Traiani
Stobi
Thessalonica
Pella
Apollonia
Philippi
Nicopolis
Actium Naupactus
Delphi
Corinthus
Sicyon
Patras
Treueris

TABVLA GEOGRAPHICA
VRBIVM ORIENTALIVM
QVÆ IN NVMMIS ANTIQVIS
CONTINENTVR
PER
C·P·D·M·P·
PONTVS EVXINVS
SCYTHIA
DACIA
MACEDONIA
GRÆCIA
MARE ÆGÆVM
BITHYNIA
ASIA MINOR
LYDIA
IONIA
ARMENIA
PARTHIA
COMAGENE
PERSIA
MESOPOTAMIA
SYRIA
PALESTINA
ARABIA
SINVS PERSICVS
MARE RVBRVM
ÆGYPTVS
AFRICA
MARE MEDITERRANEVM
Peloponesus
Creta
Cyprus
Rhodus
Samos
Pathmos
Thera
Patara
Miletus
Mitylene
Pergamus
Sardis
Smyrna
Ephesus
Laodicea
Apamea
Antiochia
Seleucia
Tarsus
Nicopolis
Edessa
Zeugma
Hierapolis
Carrha
Nisibis
Germanicia seu Cæsarea
Palmyra
Damascus
Tyrus
Sidon
Berytus
Tripolis
Heliopolis
Hierosolima
Capitolina
Bostra
Petra
Anthedon
Iupiter casius
Gaza
Ascalon
Eleutheropolis
Apamia
Rhesaina
Babilon
Eufrates fluvius
Tigris fluvius
Mons Taurus
Taurus mons
Trapezus
Heraclea
Amasia
Sebaste
Nicomedia
Nicæa
Chalcedon
Prusa
Apollonia
Ancyra
Cæsarea
Pompeiopolis
Amastris
Synnada
Metropolis
Philadelphia
Laodicea
Hierapolis
Aspendus
Olbia
Perga
Cibyra
Alexandria
Paphos
Aradus
Coos
Cnidus
Gortyna
Cydon
Corcyra
Zacynthus
Patras
Corinthus
Sicyon
Nicopolis
Actium
Delphi
Athenæ
Philippi
Apollonia
Pella
Thessalonica
Amphipolis
Abdera
Stobi
Viminacium
Vlpia Sardica
Vlpia Traiana
Danubius seu Ister
Pons Traiani
Nicopolis
Dionysopolis
Tomos
Collatis
Odyssus
Anchialus
Deultum
Plotinopolis
Constantinopolis
Hadrianopolis
Trajanopolis
Perintus
Philippopolis
Ptolemais
Cyrene
Piramides
Memphis
Alexandria
Heliopolis
Cabo
Nilus flu.

In effigiem V. C. CAROLI PATIN Doct. Med. Par.
Numismatum Impp. Interpretis egregij.

Cæsareos qui non patitur vanescere vultus
Effigie notus debuit esse sua
Hic est qui geminas Phœbi complectitur artes
Arte iuuat Musas, et leuat arte febres.

FRANC. OGERIVS.

NVMISMATA IMPERATORVM ROMANORVM,

EX ÆRE MEDIÆ ET MINIMÆ FORMÆ:

Descripta & enarrata per

CAROLVM PATIN

DOCTOREM MEDICVM PARISIENSEM.

Violati instituti ordinis atque fraudati tituli nemo me opinor accusabit, si Romanis Imperatoribus, Vrbis illius quæ hos genuit & aluit, sacrique eius Senatus & Populi monumenta præmittam; atque huic subiungam æmulam vrbem Karthaginem. Iulio autem Cæsari Imperatorum Principi adiungam Alexandrum: ad cuius imaginem ingemuit, cuiusque ex victoriis virtuteque bellica exemplum sibi fabricatus est. Alexandro autem Homerum, quem quod laudatorem non habuerit, vehementer doluit, vt ait Cicero, & secum vbique circumtulit. Pro Archia.

INVICTA ROMA. *Caput Romæ galeatum. In auerſa parte,* XL. *Lupa lactans Romulum & Remum.*

Siue reuera lupa expoſitis fratribus vbera commodauit, ſeu quæſtum corpore faciens vxor Fauſtuli paſtoris, atque ideo lupa dicta, hoc nomine ſignificetur, notior eſt res, quam vt vberiorem interpretationem deſideret. INVICTÆ ROMÆ atque Conſtantinopoli monumenta honorifica conſecrauit Conſtantinus qui hos nummos cudit: ſunt etiam, qui faciem armatam in nummo ſignatam & Imperatoris Conſtantini & Vrbis æternæ Genii eſſe aſſerant.

INVICTA ROMA. XX. *Duæ aquilæ arbore intermedia.*

Nihil coniunctius: Aquilis enim hoc eſt armis quorum apud Romanos ſigna fuere,

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit vtrumque,
Nec ſatiatus erat. —

cum omnia viciſſet Roma, à nemine vinci potuit, ipſa ſeipſam confecit. Binas autem aquilas nummus habet, indicans orbem vtrumque, hoc eſt ad Orientem & Occidentem armis Romanorum deuictum iri: eodem fortaſſe conſilio bicipitem aquilam exhibet Imperatorum Romanorum noſtræ ætatis ſcutum. Arborem credibile eſt, ficum Ruminalem eſſe, ſub qua Romulum & Remum aluit lupa.

ΘΕΑ ΡΩΜΗ, Dea Roma. *Caput Romæ turritum.* ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ, Synnadenſium, *Victoria ſtans ſiſtro è manu ſiniſtra pendente, è dextra autem perpendiculo aut bulla.*

ΘΕΑ ΡΩΜΗ, Dea Roma. *Caput Romæ galeatum.* ΝΕΙΚΟΜΑΧΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΥΣΙΝ. Nicomachus ſacerdos. Themenothuritis. *Figura ſtans coram ſedente.*

Gentium Deam, vt vocat Horatius, hi nummi exhibent, qua vt nihil potentius ſic ſuperbius nihil. *Terrarum Dea gentiumque Roma, cui par eſt nihil & nihil ſecundum,* inquit Martialis. Huius inſcriptionis faſtum repræſentauit poſterior ætas, dum in alio nummo ΘΕΟΝ ΣΥΓΚΛΗΤΟΝ Deum Senatum cum Auguſti facie coniunxit. ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ Deam Romam Liuiæ imagini inſcripſit. Huic autem Romæ capiti turris impoſita eſt, ſolemne vrbium ornamentum. Synnada autem ſeu Synnas vrbs Phrygiæ Pacatianæ, inde nomen videtur accepiſſe quod conventus eſſet quindecim populorum, quos Romæ aſſentatos credibile eſt hunc nummum cudiſſe; niſi forte ipſi Romæ templum aliquod dedicauerint, quam vt Deam venerabantur. De ſiſtro & perpendiculo è manibus Iſidis pendentibus, vide quæ in nummo Triumuirorum R. P. C. dicentur.

Plin. lib. 5. cap. 29. Theodoret. hiſt. eccleſ. l. 4. c. 8.

Hæc eadem Temenothuritarum nummum ſpectant, vrbis in Lydia, quæ quamquam *ſatis obſcuri nominis & non magni*, vt ait Pauſanias, tamen in tanto tot gentium cultu ſuam ſymbolam contulit. Quid ſibi velint figura ſedens & alia ſtans quæ neſcio quid manu oſtentat, ignoro. Apparet in capite ſedentis criſta quædam ſeu vmbella quæ Serapim aut Iſidem videtur innuere. reliqua coniectoribus relinquo. Nicomachus certe ille qui inſcribitur videtur huic vrbi præfuiſſe & cudendo nummo, ſeu, quod magis placet, ſacris, quod indicat ΑΡΧΙΕΡ. ita enim nummus meus maximi moduli ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC ΑΡΧΙΕΡΕΥC ΤΥΜΕΝΟΘΥΡΕΥCΙΝ, qui ab alia parte ſacrum Senatum celebrat.

In Atticis.

ΘΕΑ ΡΩΜΗ. Dea Roma. *Caput muliebre galeatum.* AMOPIANΩN. Amorianorum. *Manus iunctæ.*

ΘΕΑ ΡΩΜΗ Dea Roma. *Caput muliebre turritum.* ANKYPANΩN ΕΠΙ ΜΗΤΡΟΥ. Ancyranorum ſub Metro. *Figura ſtans, fortaſſe Iouis cum aquila.*

Strabo. Plinius. Ptolem. Tzetes chil. 1. hiſt. 2.

Idem venerationis ſignum erga Deam Romam præſtiterunt Amoriani & Ancyrani, quale & Synnadenſes & Temenothuritæ, idem tributum idemque officium perſoluentes. Amorium vrbs epiſcopalis ſub archiepiſcopatu Synnadenſi in Phrygia, cuius frequens eſt mentio in libris Conciliorum & paſſim apud autores. Ancyra vrbs eſt Galatiæ primaria, Concilio Ancyrano clara; ad illam tamen ſecundum nummum referri non puto, ſed potius ad eam Ancyram, ſeu, vt teſtantur codices Græci Ptolemæi, Angyram quæ vrbs eſt epiſcopalis Phrygiæ Pacatianæ: hanc coniecturam opinor ſatis probat vrbium vicinia, quæ pariter Romam vt Deam ſunt veneratæ.

IEPA CYNKAHTOC. Sacer Senatus. *Facies Genii Senatus quam Antiquarii non ignobilis notæ Auguſto etiam tribuunt. Partes auerſæ infra explicantur.*

Qui Romam Deam indigitauerant, eos non mirum eſt Diuum Senatum ſuis nummis inſcripſiſſe: nec ab vna gente aut vrbe factum eſt; & credibile eſt à plerisque omnibus quos Romani domuerant aut ſociis eorum, omnibus iis denique qui ab illis aliquid vel ſperabant boni vel mali metuebant. Solent enim homines, maxime vero ciuitates nationesque officia vtilitate vel metu metiri. Huius rei ſpecimina, vt in tanta multitudine pauca, ſic in tanta vetuſtate permulta & illuſtria ſubiunximus.

1. Primum quidem & ſecundum à Smyrnæis tertium Neocoris,
2. ſub eorum Præfecto Polliano cuſa ſunt. In eis ſtant duæ figuræ: dextra quidem Iſidem cum ſiſtro, de qua in nummo Triumvirorum dicetur. altera Nemeſin indicat quæ *Dea vltrix eſt facinorum impiorum, bonorum præmiatrix, arbitra rerum, regina cauſarum*, quæ omnia DEO SENATVI (quandoquidem hunc ita vocare ſtolida & attonita antiquitas non dedignata eſt) tam bene conveniunt, vt Nemeſis Ammian. Marcell.

nomine videatur indicatus; alas adiunxerat eius ſimulachro innuendæ celeritati: quanquam teſtatur Pauſanias *quondam alas defuiſſe*, quo tempore forte cuſus fuit nummus, ſed poſtea apud Smyrnæos additas fuiſſe. Rota vero cum gubernaculo ſubiicitur, vt intelligeretur vehementem Deam, vt ait Catullus, magnarum rerum conuerſioni præeſſe.

In Atticis.

Claudian.

Sed Dea quæ nimiis obſtat Rhamnuſia votis
Ingemuit, flexitque rotam —

Rhamnuſia enim vocabatur ab Atticæ pago vbi colebatur. Adraſtea ἀπὸ τῆς ἀεὶ δρᾶν, vt ait Phurnutus. Nemeſin autem Ariſtoteles interpretatur ἀπὸ τῆς διανεμήσεως, à ſuo cuique tribuendo. *Fanum ei prope Marathonem ſacratum erat in quo eius ſignum è marmore Pario, Phidiæ opus, dextra phialam tenet, ſiniſtra ramum mali.* hæc Pauſanias.

Ad Eudemum.

In Atticis.

Proxima dua numiſmata in eiuſdem Sacri Senatus honorem cudi iuſſerunt Hierapolitani. Inter tot populos eiuſdem nominis eos eſſe arbitror quos Ptolomæus Cyrreſticæ regionis in Phœnicia nuncupat. Hierapolis vrbs eſt non procul ab Eufrate hodie dicta *Alep.* quamuis eam eſſe quam in Phrygia indicat Strabo, ſcribat Triſtanus. Dea ſtans in primo dextra cornucopiæ gerens, ſiniſtra tria papauerum capita temoni impoſita, & Dea Salus cum Teleſphoro patera & ſerpente in altero, ſoli fetilitatem, regioniſque temperiem, ſanitatis comitem perpetuam demonſtrant. De quibus ſingulis infra ſuo loco dicetur. Coniecturam faciunt tria papauerum capita, Hieropolitanam tellurem horum eſſe feraciſſimam, quippe quæ in medicina facienda frequenter tunc vſurpabantur: ex his enim ſuccus colligebatur Opium dictus, ſummis doloribus placandis ſoporique inducendo apprime conueniens, de quo Hippocrates & Galenus paſſim.

Lucian. in Dea Syria.

3. 4.

Deam Ægæenſium ſub Fortunæ typo cuius capiti turris impoſita eſt refert quintus nummus: quem cuſum cum Triſtano arbitror à populo vrbis illius Achaiæ in Peloponneſo quæ Αἰγαὶ dicitur: quamuis altera ſit eiuſdem nominis in Macedonia, altera in Cilicia, in Locride, in Lydia, in Eubœa, in Myrrhine, in Thracenſi Cherſoneſo, in Æolide, & in Ætolia. Αἰγαῖα etiam vrbs Emathiæ regionis in Macedonia. Quæ quoniam omnes pari ratione ſenatum P. Q. R. venerari potuerunt, cuinam earum adſcribam, pro certo affirmare non poſſum. *Fortunæ indicare nequitiam cum antiqui vellent, illam vel pingentes vel fingentes fœmina ſpecie formabant: non contenti gubernaculum illi attribuebant, &c.*

5.

Galenus in Suaſoria.

Strabo lib. 14.

Sextum nummum à Phocæenſibus cuſum, cum illis Præfectus eſſet Aurelius Eutyches ſeu Fortunatus, inſcriptio docet. Illi ſunt qui Ioniæ & Æolidis oram accolunt à Phocide orti, & qui tandem

6.

Maſſiliam

Maſſiliam in Gallia coloniam deduxerunt. Phocæa ſub archiepiſcopatu Smyrnæenſi *Foia vecchia* ab incolis hodie nuncupatur. Prora nauis Caſtoris & Pollucis ſignis illuſtrata maritimum locum eſſe ſatis denotat. Eorum ſtellæ ſecurum nauigantibus euentum perpetuo portendebant, quapropter eos in mari Deos inuocari ſcribunt authores paſſim, maxime Plinius. Hæ ſtellæ galeris ſeu pileis eorum ſunt impoſitæ quod Caſtor & Pollux ab antiquis fratres pileati dicebantur, *A pileatis nona fratribus pila.* T. Liuius. lib. 47. Lib. 2. c. 37 Catullus.

7. Id illuſtrat nummus ſeptimus qui ipſos fratres nudos & armatos demonſtrat, cum ſtellis illorum ſymbolis: illos ſic deſcribit Pap. Statius. Lib. 5. Thebaid.

——— *Chlamys hic, chlamys ardet & illi*
Ambo haſtile gerunt, humeros exertus uterque,
Nudus uterque genas, ſimili coma fulgurat aſtro.

8. Cumæ vrbs Æolidis maritima quæ hodie *Foia nuova* pari veneratione in poſtremo nummo erga Senatum cum Phocæa ſibi vicina certauit: quæ cur Xanthum fluuium ſignauerit non ſatis ſcio. Xanthus enim Ilius ſiue Scamander procul diſtat, nec alium eius nominis noui: niſi fortaſſis Xanthus Pſophidis pater qui regioni præerat, nomen fluuio dederit qui Cumas præterfluit. Pauſanias lib. 8.

9. De Thyatira in nummo Iuliæ Titi dicetur, & de Magnenſibus
10. Sipyli, cum Domitiæ nummos explicabimus. De Cybele inter leones in templo ſtante plura paſſim.

11. Vndecimus duas refert figuras muliebres, cum inſolito populi nomine, nunquam enim quod ſciam Temetorum Τημειτων nomen legi, ſi hunc nummum excipias. Temnus quidem eſt Aſiæ minoris vrbs in Æolide iuxta Hermum fluuium. Pauſan. lib.

12. Obſcuri characteres nummi duodecimi non ſatis rem declarant: donec integrior ſuppetat nummus, eundem typum cum primo huius tabellæ nummo arbitrabor.



ΔΗΜΟC, Populus. *Caput diademate cinctum.* ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, Philadelphenſium Neocororum. *Diana venatrix.* ΙΕΡΟC ΔΗΜΟC, Sacer Populus. ΑΤΤΑΙΤΩΝ. Attaitarum. *Æſculapius.*

Nullius

T. Liuius passim.

Nullius vnquam Populi gloria seſe ſuperbius extulit quam Romani: dum enim Senatus tantum decernebat, Populus iubebat, qui niſi rata & fixa habebat ſenatus-conſulta, ſtatim abrogabat, pacem bellumque indicebat; inuitoque Senatu rempublicam adminiſtrabat. Hanc forte poteſtatem Philadelphenſes & Attaitæ in ſuis nummis venerati: illi quidem in Lydia Dianam, hi vero in Laconia Æſculapium repræſentarunt, ſua præcipua numina. Minus placet aut Attaitenſis populi aut Philadelphenſis Genium hic eſſe ſculptum, cum id moris non eſſet. Sacri nomen Populo Romano datum, vt Vrbi & Senatui, quibus totus orbis regebatur, ex ſuperioribus à Græcis aſſentatorie conceſſum, non difficile eſt interpretari. Græci autem & inter eos præcipue Athenienſes ſuos ciues diuidebant εἰς τὸ βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, ſicuti Romani in Senatum & Populum.

Demoſth.

Nuperrime in meas manus incidit iſte nummus, ſenicula non iuuenili facie vt in prioribus videre eſt inſignitus, quem Antiochienſes cudi curauere: an illi ſe ipſos celebrent, an Populo Romano adulentur, aueo ſcire, certe alterutrum eſt.



Io Io Triump. *Laurus. In auerſa parte, duo ſerpentes caudis impliciti ſe inuicem reſpicientes; in quorum medio calces equorum ferrei aut quid non abſimile.*

Percelebris acclamationum formula, exultantium propria apud Romanos: Io Triumphe, Io Pæan, Io Hymenæe, Io Inuicte, &c. Triumpus autem priſce pro triumphus, quod propius ad originem nominis accedat quod à Græco θρίαμβος dicitur. Laurus victorum propria, qui victorias ſuas nuntiabant, laureatis epiſtolis ad Senatum.

ſam. Romanæ, in gente PAPIA.

ipſi

ipſi lauro coronati vectabantur, dum triumphabant, qui honor quibuſdam ſenatus-conſulto in perpetuum datus eſt, vt Pompeio. *Solitus eſt*, inquit Dio, *laurea redimitus incedere diebus feſtis*; Eumdem honorem Iulio delatum eſſe tradit Suetonius, his verbis: *Et ex omnibus decretis ſibi à Senatu Populoque Romano honoribus, non aliud aut recepit aut vſurpauit libentius, quam ius laureæ perpetuo geſtandæ.* Altera facies tam pace quam bello poſſe Romanos indicat. Etenim tranquillitatis ſignum ſerpentes exhibent, atque etiam eloquentiæ, qua non minus quam armis gloriam quæſierunt. Bellum autem calces equi πολεμικὴ ζώη, vt vocat Galenus. Soleas equorum vel quidquid illud eſt, neque enim liquet, ſerpentes complectuntur; qui aut prudentiam inter virtutes bellicas vel principem, aut gloriam, aut æternitatem apud Ægyptios ſignificant.

OMHPOC. Homerus. *Caput Homeri.* AMACTPIANΩN, MEΛHC. Amaſtrianorum, Meles. *Fluuii decumbentis typus, dextra lyram tenentis.*

Et ordo temporum poſtulat vt Alexandro præmittamus Homerum, & coniunctio, vt ſtatim poſt Homerum, Alexandri mentionem habeamus. tanto enim illum in honore habuit Alexander, vt ſecum in Aſianam expeditionem Homeri verſus circumtulerit. nec ſane otioſus & tacitus itineris comes Homerus fuit; nam cum Alexandriam condere deſtinaſſet Alexander, de deſignando loco ſollicitus obdormiuit; huic autem in ſomnis obuerſata eſt ſpecies ſenis decora canitie & facie veneranda conſpicui, à quo monitus eſt, vt ad Pharum ædificaret, inquit Plutarchus. Frequens eſt diſtichon de eius patria, Anni mundi 3004.

Ἑπτὰ πόλεις διεείζουσι περὶ μίζαν Ὁμήρου
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Omeri
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

Smyrneis tamen fauent nummi Amaſtrianorum, quos Smyrnæorum coloniam eſſe certum eſt, vnde apparet cur Homerum cum fluuio coniunxerint. Illorum ciuitatem *elegantem & ornatam* nominat Plinius. Quis autem ſcit an Amaſtriani Paphlagoniæ populi victo Darii exercitu ad inuidiam nominis declinandam, quod ab Amaſtri Lyſimachi vxore & Darii ex fratre nepte traxerant, oblique per Homerum aſſentati ſint Alexandro, quem Homeri imprimis ſtudioſum nouerant. Fluuius Meles appoſitus nomen Homero dedit Meleſigenis. Smyrnam præterfluit hic fluuius, ad quem natum eſſe confirmant Homerum. Ad Meletis caput antrum eſt in quo ſua feciſſe carmina traditur Homerus, quem ideo hoc titulo ſibi vindicant. De iis omnibus ſic ſcribit Herodotus, Η Κεφὴς μετ' ἄλλων γυναικῶν &c. hoc eſt, *Progreſſu deinde temporis Critheis cum aliis mulierculis ad feſtum quoddam egreſſa, iuxta fluuium Meletem, quum partui iam vicina eſſet, Homerum peperit, non cæcum ſed videntem, nominauitque eum Meleſigenem, à fluuio videlicet prope quem editus eſſet*, vbi porticum quadratam in honorem Homeri, Smyrnæi condidere. Cicero delubrum nomine Homeri dedicaſſe ſcribit, Homeræum nuncupauere: ſua autem numiſmata imagine Homeri ſignauiſſe, autor eſt Ariſtoteles: illaque ex ære eſſe Homeraque dicta aſſerit Strabo: illorum tria hic exempla ſubiecimus.

Stephanus. Cedrenus. Diod. Sic. l. 20. Arrian. de geſtis Alex. lib. 7. Pauſanias, lib. 7. In libello de vita Homeri In Oratione pro Archia. Lib. 2. Rhetor. Lib. 14.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Caput Alexandri Magni nudum, aut cum diademate, Leonis exuuiis, aut galea.*

Quoniam eorum omnium quos exhibituri ſumus Imperatorum vultus primum enarrare nobis eſt propoſitum, ab Alexandro Imperatorum omnium Principe ducemus exordium, cuius quatuor omnino effigies exponemus, ſeu potius quatuor capitis eiusdem habitus. In quo præter formam iuuenis egregiam, animaduertenda vbique hæc ἀνάτασις τραχήλου *reclinatio ceruicis*, quam commemorat Plutarchus, & à Lyſippo feliciter expreſſam fuiſſe ait. Idem *collum in ſiniſtram flectere ſolitum* teſtatur, ſed id in tam leui extantia fingi vix poterat. Cæterum *hæc pectoroſa*, vt cum Plinio loquar, *ceruicis repandæ oſtentatio*, ſuperbum animum & laſciuientem indicat, qualis Alexandri fuit.

De Fort. vel virtute Alexandri, l. 2.

Alexandri natalia reſpiciunt, hoc eſt vel oſtentum illud quod Plutarchus commemorat, vel gentis originem. Nam quod ad primum nummum ſpectat, *cum grauida eſſet Olympias, viſa eſt Philippo per quietem obſignari ſigillo leonis effigiem inſculptam habente; quod cum ad hariolos retuliſſet, vxorem grauidam eſſe reſponderunt, non enim obſignari vacua, filiumque parituram leonini animi.* Poteſt etiam & ad originem Alexandri pertinere qui paternum genus ab Hercule ducebat, quem indicat clava leoni impoſita. Credibile autem eſt & capita exuuiis leonis induta, & clauam & pharetram & ſagittas & arcum, quæ omnia vel paſſim vel coniuncta in ſuperioribus nummis occurrunt, eodem pertinere. Nummos Alexandri quibus ΒΑΣΙΛΕΩΣ *Regis*, titulus adſcriptus eſt, explicat locus Plutarchi. *Cum Byzantinos Philippus obſideret, curam rerum domeſticarum Alexandro tradidit, ſexdecim annos nato: ille rebellantes Medarenſes fugauit, vrbem cepit, coloniam miſit, & cum indigenis miſcuit, vrbem Alexandropolim vocauit. In Eubœa circa Chæroneam, ſua manu dimicauit, primuſque in confertiſſimum, qui ſacer dicebatur, Thebanorum globum impetum fecit. Quibus rebus gauiſus Philippus, ſic amare filium cœpit, vt Macedones hunc* REGEM, *ſe vero Ducem vocitantes iucunde ſæpe audiuerit.* Ὡς δὲ καὶ Χαίρειν τὸν Μακεδόνων βασιλέα, Φίλιππον δὲ στρατηγὸν ἀποκαλούντων. Omnes autem hos honores congeſſit Alexandro Conuentus Macedonum, ſeu Commune, vt numiſmatibus inſcriptum eſt ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, cui ludorum exhibendorum cura incumbebat, quod per Neocoros intelligere lubet, quique Β. Γ. bis aut ter eundem aſſequebantur honorem: quod apertius etiam hæc duo ſequentia teſtantur.

In vita Alexandri.



ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Caput Alexandri magni.* ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΝΕ. Commune Macedonum iterum Neocororum. *Duæ vrnæ altari impoſitæ è quibus palmæ: inſcriptum eſt baſi,* ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ.

Ciſtæ vel vrnæ potius altaribus impoſitæ, palmis exſtantibus indicant ſuffragia in ludis ferri ſolita, quibus victores palma donabantur, quod à Neocoris factum fuiſſe teſtatur nummus apud Triſtanum, ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, *Actia & Pythia certamina Perinthiorum Neocororum* cura adhibita; vnde patet quaſi Aediles ſacrorum fuiſſe, hoc eſt ludorum religionis cauſa inuentorum curatores. Prætermittendum non eſt Diodori teſtimonium narrantis Alexandrum poſt Tyrum expugnatam Apollini catenas & vincula detraxiſſe; & Deum hunc deinceps Ἀπόλλωνα φιλαλέξανδρον *Apollinem amicum Alexandri* vocari iuſſiſſe.

Bibliot. hiſt. l. 17.



ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ Β. ΝΕ. Commune Macedonum iterum Neocororum. *Alexander Bucephalum domans.*

Spectant hæc ad Bucephalum, quem cum à Philippo Theſſalo adductum tredecim talentis venalem experturus, per equiſones Philippus in arenam adduci iuſſiſſet, nemo vnquam conſcendere potuit. ἀπάντων ἀϊττεξανισάμενον, inquit Plutarchus, cum contra omnes ſe erigeret. Huius ferociam cum faſtidiret Philippus, aduolauit Alexander, & in equum ad Solem conuerſum, vt vmbræ territamentum adimeret, inſiliit, equi pretium pactus niſi conſcendiſſet. Tantum ſeſſorem gaudenti ſimilis excepit Bucephalus, quem cum manu & voce quietum reddidiſſet Alexander, tandem geſtientem

In vita Alexandri.

currere, laxatis habenis, vociferatione, calcaribus ſic incitauit, vt attoniti omnes ſilentesque quid iuuene factum eſſet vehementer expectarent. hunc ſtatum exhibet alter nummus. Redeuntem ingenti acclamatione exceperunt amici, Pater deſcendentem amplexu fouens, *Quærendum*, inquit, *par tantis animis regnum, neque enim te capit Macedonia.* Quis ſcit autem num eiuſdem Bucephali ſint effigies equus paſcens, & equus tolutim currens? quem omni habitu Græcia Domino exhibuit, cui ſciebat inter inſtrumenta bellicæ virtutis nihil eſſe hoc equo acceptius: Itaque Poro deuicto in regnum remiſſo, duas ille vrbes condidit, alteram Nicæam, alteram nomine equi Bucephalen. Iuſtinus.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Caput Alexandri magni.* ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡ. Commune Macedonum iterum Neocororum. *Bigæ triumphales, moderante currum victoria, anguis ſub curru repens.*

Idem. *Anguis è ciſta ſemiaperta caput emittens.*

Fortaſſis Alexandro gratulaturi Macedones, & præſagium futuræ magnitudinis Alexandri in vtero matris concepti, & nuntium hunc quem natalibus Alexandri Philippus accepit, in vnum coniunxere. Fabulantur cum angue concubuiſſe Olympiadem, quam hac ſpecie decepit Iuppiter Ammon, indeque coclitem factum fuiſſe Philippum qui oculo ianuæ cubiculi Olympiadis nonnihil dehiſcenti, curioſius applicito, Dei furtum detexerat. Hoc rumore vſus eſt Alexander, voluitque ſe Iouis Ammonis filium haberi. Quo die autem natus eſt, Philippus Potidæam cepit, audiuitque ſe per Legatum Parmenionem apud Illyrios, equis autem in ludis Olympicis viciſſe. Quæ tamen coniectura ideo minus placet, *quia quadrigis vicit*, ait Iuſtinus. Itaque veriſimilius arbitror victoriam Aſianam eiuſque celeritatem hoc typo contineri: Aſiæ enim ſymbolum anguis eſt. Qui autem è ciſta caput exerit, in ſecundo nummo, is myſteria Bacchi arguit, quibus ita dedidit ſe Olympias vt cicuratos angues thyrſis intortos geſtare ſolita ſit. Hac ſuperſtitione ſic tentauit animum Philippi, vt eam tanquam ἔνθεον & Deo plenam nunquam

niſi timens & raro ſit aggreſſus. Ipſa confeſſa viro ſe dum cum magno angue volutatur Alexandrum concepiſſe, hunc poſtmodum non vt regem ſed vt Deum militibus in expeditionem Aſianam proficiſcentibus commendauit. Quoniam autem mire ſemper Alexandro cum Olympiade conuenit, Commune Macedonum maternæ religionis, quæ illi diuinitatis origo fuit, monumentum hoc nummo repræſentaſſe arbitror.

Fortitudinis bellicæ non abſurdum ſignum Alexandro à Macedo- 1.
nibus primo nummo tribuitur, ita enim eſt apud Martialem de Parazonio,

Lib. 14. *Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,*
Arma tribunicium cingere digna latus.

Traianus certè, vt ait Dio, Suræ quem Præfectum Prætorii renuntiabat porrexit gladium ὁ παραζώνυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν quod lateri accingere debebat, ideo enim Parazonium dictum eſt quod è zona penderet, *Et accipe*, inquit, *gladium, hoc ſi ex legibus impero pro me, ſecus contra me vſurus.* Illud autem carebat acumine, quod Dux in ſuos ſæuire

Ant. Auguſt. non debeat.

Quod autem ſpectat ad ſecundum nummum, Alexander 2.
pugnam ad Arbellas contra Darium deſtinans, non aliàs magis territus, ad vota & preces Ariſtandrum vocari iubet: Ille in candida veſte verbenas manu præferens, capite velato præibat preces Regis, Iouem, Mineruam, Victoriamque propitiantis, inquit Curtius: quibus facile adducor, vt credam hunc nummum ea de re percuſſum fuiſſe, poſtquam Alexandri doctiſſimi fortiſſimique Regis vota rata fecit Dea litterarum & armorum præſes: in eius Deæ honorem templum aliud Cyrno vel Corcyræ, aliud magnificentiſſimum Troiæ extrui iuſſiſſe Alexandrum, autor eſt Dio.

KARTHAGO. *Figura ſtans iaculo dextra innixa.* XII. *Caput equi ferocis.*

Lucus in vrbe fuit media lætiſſimus vmbra
Quo primum iactati vndis & turbine Pœni
Effodere loco ſignum, quod regia Iuno
Monſtrarat, caput acris equi, ſic nam fore bello
Egregiam & facilem victu per ſæcula gentem.

Virgilius 1. Æneid.

Vtramque faciem exponunt hi verſus: vtrumque enim bellicam virtutem indicat. locum quærentes condendæ vrbi Phœnices, eruere caput bouis: diſplicuit omen, ſcilicet animal ferendo iugo natum: Alio loco fodere, caput equi comparuit. Fertilitate ſoli & armis excelluit hæc vrbs. hanc Caccaben Punica lingua dictam olim fuiſſe teſtatur Cælius Rhodiginus, quod caput equi denotat. Quod autem ad rationem nominis attinet,

Lib. 18. cap. 38.

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni
CARTHAGO *Italiam contra* &c.

Hoc indicio impulſi coniectores ad Tyriorum linguam, hoc eſt, Syriam confugere Hebrææ propinquiorem, Chaldææ dialectum. At apud Chaldæos CARTHA vrbem, CHADTA nouam ſignificat, quo nomine nouam coloniam innuebant non longe ab Vtica miſſam, quæ vt ſonat nomen, vrbem veterem eadem dialecto ſignificat. Et certe Phœnices & Pœni idem ſunt, vnde ſcenam hanc Pœnuli apud Plautum, in qua Hanno loquitur indagantes litteratores hanc ex Hebræorum lingua latinam ex dimidio fecerunt, nam Libycis quibuſdam verbis eſt interpolata. hæ autem gentes duplici lingua vtebantur,

Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues,

inquit Virgilius. Eadem coniectura etiam aſſequuti ſunt, quid Byrſa, quid Megara, quid Hanno, Hannibal, Dido ſibi velint. Hanc vrbem anno v. C. DLII. diruit Scipio Æmilianus, cum plus ducentis annis

Virgilius 1. Æneid.

annis post Æneæ aduentum hanc condidisset Dido. Carthaginem
a. De Natura Deorum. ab Carthagine Herculis filia dictam credibile est, eo maxime quod Tyrii *illam vt Deam coluerint*, inquit Cicero. & magis placet alia coniectura, quam ab homine Romano ignorari non mirum est, nam sua tantum Romani mirabantur, externis illudebant.

NVMÆ POMPILI, ANCI MARCI. *Capita iugata.* ROMA C. CENSO. *Duæ portæ apertæ, prima habet victoriam in columna stantem, altera rostrum nauis.*

Numam Pompilium & Ancum Marcium in vnum meritò coniunxit is qui post eorum tempora hunc nummum percussit. Nam Ancus Marcius Numæ ex filia nepos fuit, vt ait Aurelius Victor, æquitate & religione auo similis. Quamquam autem antiquissimus nummus videatur, tamen non ipsa Anci Marcii ætate cusum fuisse argumento est, quod sub Seruio Tullio primum ære signato vti cœperant Romani, teste Plinio. Auersus autem ex Vrsini Antiquarii doctissimi sententia Ostiæ coloniæ monumentum est, quam deduxit Ancus. Ego vero vt nauim eo pertinere puto, ita existimo exiguum Victoriæ simulachrum in Obelisco stantis ad victoriam de Latinis referri posse, quos Ancus domuit.

DIVOS IVLIVS. *Caput Julii Cæſaris laureatum.*

Faciem vides illius, cui ſi fidem habes, vix credas. Μὴ δεδιέναι, inquit ille ipſe apud Plutarchum, τὸς παχεῖς ϗ κομήτας, ἀλλὰ τὸς ὠχρὸς τε ϗ λεπτός. hoc eſt, *Obeſos illos & optimos non habere ſuſpectos, ſed graciles & pallidos*, quod ab illo in Caſſium Brutumque iactum, in hunc ipſum redundare videtur. Quamquam Suetonius non tantum excelſa ſtatura fuiſſe ait, nigris vegetiſque oculis, colore candido, ſed etiam teretibus membris, ore paulo pleniore: quod ſi verum eſt, fides nummis omnibus deneganda, in quibus facies filo longiore & extenuato pingitur. Vides etiam moroſitatem eius in tondenda & radenda atque etiam vellenda barba: nam ruſticitatis habebatur apud eos barbam alere, vnde barbatus rex apud Iuuenalem pro antiquo. Atque hæc vellendi pili cura ad Hadrianum viguit, vt ait Dio. Caluitii deformitas minus apparet, quam iniquiſſime tuliſſe ait Suetonius. Primus ille Reipublicæ Romanæ libertatem euertit, ſibi dictaturam, morum præfecturam, Patris patriæ agnomen, imperiumque ſumma cum poteſtate arripuit, poſt deuictum in acie Pharſalica Pompeium, anno v. c. DCCVII. Tandem confoſſus eſt in Senatu tribus & viginti plagis, æt. LVI. M. Bruto & C. Caſſio coniurationis autoribus. In Deorum numerum relatus eſt non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Vt fortiſſimus Imperator, ſic eloquentiſſimus fuit orator, cui nil niſi ſobrium ad euertendam rempublicam adueniſſe exprobrant inimici.

Cum nullus à Regibus ad Cæſarem Imperator ex ære expreſſus occurrat, ſequitur vt de eo ſtatim dicamus; quod etiam ſit propriuius per cognationem quæ inter Ancum & Iulium intercedit.

Suetonius. cap. 6. *Amitæ meæ Iuliæ*, inquit Cæſar, *maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus coniunctum eſt. Nam ab Anco Marcio ſunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulii, cuius gentis eſt familia noſtra. Eſt ergo in genere & ſanctitas Regum qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges.* Id ſibi vult caput Veneris in primo & tertio nummo expreſſum. Indicium autem ac veluti typus Corinthi, ala Pegaſi ſedenti homini retro appoſita. Quantum autem

Plutarchus in Cæſare. Corinthum demeruerit Iulius, Dio docet. Carthaginem enim & Corinthum vrbes excifas ipſe refecit, colonias deduxit, ἀνέστησε καὶ ἀπῴκισε. Idcirco quæ alias COLONIA IVLIA CORINTHVS dici ſolet, hic LAVS IVLIA dicitur, quod ille ſibi ſempiternam gloriam in reſtituenda Corintho ſtabiliuerit. Ita LAVS POMPEIA quæ nunc

Pauſanias in Corinthiacis c. 44. *Lodi* dicitur in Vmbria. *Corinthii omnium maxime noui ſunt in Peloponneſo*, inquit Pauſanias, *abhinc enim annos ferme ducentos decem & ſeptem, colonia hæc ab Imperatore deducta eſt.* quæ quidem annorum computatio ad Iulium Cæſarem reflectitur, viuebat enim Pauſanias temporibus M. Aurelii. Typus autem Corinthi frequens eſt Bellerophon Pegaſo inſidens, ſicut notat Iulius Pollux: *Pullus eſt moneta Corinthiaca, ita dicta quod Pegaſum habet inſculptum.*

Lib. 2. c. 4. narrat Pauſanias: *Mineruam præ cæteris Diis Bellerophonti cum aliis in rebus opitulatam, tum vero à ſe domitum freno iam impoſito Pegaſum dediſſe, quapropter fanum ei extructum eſt*: hinc frequenter in agris Corinthiacis & templis Bellerophontes viſuntur, & ex ipſa Pegaſi vngula manantes aquæ, ait Pauſanias. De Corintho plura dicuntur in M. Aurelii nummis.

3. Tertius nummus Veneris caput in Iulii honorem exhibet, inſcriptionem ad Valentiam in Hiſpania reuocare non placet, quæ à Pompeio deleta eſt, deinde colonia à Plinio nominata. Nummum ſic illuſtrat Solinus, *ſunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, cum oppidum ibi offendiſſent, quod extructum antea* VALENTIAM *dixerat iuuentus Latina, ſeruataque ſignificatione impoſiti priùs nominis* ΡΩΜΗΝ *græcè,* VALENTIAM *latine nominarunt, &c.* ſic Roma Iulio Cæſari gratulatur & veteri ſua appellatione & Dea Anchiſis amaſia, quibus ſuam Iulius debebat originem. Cap. 2. Feſtus.

Capita iugata C. Cæſaris Octauiani, Marci Antonii, & Marci Æmilii Lepidi, Trium-Virorum Reipublicæ Conſtituendæ.
APXIEP. *Diana Epheſia.*

Quæ ratio tria capita coniunxerit ita manifeſtum eſt, vt nec ſine meo nec ſine legentium faſtidio iterari queat. Ecquis enim ignorat ſtudiis alioqui diſcrepantes Trium-viros & ſuarum vnumquemque partium, cruentum hoc fœdus inter ſe percuſſiſſe prodendæ patriæ, atque effundendi quodcunque ſupererat liberi ſanguinis. Itaque terribili bonis omnibus collegio demerendo ipſemet templi Epheſii ſacerdos verbis totius ciuitatis hunc nummum impreſſit, ita detrito nomine vt reliqui nihil ſuperſit, præter ſacerdotii nomen. An autem vni Antonio gratulabunda ciuitas fecerit, dubitari poteſt. illi certe hæc obuenerat prouincia, & vt ait Plutarchus, *trucem alioqui cæteris ciuitatibus Antonium ac vere τραχὺν, adueꝛſus hanc comem admodum fuiſſe.* Principem autem Aſiæ minoris eam ciuitatem abunde teſtantur plures nummi ſub diuerſis Imperatoribus cuſi, quibus titulus eſt ΕΦΕΣΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. Typus autem Epheſiæ Dianæ ab Ægyptiis ductus eſſe videtur, quorum fuit figuris naturas ipſas exprimere: atque adeo ſimulachrum illud ad eorum Iſidem pertinere videtur: huius enim exiſtimabant eſſe quod Nilus intumeſcens Ægyptum fœcundaret: quò ſpectant & ſiſtrum & perpendiculum alias huic Deæ attributum. Siſtri enim modulamine fabulati ſunt increſcere & decreſcere aquas, quibus ut lacte pueri ſic terra ipſa quaſi vberibus pinguior atque, vt ita dicam, vberior fieret. Plutarchus in Vita M. Antonii.

Perpendiculum autem quod Deæ tutelaris nutu quaſi libramento conſtaret aquarum incrementum. Eôdem quo mammæ ſpectat calathus capiti impoſitus, fœcunditatis & abundantiæ ſignum.

Iſidem eamdem eſſe cum Luna ſupra diximus. Lunam autem & Dianam vnius rei diuerſa eſſe nomina tradit Iſidorus.

Prudentius contra Symm. lib. priori.

Quando etenim Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu,
Cum ſuccincta iacit calamos, Latonia virgo eſt,
Cum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia coniux.

Quidni autem vt alia permulta ſic Deos ab Ægypto Græci mutuati fuerint? Et certe neque ea Diana cuius ſignum ab hoc longe diuerſum finxerunt, iis vacat nominibus quæ nonnihil exprimant eorum quæ tam inuſitatum atque tam longe accerſitum ſimulachrum indicat. Quorſum enim quæ virgo habita eſt, nihilominus παιδοτρόφος *puerorum nutrix*, vt eſt apud Diodorum & Pauſaniam; Priapina apud Plutarchum, Λυσιζώνη apud Theocritum à pudore ſoluendo, vt ait Virgilius, & Lucina à Latinis obſtetrix Dea diceretur. Dianæ Epheſiæ templum apud antiquos ita celebre fuit vt id inter ſeptem orbis miracula fuerit clariſſimum. De ea ſic D. Hieronymus D. Pauli ad Epheſios epiſtolam explicans. *Scribebat*, inquit, *ad Epheſios Dianam colentes, non hanc venatricem quæ arcum tenet, atque ſuccincta eſt, ſed illam multimammam quam Græci* πολυμαζὸν *vocant, vt ſcilicet ex ipſa quoque effigie mentirentur omnium eam animantium eſſe nutricem.* Eius meminit Minucius Felix, his verbis, *& Epheſia multis mammis & vberibus extructa &c.*

In Meſſeniis.

In Lucullo.

Præfatio in Epiſt. Paul. ad Epheſios.



M. Ant. Imp. Cos. Des. Cleopatra... *Capita Antonii & Cleopatræ iugata.* Præf. Class. *Nauis.*

M. Ant. Imp. It. Cos. Desig. iii. Vir R. P. C. *Capita Antonii & Cleopatræ aduersa; retro prora nauis.* Præf. Class. *Nauis.*

Ingenti classi quam quingentarum nauium coëgerat Antonius, Alexandrinæ nomen imposuit, siue quod ebrius Imperator cum mulieri Ægyptiæ, vt ait Florus, pretium libidinum imperium Romanum esset pollicitus, expeditionem eius nomine susceptam non alio titulo celebrari, seu exercitum naualem, in quem ducentas naues contulerat Cleopatra, totum Reginæ è cuius nutu pendebat Imperator esse & dici voluerit, vt ait Plutarchus. Huius autem Præfectum hunc nummum percussisse credibile est. Alias coniecturas habes in nostris Familiis Romanorvm.

Caput Antonii Trium-viri cum exuuiis leonis & claua. L. A. PΩMHN. Anno primo. Alexandriæ. *Prora nauis.*

Faciem Herculi simílem hic habes, quam Antonio III-Viro propter cæterorum eius numismatum conformitatem tribuere non dubito. Claua retro posita exuuiæque leonis collo appensæ eum veluti nouum Herculem referunt. Erat enim fabula antiqua Antoniorum familiam ab Hercule natam, ab Anteone Herculis filio cognomen accepisse, quam familiæ suæ famam confirmare non

In vita Antonii. ſolum forma corporis, ſed etiam veſtitu nitebatur. *Accedebat ad »hæc dignitas formæ*, inquit Plutarchus, *barba quædam haud ſane illibe»ralis, latitudo frontis, eminentia naſi, videbaturque Herculis imaginibus »picturisque perſimilem aſpectum habere.* Eum illo habitu repræſentat hic nummus, quem in Ægypto cuſum eſſe ex tribus coniicio, minus politâ fabricâ, characteribus Græcis Alexandriam ΡΩΜΗΝ Αἰγύπτου dictam deſignantibus, & prorâ nauis victoriam maritimam indicante, quâ Peluſium ceperat, Ptolemæumque in auitum regnum reſtituerat. *Quas ob res magna erat Antonii apud Ægyptios fama, in exercitu vero clariſſimus habebatur*, inquit Plutarchus. De characteribus L. A. dicetur in Auguſti nummo Ægyptiaco, in quo palma & ſpica.

Ibidem.



Caput Cleopatræ habitu Dianæ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. Cleopatræ Reginæ. *Duplex cornucopiæ.*
In altero nummo Aquila fulmini innixa cum cornucopiæ.

Faciem vides inflammandis Imperatoribus & miſcendis rebus humanis deſtinatam. Quamquam quid faciem accuſo, cum vocis atque ſermonis & conuictus illecebræ & quidam dictis factiſque aſperſus lepos pluris longe ipſa facie fuerint. Neque enim ea fuit pulchritudine, cui non facile comparari alia poſſet, ſed ita ſe geſſit, vt illius laqueos vix quiſquam effugerit. Itaque & Cæſarem Dictatorem *omnium mulierum virum*, vt ait Curio pater, ita cepit atque incendit, vt interfecto Ptolomæo regnum Ægypti inter eam & fratrem diuiſerit, atque inter omnes habuerit eximiam. *Itaque cum ea & conuiuia ſæpe in lucem protraxit, & eadem naue thalamego, pene Æthiopia tenus Ægyptum penetrauit*, inquit Suetonius. Marcum autem Antonium tantum non in rabiem atque furorem egit, cum tamen infenſum primum viderit quod Caſſio opem tuliſſet. Habitum Dianæ non eſt quod miremur, nam cum in publicum prodiret ſacra Iſidis ſtola induebatur, atque noua Iſis indigitabatur. στολὴν ἑτέραν ἱερὰν Ἴσιδος ἐλάμβανε καὶ νέα Ἶσις ἐχρηματίσε. Iſis autem Romanis eſt Diana, vt apparet ex imaginibus. nam κεκασσφόρα καὶ μελανοστόλος pingebatur, vt ait Plutarchus, hoc eſt *cornigera & nigra veſte induta.* Duplex autem cornucopiæ ideo fortaſſe ſculptum fuit, vt coniunctis Marci Antonii & Cleo-

Plutarchus in vita Antonii.

In Cæſare cap. 52.

& Cleopatræ opibus vbertatem Asiæ gratularentur: nam quanto profligatior atque impotentior dominatio premit, tanto proiectior atque impudentior adulatio grassatur. Aquila fulmen librans & Romanos simul spectat & Ægyptios, quorum Regibus hoc insigne fuit.

Cum frustra tentauisset oculos Augusti Cleopatra, seseque simulata clementia atque insidiosis sermonibus duci, reuera autem ad triumphum destinari subolfecisset, in locum solum se recepit, *Et Antoni*, inquit, *non diutius indignabere me superstitem, neque de te per me triumphum duci patiar*, μηδὲν ἐμοὶ περιίδῃς θριαμβευόμενον σεαυτόν. Cum hæc lamentabili voce fudisset, coronata ad mensam instructissimam, balineo transacto decubuit, atque transmissa per incautam custodiam cistula ficuum plena, cum duabus ancillis clausit sese, missis ad Cæsarem codicillis, quibus tumulari se cum Antonio miserabiliter postulabat. Cursores quos festinanter miserat Cæsar, veneni celeritas anteuertit. Inuenta est mortua, ornatu regio, in aurea sponda reclinata, alteram ancillarum ad pedes eius lamentantem, iam pharmacum extinxerat, alteram cespitantem & graui iam capite labantem viderunt, atque ea etiam diadema Reginæ capiti imponebat. Cum autem iratus aliquis dixisset, *grande facinus Charmion? grande per Iouem*, inquit, *& tot Regum nepte dignissimum.* Hanc videtur exhibere signum elegantissimum labanti iam Reginæ opitulantem. Fidem eius & pietatem canis exhibet appositus: canis enim φιλητικὸν καὶ θωπευτικὸν ζῶον & homini ante omnia fidelissimum.

Plutarchus in vita Antonii.

Strabo lib. 17.

Plin. c. 40. lib. 8. & Aristoteles de hist. animal.

Caput Alexandri, filii Antonii & Cleopatræ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Alexandri Regis. *Iuppiter ſedens.*

Qua ratione Antonius Trium-vir Herculem vt patrem erat imitatus, ea ipſa Alexander M. Antonii & Cleopatræ filius Iouem eius genitorem coluit. Hunc parentes, ebrius ſcilicet Imperator & callidiſſima Ægypti Regina Solem, ſororemque eius Cleopatram, quæ poſtea Iubæ filio nupſit, Lunam indigitauerant: cui fortaſſis honori indicando appoſita eſt hæc corona, ab imitatione radiorum ſolis radiata dicta, fortaſſis etiam innuendis regnis Armeniæ, Mediæ & Parthiæ, quibus ſi quando ſubigerentur, à patre Rex deſignatus erat. Iouem ſedentem dextra aquilam tenentem auerſus nummus exhibet, ſiue reuera ſic eum ſit veneratus Alexander, ſiue ob nominis gloriam Alexandri Magni Macedoniæque Regum ænigmata ſymbolaque ſit imitatus. Non me fugit, hunc nummum à quibuſdam Alexandro Belæ Syriæ Regi tributum eſſe, quod ſit verum nec ne, dubito.

Appianus. Plutarchus. Dio.

COLONIA. *Caput Lepidi galeatum.* CABE. *Caput muliebre in laurea.*

Faciem armatam Lepidi cernis, Lector, quem citra potentiam & periculum pugnasse multi testantur historici. *Is homo natura sua ignauus erat*, inquit Dio, ὑπὸ τῆς εἰμφύτου νωθείας, quem nec bonis succurisse, nec quidquam in Reipublicæ commodum præstitisse memoria est: Ὁ γὰρ Λέπιδος ἐν τοῖς ὀνόμασι μόνον ὥσπερ εἶπον ἦρχε, καὶ πολλάκις γε σοῦτε τοῦτο ἐν τοῖς γράμμασι προσενεγράφετο, hoc est, *Lepidus enim nomine tantum imperabat, ac idipsum quoque sæpe in litteris omittebatur.* De eius gestis, & de Colonia CABE quam in Africa constituit, vide FAMILIAS ROMANAS in Gente ÆMILIA. Hist. Rom. lib. 48.

ATIVS BALBVS PR. *Caput Balbi.* SARD. *Caput rusticum cum sceptro.*

Atius Balbus paterna stirpe Aricinus, inquit Suetonius, *multis in familia Senatoriis imaginibus à matre magnum Pompeium arctissimo contingebat gradu, functusque honore præturæ inter* XX-*Viros agrum Campanum plebi lege Iulia diuisit.* Hunc honorem præturæ indicant litteræ P R. Nummus rudis & antiquitatis subrusticæ, sed rarus & ad Augusti historiam illustrandam percommodus. Auus enim erat Augusti Atius ille cuius filiam Atiam Octauius pater duxerat. Atius autem Iuliam C. Cæsaris sororem duxerat: ita cognatione

& affinitate & adoptione, tres hæ familiæ Cæſarem Auguſtum attingunt, cuius hiſtoriam quantum ex hoc numiſmatum genere coniicere licet, deinceps tractabimus. Auerſus autem nummus ad Atym ne pertineat, *vnde genus* ATII *duxere Latini*, vt ait Virgilius, an ad Sardum patrem qui filius fuit Herculis, in dubio eſt. Certe huic eo nomine fanum dedicatum fuit Σαρδοπάτωρος ἱερὸν. Sardi Patris templum, vt ait Ptolemæus. Plura vide in noſtris FAMILIIS ROMANORVM, ſub gente ATIA.

Pag. 44.

AVGVSTVS forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima quamquam & omnis lenocinii negligens. Vultu erat vel in ſermone vel tacitus adeo tranquillo ſerenoque, vt quidam è primoribus Galliarum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quo minus vt deſtinarat in tranſitu Alpium per ſimulationem colloquii admiſſus in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam diuini vigoris: gaudebatque ſi quis ſibi acriùs contuenti, quaſi ad fulgorem Solis vultum ſubmitteret; ſed in ſenecta ſiniſtro minus vidit: Dentes raros & exiguos & ſcabros: capillum leuiter inflexum & ſubflauum, ſupercilia coniuncta, mediocres aures; naſum & à ſummo eminentiorem & ab imo deductiorem: colorem inter aquilum candidumque: ſtaturam breuem &c. Hereditate Diui Iulii adita, quinque ſeorſim bella ciuilia geſſit, Mutinenſe aduerſus M. Antonium, Philippenſe aduerſus Brutum & Caſſium, Peruſinum aduerſus L. Antonium III. viri fratrem, Siculum in Sextum Pompeium Cn. filium, & Actiacum contra M. Antonium & Cleopatram. Mæcenate & Agrippa ſummis ſuis amicis vſus eſt. Obiit Nolæ æt. LXXVI. anno v. c. DCCLXVII. hunc aut nunquam natum eſſe, aut diutiùs vixiſſe oportuit. Anno eius imperii XLII. Chriſtus Saluator mundi in Bethleem Iudæ natus eſt.

Suetonius in Augusto, 79.

S. P. Q. R. CÆSARI AVGVSTO. *Facies Augusti*: VOTA Publica SVSCepta PRO SALute ET REDitu Ioui Optimo Maximo SACRum. *Miles dextra labarum, sinistra parazonium gestans.*

Solebant vota suscipere pro salute, &, si forte abessent, pro reditu Imperatorum; de iis ita Plinius Traiano. *Solemnia vota pro incolumitate tua (qua publica salus continetur) & suscepimus, Domine, pariterque & soluimus, precati Deos vt velint ea semper solui, semperque*
In Augusto cap. 97. *signari.* Vnde Suetonius, *cum lustrum in campo Martio conderet, aquila eum sæpiùs circumuolauit, transgressaque ad vicinam ædem super nomen Agrippæ ad primam litteram sedit, quo animaduerso, vota quæ in proximum lustrum suscipi mos est collegam suum Tiberium nuncupare iussit. Nam se quamquam scriptis paratisque tabulis negauit suscepturum, quæ non esset soluturus*: nam hoc augurio mortem sibi instare cognouerat. Cum autem sæpe & diu ab Vrbe abfuerit Augustus, non ita est facile coniicere, quem reditum hæc vota spectent, nisi fortasse eum intelligamus in quem anno V. C. DCCXLI. Senatui visum est in ipsamet curia aram ob Augusti reditum ponere, quod recusauit. ἔδοξε βωμὸν ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ ὑπὲρ τῆς τοῦ Αὐγούστου ἐπανόδου ποιήσασθαι. Redibat autem rebus Gallicis & Germanicis &
Lib. 54. Hispanicis confectis, vt est apud Dionem, aut quod magis placet rebus in Græcia peractis. *Cum enim exinde Augustus in Syriam peruenisset, Phraates quia nihil dum eorum quæ pactus fuerat præstitisset, veritus ne bello ab Augusto impeteretur, signa ei militaria & captiuos*
Dio lib. 53. *omnes misit, eaque Augustus quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit; Nam hanc rem magnæ sibi laudi ducebat*, &c.



VIC. AVG. *Victoria globo insistens.* COH. PRÆ. PHIL. *Tria signa militaria.*

Goltzius legit COHOR. quod si ita se res habet, celebrandæ cohortium Prætorianarum virtuti, quarum opera Philippensi prælio fuit egregia, nummus hic percussus est.

Nummi cum Augusti effigie laureata vel radiata. III. X. XVI.

Multi eiusmodi nummi variis numerorum notis ad XXXV. vsque excurrunt. credibile est singulis tribuniciæ potestatis annis, ab Augusto cudi curatos fuisse; anno autem XXXVI. trib. pot. mortuus est Augustus. Alii sunt nummi cum his notis qui auersa facie monstrosas spintriarum libidines exhibent, sed hi Tiberio potius quam Augusto tribuendi videntur: sic enim Suetonius, *Secessu vero Capreensi sellariam excogitauit, sedem arcanarum libidinum, in quam vndique conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat &c. Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciuissimarum picturarum & figurarum adornavit.* Quid autem sigilla hæc esse possunt præter impressas æri figuras. harum exemplum hic ne quæsiueris, quorum mentionem feciſſe penè pudet. In Tiberio cap. 43.

AVGVSTVS TRIBVNIC. POTEST. *in laurea.* P. STOLO III. VIR A.A.A. F.F.

TRium-Viri Auro Argento Aeri Flando Feriundo, quod munus indicant litteræ A. A. A. F. F. pluribus nummis vno Trium-virorum nomine diuersis impreſſæ, Menſarii apud Liuium nominantur. *Et Romæ quoque*, inquit, *L. Æmil. Paulo iterum, C. Terentio Varrone Coss.* hoc eſt anno V. C. DXXXVII. *Trium-Viri Menſarii rogatione Minutii Trib. plebis facti.* Atque his parebant Nummularii omnes atque formæ percuſſores. Horum numerum auxit C. Iulius Cæſar & IIII-Viros fecit, vt ait Dio. Hi tamen ſub Auguſto Trium-Virorum numerum & nomen retinuerunt, vt ex illis nummis apparet, *qui etiam Trium-Viros creauit legendi Senatum & Trium-Viros recognoſcendi turmas equitum*, anno DCCXLI. horum meminit Dio, his verbis, *Porro hi Viginti-viri in locum Viginti & Sex-virorum ſucceſſerunt: eorum tres ad capitalia iudicia ſunt ordinati, alii tres cudendo numiſmati præſunt*, &c. Apud Liuium ſunt Trium-Viri Epulonum, Trium-Virorum Monetalium miniſtri: Flatores qui ducendis metallis operam dabant, Suppoſtores qui rudem nec ſignatam pecuniam ſubiiciebant percutientibus malleatoribus, atque hi formam ſignabant. Quorum quidem nomina in veteri inſcriptione Romæ videntur, quam infra in nummi expoſitione à Tripolitanis cuſi in honorem Auguſti exhibebimus. Laurea in qua Auguſti nomen, forte ea eſt quæ ipſi a Senatu conceſſa eſt, vt jampridem Pompeio Magno, & Iulio Cæſari.

Suetonius in Aug. 37.

Lib. 54.

CÆSAR AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIÆ. *Caput Auguſti laureatum.* ROM. & AVG. Romæ & Auguſto. *Ara, vtrinque victoriæ alatæ palmam & coronam gerentes.*

QUod ſolebat in honorem Pro-Conſulis decerni à prouincialibus vt his templa dedicarentur, & Auguſto contigiſſe non mirum eſt. Illud vero inſignis aut diſſimulationis aut modeſtiæ quod in nulla prouincia; vt ait Suetonius, niſi communi ſuo RO- In Aug. cap. 52.
mæque nomine recepit: nam in Vrbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore. Defuncto Lepido Pontificatum maximum eſt adeptus, nec enim viuenti adimere ſuſtinuerat. Nomen Patris patriæ plebs prima per Legatos, tum frequens & laureata: demum Senatus omnium conſenſu detulit in curia, cum Val. Meſſala mandantibus cunctis: *Quod bonum*, inquit, *fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte, ſic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicæ & læta huic precari exiſtimamus: Senatus te conſentiens cum populo Romano, conſalutat* PATRIÆ PATREM. *cui lacrymans Auguſtus reſpondit his verbis, ipſa enim ſicut Meſſallæ ſunt verba, Compos factus votorum meorum, Patres Conſcripti, quid habeo aliud Deos immortalis precari, quam vt hunc conſenſum veſtrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat.* In quam rem percuſſus eſt iſte nummus. Cap. 58.



AVguſtus publice opera plurima extruxit, de quibus vel præcipua Forum cum ædæ Martis Vltoris: templum Apollinis in palatio, ædem Tonantis Iouis in Capitolio. quod nummum explicat. *Tonanti Ioui ædem conſecrauit liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur perſtrinxiſſet, ſeruumque præducentem exanimaſſet. In eius cellam ſedecim millia pondo auri, gemmaſque ac margaritas quingenties H-S vna donatione contulit.* Suet in Aug. cap. 29. Cap. 30.

Facies Auguſti. AVGVSTVS: *capricornus cornucopiæ gerens.*

Suetonius cap. 94.

IN ſeceſſu Apollonia, Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa Auguſtus aſcenderat, cum Agrippæ qui prior conſulebat, magna & pene incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere, perſeuerabat, metu ac pudore, ne minor inueniretur: Quâ tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita, exſiluit Theogenes, adorauitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, vt thema ſuum vulgaverit; nummumque argenteum nota ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſerit. Eodem ſpectat nummus aureus, apud Occonem, & æreus, in quo capricornus ſignatus eſt, tenens globum & temonem cum cornucopiæ, quibus indicatur orbem regimine ſuo beaſſe & locupletaſſe Auguſtum, quod illi fata præſtiterunt.



QUi munus Duum-Virorum coloniæ deducendæ ignorat, is rerum Romanarum non ſatagit. Etenim non minimæ erat gloriæ ad exteras gentes natiuam propagare gloriam quam tot ſub Auguſto monumentis firmatam vident poſteri. Romani, interdum etiam extranei idem munus in coloniis obibant quod Conſules Romæ, ſenatum quem curiam vocabant convocabant, Decurionibus Senatorum vices obtinentibus: vnde tot nummi duplici DD ſignati quod Decreto Decurionum perpetuò interpretamur. Et vt Romæ omnia ad nutum Imperatoris tranſigebantur, ſic in coloniis arbitratu Præſidis aut Proconſulis. Eiuſmodi Duum Virorum exempla ſunto hæc quatuor numiſmata in noſtris Familiis Romanorum iam deſcripta. Primum quidem ÆBVTIA, gente, alterum in POSTVMIA, tertium in QVINCTILIA, quartum denique in TERENTIA.

Ant. Auguſt. dialog. 6.

Victori pacatorique orbis Augusto in vniuersarum gentium applausu Hispania, quam missis constitutisque colonis auxerat, non defuit: cuius numismatum in hanc rem cusorum hæc sunt exemplа.



Avgvstvs Divi F. Facies Augusti. Caesar Avgvsta in corona rostrata aut laureata. Colonus instigans boues ad aratrum iunctos. Ara super qua vexillum.

Augusto ne per generum Agrippam, quem primum rostrata corona donatum Siculo prælio Dio testatur, gratulaturus Cæsar-Augustanus conuentus hunc nummum cuderit, an Augusti ipsius terra marique victorias innexa rostris laurea celebratura Cæsar-Augusta, dubium est. Nunc vocatur Caragoça Aragoniæ caput ad Iberum sita vulgo *Ebro*. *Cæsar Augusta colonia immunis amne Ibero affusa, vbi oppidum antea vocabatur Salduba regionis Sedetaniæ recipit populos* CLII. *Ex his ciuium Romanorum Bellitanos, Celsenses &c. Sunt enim septem Hispaniæ citerioris conuentus, Carthaginiensis, Tarraconensis, Cæsar-Augustanus, Clunienſis, Asturum, Lucensis, Braccarum.* Quod ad vexillum spectat, quod in quarto nummo cernitur, in ara erectum, Romanorum indicat reuerentiam erga Deos, quos omnium suorum bonorum autores potestatisque datores religiose venerabantur. Dum enim in aliquam regionem Coloniam deducebant, primùm aram extruebant, cui tandem vexillum militare imponebant, Diuinæ & Romanæ potestatis indices. Plinius lib. 3. c. 3.

Colonia Victrix Iulia Celsa nunc *Xelsa*. Cæsar-Augustanus conuentus ciuium Romanorum, vt supra dictum est.

CAlagurris aut Calagurrium ciuitas Hispaniæ in Vasconibus collocata, hinc Calagurritani qui in ea habitant, quorum alii Subulacenses aut Fibularenses, alii Nasaci cognominantur, inquit Lib. 3. cap. 3. Plinius. Calagurris vulgò dicitur *Calahorra*.

AVGVSTVS DIVI F. *Facies Augusti laureata.* MVN. ERGAVICA, *Bos.*

MUnicipium Ergauica nonnulli Ergauiam vocant. Citerioris Hispaniæ locus apud Vascones, quorum regio nunc Nauarra dicitur. Atque hoc municipium vel deletum iam vel sane ita obscurum, vt nullam eius mentionem inuenerim apud recentiores, nisi illud sit quod Ant. Augustinus *Alcaniz* vocat. *Latinorum veterum*, Dialog. 7. inquit Plinius, *Cascantienses, Ergauicenses* &c. Nisi sane Ergauica illa Lib. 3. c. 3. vetus Celtiberorum intelligitur quæ non longe à Mantua; nunc vocatur *Mondegiar:* sed ea longè distat Turiasone & Cascanto, cum quibus tamen Ergauienses coniungit Plinius. Cæterum bouem coloniæ symbolum esse quod colonia dicta sit à colendo; bobus autem arari soleat, omnibus ita notum est, vt nihil magis.

IMP. AVGVST. DIVI F. *Caput Auguſti.* MVN. ILERDA, *Lupa.*

EIuſdem prouinciæ Ilerda nunc Lerida Cæſar-Auguſtani conuentus cuius hæc pars nunc Catalaunia dicitur: vrbs eſt per ſe nobilis & bello quod ad eam Iulius Cæſar contra Afranium & Petreium Cn. Pompeii patris legatos ſummo diſcrimine geſſit, intercluſus ab exundante flumine Sycori, nunc *la Segre.* Ptolemæus lib. 2. cap. 6.

Colle tumet modico lenique excreuit in altum,
Pingue ſolum tumulo ſuper hunc fundata vetuſta,
Surgit Ilerda manu placidis prælabitur vndis.
Heſperios inter Sicoris non vltimus amnes. Lucanus lib. 4.

Plura vide apud Cæſarem. *Ilerdenſes Sardonum gentis*, inquit Plinius. De ea meminit Horatius, De bello ciuili & in Comm.

Aut fugies Vticam aut vnctus mitteris Ilerdam. 1. epiſt. 21.

& Lucanus,

Fundata vetuſta-Surget Ilerda manu.

Lupa autem an Ilerdæ teſſera an Romanæ dominationis ſignum dubito.

AVGVSTVS DIVI F. PATER PATRIÆ. *Caput Auguſti laureatum.* M.

AVGVSTA BILBILIS M. SEMP. TIBERI. L. LICI. VARO II VIR. *in corona quercea.*

BILBILIS *Caput Auguſti.* ITALICA. *Equos cum haſta currens.*

AVGVSTVS Caput Auguſti. BILBILIS. Equos cum haſta currens.

MUnicipium Auguſta Bilbilis Val. Martialis natalibus celebratum, nec me tacebit Bilbilis, inquit ille, & ferrariis officinis nobilis. *Hæc alibi atque alibi vtilior* aqua *nobilitauit loca gloria ferri* Plinius, lib. 34. c. 14.

ſicut Bilbilim in Hiſpania & Turiaſſonem. ambæ citerioris Hiſpaniæ vrbes. Bilbilis nunc dicitur Calataiud vrbs in Arragonia, eundemque equitem quem nummus alter refert pro inſignibus ſuis ſeruat. hæc autem dicitur ITALICA quod iure gaudeat Italico, priuilegiis nempe vni Italiæ conceſſis de quibus abunde Car. Sigonius. De ITALICA Beticæ vide infra nummum Tiberii. Curioſis lubens indicabo ineptum quendam cetera doctum mihi perſuadere voluiſſe, hanc, quæ in ſecundo nummo, effigiem cernitur, non Auguſti eſſe ſed Regis cuiuſdam Hiſpanici, quod falſiſſimum eſſe tertii nummi inſpectio ideo appoſiti ſatis probat: non enim modo Auguſti faciem exponit, ſed & in eo legitur AVGVSTVS quod omnem aufert dubitandi locum.

De iure Italiæ & prouinciarum.

IMP. AVGVSTVS P. P. *Caput Auguſti laureatum.* TVRIASO *Caput* ἀδηλον.

Turiaſſo à Plinio ex ſupra dictis celebratur: eius autem nullum veſtigium reperitur, niſi vrbs quæ nunc dicitur Tarazona in Arragonia.

Lud. Nonius in Hiſp. c. 76.

IMP. CAES. AVG. TR. PONT. MAX. *Caput Auguſti laureatum.* TI. CAESAR C. V. T. *Caput Tiberii.*

Poteſt intelligi COLONIA VICTRIX TARRACO, Tarracona nunc dicitur Archiepiſcopalis ſedes, in Catalaunia ad mare ſita. Tarraconenſis olim conuentus caput. Colonia Tarraco, inquit Plinius Scipionum opus, ſicut Carthago Pœnorum. Tiberius autem hic exprimitur qui in gloriæ partem venit poſt deuictam Hiſpaniam.

Lib. 3. c. 3.

Vrbs Victrix Osca Hiſpaniæ citerioris in Arragonia, nunc dicitur *Hueſca*. Oſcenſes regionis Veſcitaniæ, inquit Plinius, hos inter Hiſpaniæ populos non ignobiles fuiſſe modo ſed inter principes connumeratos docet Cæſar; vrbis antiquitatem nomen fortaſſis indidit: oſcum enim pro antiquo vſurpabatur. Oſcenſis argenti meminit Liuius, cuius centum & viginti millia pondo quadringenta triginta octo in ærarium tulit Heluius, & ducenta ſeptuaginta octo millia Q. Minucius. Nomen fortaſſis dederunt celebres argenti fodinæ quibus Hiſpaniam abundare docet Liuius. Lib. 3. c. 3 & 4. L. 1. de Bel. ciuili. L. 34. c. 17. Lib. 27.

. . . . Caesaris Avg. *Caput Auguſti.* Emerita, *Colonus agens iugum boum.*

Vrbs Luſitaniæ cocci baphici ferax. *Coccum Galatiæ rubens granum aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima laude eſt*, inquit Plinius. Lib. 9. c. 41. Ab emeritis militibus quos eo Cæſar miſerat ſic appellata; nunc vocatur *Merida* ad Tagum, caput Emeritani conuentus, nunc *Eſtremadura*. hanc Strabo Αυγόσταν Ημεριτὼ Auguſtam Emeritam vocat, quod ſecundum nummum illuſtrat ab Auguſto nimirum conditore, de quibus Dio conſulatur & Familiæ noſtræ Romanæ in gente Carisia, cuius plures nummi hanc coloniam celebrant. Pag. 62. *In Luſitania Pacenſes ſed & Emeretenſes iuris Italici ſunt.* De caſtri repræſentatione videas quæ ſcripſerit Dio, & quæ ad eiuſdem typi illuſtrationem in Tiberii nummo dicentur. Leg. VIII. Dig. de Cenſib. Lib. 53.



Caput armatum. NEM. COL. *Dea ſtans arrectos paſcens colubros.*
Caput armatum. NEM. COL. *Oleæ rami ſuper vas inverſum, in laurea.*

NEmauſus colonia Galliæ braccatæ apud Aremoricos hodie *Niſmes*, ſic dicta à Nemauſo Deo cuius effigiem auerſus nummus exhibet, ſi Scaligero & Grutero credimus: & certe apud
De Vrbibus. Stephanum, Nemauſus vrbs Galliæ à Nemauſo Heraclide ſic dicitur. Placet tamen Gaillardo Guirano eo libello quem de Nemauſo ſcripſit doctiſſimè, caput Romæ eſſe vel quod mauult Martis ipſius, atque Arecomicos ita dictos quaſi Ἄρεως κώμη, hoc eſt Martis pagus, quaſi ii præter cæteros Gallos religioſiſſimi Martis cultores fuerint. *Martem autem ſtudioſiſſime coluiſſe Gallos*, ait Cæſar. Salus in auerſo nummo cernitur colubris lancem præbens ad quam aſſurgunt. Quo ſpectent oleæ rami, vas inverſum & laurea in altero perexili Nemauſenſi nummo, non facile eſt coniicere.

DIVVS AVGVSTVS PATER. *Caput Auguſti radiata corona cinctum.* COL. A. A. PATRENS. *Colonus agens tugum boum.*

Lib.4.cap.4. VRbs eſt Peloponneſi, de qua ſic Plinius: *Patræ Colonia in longiſſimo promontorio Peloponneſi condita ex aduerſo Ætoliæ & fluminis Eueni M. paſſuum vt dictum eſt interuallo.* Propter opidum
cap.13. Patras Scioeſſa locus eſt, inquit Solinus, nouem collium capacitate vmbroſus, & radiis ſolis ferme inuiſus, nec aliam ob cauſam
in Select. numiſm. memorabilis. Inſcriptionem erudite explicat Illuſtriſſimus Seguinus. Vrbs Patrenſis primum conditorem ſuum agnoſcit Eumelum regionis illius indigenam, qui cum frumenti ſerendi rationem accepiſſet à Triptolemo, vrbem ſuam Aroam appellauit à terræ cultu ſumpto nomi-

nomine, Ἄροαν ὠνόμασεν ὅτι τῇ Ἐργασίᾳ ἡ γῆς vt tradit Pauſanias. Patreus Agenoris nepos Aroës pomœrio ampliato illam de ſuo nomine PATRAS vocauit. At Auguſtus poſt Actiacam victoriam, ciues Patrenſes bellorum iniuria diſperſos in illorum vrbem reuocauit, quod eius portum nauigationi opportunum exiſtimaret; vnde terno nomine dicta eſt AROA AVGVSTA PATRENSIS, à tribus conditoribus ſeu reſtauratoribus Eumelo, Patreo, Auguſto, quorum characteres in nummo leguntur. Iuxta hanc Io. Auſtriacus Chriſtianorum Præfectus in Turcas feliciter pugnauit, 1571. in Achaïcis.

DIVO AVGVSTO. *Caput Auguſti.* COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonus agens iugum boum.*

DIVVS. AVGVSTVS. *Caput Auguſti.* BER. *Neptunus ſtans.*

Coloniam Iuliam Auguſtam Felicem Berytum interpretor, de qua ſic Plinius, *At in ora etiamnum ſubiecta Libano fluuius Magoras, Beritus colonia quæ Felix Iulia à Iulio Cæſare appellatur.* Auguſtæ deinde titulum conſequuta eſt, quod in prœlio Actiaco Phœnices, in quibus Beritus, auxilium Auguſto tulerant, qui etiam ius Italicum iis dederat, de quo ita Vlpianus, *ſed & Berytenſis colonia eſt in eadem prouincia Auguſti beneficiis gratioſa, Auguſtina colonia dicta, quæ ius Italicum habet.* Nonnus Beritum omnium vrbium non modo antiquiſſimam verum & præſtantiſſimam aſſerit, quam etiam τῶν μητέρα τῶν νόμων Legum parentem nominat. Zacharias Scholaſticus Epiſcopus Mitylenenſis, Græcarum litterarum ſcholam, Iurisprudentiæ omniumque diſciplinarum academiam, Muſarumque domicilium. Hodie vocatur *Barut.* Secundum nummum explicat Strabo. Beritum enim non ab Auguſto, ſed ſub Auguſto ab Agrippa genero reſtitutam fuiſſe ſcribit. *Cum enim Trypho tyrannus eam pene deleuiſſet, Agrippa totius maris & oræ Præfectus Imperator & victor eam reparauit, colonia ſuperaddita ſtabiliuit, duabuſque legionibus firmauit.* His de cauſis grata ciuitas nummum percuſſit Diui Auguſti facie impreſſum, & Neptuno dextro pede proram nauis calcante, dextra manu delphinum, ſiniſtra tridentem ferente; is autem Neptuni typus in Agrippæ nummis eodem modo cernitur, de quibus infra ſuo loco dicetur. Lib. 5. c. 20. Leg. 1. Dig. de Cenſibus, & leg. 7. In Dionyſiacis. De mundi opificio contra Philoſophos. Lib. 16.

IMP. AVG. DIVI. F. *Caput Auguſti. retro caduceus. in auerſa verò parte Labyrinthus.*

QUid ſibi velit labyrinthus Hiſpanico vt Occoni placet nummo impreſſus non facile eſt coniicere. Si vero in Ægypto percuſſus fuerit quod magis congruum videtur, utrumque tamen videtur innuere impolitus, ruſticus & minus bene ſculptus nummus, non erit difficile Thebanum ſeu Memphiticum labyrinthum in memoriam reuocare quod deuictam cum Ægypto Cleopatram denotat, pacemque orbi redditam, quare appoſitus eſt caduceus, in gloriam nimirum gentium victoris Auguſti. Quod autem in eam adducar ſententiam, facit nummus M. Aurelii Imp. ſimili labyrintho ſignatus, cui appoſitus eſt crocodilus, Ægyptum perpetuo denotans.

Bibloth. hiſtor. lib. I. De quo quidem labyrintho hæc Diodorus Siculus; Μένδης ὃν τινες Μάρρον προσονομάζουσιν, τάφον ἑαυτῷ κατασκεύασε τὸν ὀνομαζόμενον λαβύρινθον &c. hoc eſt; *Mendes quem nonnulli Marum vocant Ægypti Rex ſepulchrum labyrinthi nomine ſibi conſtruxit, non tam mole admirandum, quam artificio inimitabile. Ingreſſus enim ipſum non facile exitum, niſi ducem peritiſſimum nactus, reperire poteſt. Sunt qui Dædalum quoque in Ægyptum ferunt delatum, demiratumque operum illic ſolertiam. Minoi Cretenſium Regi labyrinthum ad Exemplar Ægyptii concinnaſſe, in quo Minotaurum, quem dicunt, verſatum eſſe fabulantur. Atqui Cretenſis vel à Regum aliquo exſtructus, vel longinquitate temporis vitiatus intercidit; cum Ægyptius ad noſtræ ætatis tempus ſtructuram prorſus integram conſeruarit.* Florebat autem Diodorus temporibus Auguſti.

CÆSAR AVGVSTVS. *Caput Auguſti.* COR. M. BELLIO PROC. II. VIR. *Pegaſus Corinthi typus.*

CAIVM DVELLIVM M. *filium qui Pœnos claſſe deuicerat redeuntem à cœna ſæpe videbam puer: delectabatur crebro funali & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo priuatus ſumpſerat, tantum licentiæ dabat gloria,* inquit Cato maior apud Ciceronem. Duelliam hanc gentem inferioris ætatis quadam in loquendo mollitia Belliam eſſe appellatam ex Cicerone facile colligitur: *Quid vero licentius,* inquit, *quam quod hominum etiam nomina contrahebant quo eſſent aptiora, nam vt duellum bellum, & dueis bis, ſic* DVELLIVM *eum qui Pœnos claſſe deuicit,* BELLIVM *nominauerunt.* M. hic Bellius primùm Antonio militauerat, cuius & ad Cleopatram Ægypti reginam & ad Artauaſdem Armeniæ regem legatus fuerat, deinde Auguſti partes ſecutus eſt cui erat & a conſiliis & a ſecretis; ſic enim Dio, Μαθὼν δὲ ὁ Καῖσαρ καὶ τὰ βέλτιστα σφῶν περί τε ἄλλων καὶ περὶ τῶ ΔΕΛΛΙΟΥ &c. hoc eſt, *Sed vbi Cæſar conſilium eorum ex aliis ac maximè* DELLIO *intellexit* &c. & hoc ipſo die pugnæ Actiacæ contigit. In quorum fortaſſis pretium, Duum-viratum nauale apud Corinthum accepit, cuius monumentum hic habes: ſi plura de Duellia gente quæras, conſule, quæ ſcripſimus in FAMILIIS ROMANORVM, de gente BELLIA. Beneficiorum Iulii gratam apud Corinthios recordationem nummus hic declarat. *Vltra forum,* inquit Pauſanias, *Octaviæ ædes eſt Auguſti ſororis qui Cæſari in Imperium Rom. ſucceſſit, ei nempe à quo eſt Corinthus reſtituta.* de Corintho & Bellerophonte vide in Iulii nummis pag. 18.

De Senectute. In Oratore. Lib. 49. Lib. 50. In Corinth. Lib. 2.



REX PTOL. *in corona.* . . . . . SAPILVS II-V. Q.

Detrimentum nummi reliquam inſcriptionem eripuit: Vnum Ptolemæum Regem demonſtrat, quem certum eſt filium fuiſſe Iubæ Mauritaniæ Regis, deſponſatum M. Antonii Trium-Viri & Cleopatræ Reginæ filiæ. Hanc *Cleopatram* Plutarchus, *Helenam* Suetonius nominat, hoc eſt σελήνην, quod à parentibus Luna & Iſis
Dio lib.59. diceretur, vt frater Alexander Oſiris. *Cæterum Caius Caligula Ptolemæum Iubæ filium euocauit, ac cum cognouiſſet de eius diuitiis necauit,*
Turnebus lib.27.cap. 20. quod quidem bellum excitauit in Mauritania. *Romana arma primum Claudio principe in Mauritaniam bellante Ptolemæum regem*
Lib.5.cap.2. *à C. Cæſare interemptum vlciſcente liberto Ædemone*, inquit Plinius. Illius Ptolemæi exhibet numiſma Læuinus Torrentius, faciem ab vna
In comment. ad Caligulam Suetonii. parte cum inſcripto nomine, ab auerſa ſiſtrum cum ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ vxoris eius characteribus. De Sapilo, an ſit pars nominis, an totum nomen, dubitatur; tota res ignoratur.



IMP. CAESAR AVGVSTVS. *Caput Auguſti.* COL. IVL. *Colonus agens iugum boum.*

Coloniarum ſymbolum, ſed cuius hoc ſit monumentum, ignoro. Plures enim colonie dictæ ſunt Iuliæ, vel quod beneficium aliquod accepiſſent à Iulio vel quod ab eo fuiſſent conditæ, ſic Corin-
Suetonius in Aug. cap.46. thus, Berithus, & Leptis ex ſuperioribus Iuliæ dictæ ſunt. *Ad hunc modum vrbe vrbanisque rebus adminiſtratis, Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab ſe frequentauit; operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit: etiam iure ac dignatione vrbi quodammodo pro parte aliqua adæquauit, excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus vrbicis decuriones colonici in ſua quiſque colonia ferrent: & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent.*

Maris Ægei incolis omnibusque adeo gentibus maria aperuerat Augustus, plenamque commercii, quo vno constant maritimarum vrbium opes, potestatem fecerat. Id testatur Suetonius nautas Augusto thura libantes, fausta omina & eximias laudes congerentes prædicans, *per illum eos viuere, per eum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui.* Debitam ergo mercedem gloriæ retulerunt Coi quorum insula nobilis est & Herculi dicata. Ῥόδος δ' ἦν καὶ Κῶς, ἀλλ' ᾠκεῖτο ὑφ' Ἡρακλειδῶν, inquit Strabo, hoc est, *Fuerunt autem Rhodus & Co, sed ab Herculis posteris incolebantur.* ἐν δὲ ᾧ προαστείῳ τὸ Ἀσκληπιεῖον ἐστὶ σφόδρα ἔνδοξον καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστὸν ἱερὸν . . . . φασὶ δ' Ἱπποκράτην μάλιστα ἐκ τῶν ἀνακειμένων θεραπειῶν ἐνταῦθ' γυμνάσασθαι τὰ περὶ τὰς δίαιτας. Hoc est, *In suburbio Æsculapii templum est celeberrimum & donariorum plenum . . . . Aiunt autem ex descriptis & appensis ac dedicatis curationibus Hippocratem exercuisse ea quæ ad victus rationem pertinent.* Inde

1. claua atque serpens intortus virgæ. Sophoclem autem cuius nomen additum est, aut huius ædis, aut vrbis ipsius atque insulæ Præfectum fuisse credibile est. Forsitan Augusto ex morbo conualescenti cusus est ille nummus & Æsculapio; ob quam rem iuxta Æsculapii signum Antonio Musæ medico statua ære publico posita fuerat, τὰ τοῦ Θεοῦ προσποιουμένῳ inquit Xiphilinus, hoc est, *Dei beneficia sibi arroganti.*

2. Eodem spectat alter nummus cum capite Iouis laureati, aut Herculis, in quo Augustus hoc vno verbo notatur ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Σεβαστὸν autem cur dixerint Romani, docet Dionis abbreuiator: *Volebat*, inquit, *Romulus vocari, sed inuidiæ declinandæ causa ne Regis vllius nomen affectare videretur, maluit dici Augustus.* ὡς πλεῖόν τι ἢ κατ' ἀνθρώπους ὤν. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα Αὐγουστὰ προσαγορεύεται. ἐξ οὗπερ καὶ Σεβαστὸν αὐτὸν ἑλληνίζοντες προσεῖπον οἷαπέρ τινα σεπτόν. Hoc est, *Tanquam aliquid esset supra hominum conditionem; nam quæ in honore atque cultu sunt ea Augusta vocantur, vnde qui græcissabant* σεβαστὸν *vocabant quasi Sanctum.*

Cap. 98.
Plinius
Lib. 14
In Augusto.
Xiphilinus in August
Suetonius cap.
Dio lib 53.

ΚΑΙΣΑΡ. Cæſar. *Caput Auguſti.* ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Auguſtus. *Luna falcata cum cometa.*

Stellam crinitam ſeu aſtrum Diui Iulii in gratiam Auguſti Cæſaris, quænam ex ciuitatibus Græciæ ſignauerit in hoc nummulo, mihi non liquet.



ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. Tripolitanorum. *Facies Auguſti habitu Apollinis cum cithara. In auerſo nummo Græci characteres ſed ſine ſenſu barbaris admixti, forte* ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ.

Tripolis alia Syria eſt Phœniciæ, quæ nunc Turcis *Trapoli* dicitur, vt ait Leonclauius, Italis *Tripoli di Souria*, à Sultano Babyloniæ vaſtata anno Chriſti MCCLXXXIX. poſtea refecta: ſic dicta vel quod tribus vrbibus conſtaret, vel *quod trium populorum eſſet colonia, Aradi, Tyri & Sidonis*, vt ait Stephanus: Alia vrbs Africæ littoralis apud Syrtim paruam Taphris, & ipſa conſtans Abrotono & Lepti magna, nunc *Tripoli di Barbaria.* Erant & aliæ eius nominis minus celebres: Vnam in Theſſalia collocat Liuius, alteram in Caria Stephanus, aliam Plinius in Lydia. Quænam autem hunc nummum fabricauerit, ignoro. Certe quod ad Auguſtum ſpectat; *Cœna eius*, vt ait Suetonius, *ſecretior in fabulis fuit quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, quaſi Deorum duodecim, in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe conuiuas & ipſum pro Apolline ornatum.* Sic fortaſſis Apollinem reuerebatur poſt prælium ad Actium commiſſum, in cuius promontorio Apollinis templum erat, quod teſtantur nummi hiſce typis toties ſignati, ΑΠΟΛΛΙΝΙ ΑΚΤΙΟ. Suetonius narrat, *Auguſtum etiam Apollinis filium exiſtimatum eſſe.* vnde etiam Auguſtus Apollo dictus eſt, quod teſtantur plures inſcriptiones ex quibus ſequentem ſelegimus.

Cap. 70.

Ex Gruter. inſcript. pag. 1066.

APOLLINI AVG.
SACR.
FELIX AVG. LIB. OPTIO ET
EXACTOR AVR. ARG. AERIS
ITEM SIGNAT. SVPPOSTORES
MALLEATORES MONETÆ CAESARIS N̄.

Romæ in ædibus Sabellorum in theatro Marcelli

A latere sinistro sunt nomina Officinatorum.

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΛΟΥΣΙΑΣ ΥΠΑΤΟΣ. Cæsar Augustus Plutia Consul, *Caput Augusti.* ΑΠΟΛΛΑΞ ΦΑΝΙΟΥ ΑΜΕ.. *Minerua victrix.*

Verecundiam Augusti & ciuilitatem ignorat nemo, nisi qui Augustum ignorat. præclarum monumentum quod in oppido consulatum sibi deferri æquo animo tulerit, ita vt eius etiam rei quasi accepti beneficii testimonium exstare non sit dedignatus. Plutia autem nunc *Piazza*, teste Aretio, oppidum fuit in Sicilia geminum, nouum & vetus, optime habitatum, cuius mentio exstat apud Ciceronem. Apollax Phaniæ filius vrbis Præfectus suum nomen adiecit, vel Apollonius. Cœtera vetustate detrita sunt, vt legi non possint. Mineruam victricem insculpsit, vel vrbis illius stemma, vel commendando pacatori & victori orbis Augusto.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Augusti.* ΑΣΚΑΛωνειτων. Ascalonitarum. *Figura stans.*

Ascalon vrbs est Palæstinæ nunc *Scalona*, vna ex quinque primis Philistinorum vrbibus. ἐν ᾗ ᾧ μεταξὺ καὶ ἡ Γαδαρὶς ἐστιν ἣν καὶ αὐτὴν ἐξιδιάσαντο οἱ Ἰουδαῖοι εἶτ' Ἄζωτος καὶ Ἀσκάλων. hoc est, *Interiacet Gadaris*, *quam ipsam quoque Iudæi suam fecerunt, postea Azotus & Ascalon.* Strabo lib. 16. Lib. 5. cap 13.

Strabo lib.16. *Oppidum Ascalo liberum*, inquit Plinius. *Ascalonensium regio præcipuè cepas fert, vrbs ipsa non est magna.* Quid in auerso nummo significetur non satis liquebat, hanc tamen eo expressam Semiramidem coniicio, tum ex sceptro coram apposito, tum ex habitu illustris illius Rginæ corona capiti imposita, columbaque ramo innixa: Biblioth. historic. lib. 2. cuius originem sic narrat Diodorus Siculus, κατὰ δὲ Συρίαν τόπων ἐστὶ πόλις Ἀσκάλων &c. hoc est, *Est in Syria vrbs Ascalon, à qua non procul ingens & profundus lacus piscium copia abundans, & in* Plin. lib. V. cap. XIII. *vicinia illustris Deæ templum quæ Derceto Syris vocatur, facie mulierem & toto aliàs corpore piscem referens: idque has ob causas, accolarum hic disertissimi fabulantur: Venerem ab illa offensam, acrem iuuenis in sacrificantium turba non inelegantis amorem Deæ iniecisse; susceptaque è complexu Syri filia, cum facinoris eam puderet, iuuenem necasse, puellulamque in petricosum quemdam locum ac desertum exposuisse; ipsam vero pudore & mœrore compulsam in lacum se abiecisse, in piscem inde transformatam: hinc factum vt Syri etiam nunc ab id genus animante abstineant, Deorumque ritu pisces colant. Cum vero ad expositæ infantis locum magna columbarum vis nidularetur, miro quodam fato & nutricatio & salus ei contigit; alarum enim complexu corpusculum infantis fouere, & in vicinis attegiis derelictum à bubulcis aliisque pastoribus lac obseruare rostrisque exceptum mediis eius labris, vt alteræ nutrices, instillare. Cumque annum egressa firmiore indigeret nutrimento, de caseis quantum sat esset decerptum illi suggerebant. Pastores autem reuersi cum caseos viderent circumrosos, primo rem insolitam mirari, tum obseruatione adhibita causam deprehendere. Virgunculam enim decora forma insignem reperere, quam in magalia deportatam, regiorum iumentorum magistro, cui Simmæ nomen, donarunt. Is liberis carens puellam vti filiam accuratissime educauit, & Semiramidis nomen imposuit, Syrorum lingua à columbis deriuatum, quas Syrarum deinde natio vt Deas per-* Lucian. de Dea Syria. *petuò veneratur. Hæc de Semiramidis ortu fabulosè narrantur, quam iam maturam nuptiis formæque pulchritudine longe virgines alias supereminentem, Menones regii Senatus Princeps & Syriæ totius Administrator amore captus in vxorem duxit.* & paulo post, *Eam tamen Ninus Rex Assyriorum & propter corporis venustatem morumque elegantiam & propter egregia facta & præcipuè ob expugnatam eius astu Bactram, tantopere dilexit vt Menoni marito persuadere sit conatus, vt sponte sibi illam concederet, suam ei filiam Sosanam pro merito isto in matrimonium pollicitus. Eo conditionem repudiante oculos se homini euulsurum, ni pareat, Rex minatur. Menones igitur regiæ interminationis metu & amoris impotentia ad rabidum furorem adactus, iniecto se laqueo suspendit; atque hac Semiramis occasione ad regium euecta est splendorem, &c.* Credibile est horum memoriam suis nummis

Ascalo-

Aſcalonitenſes poſteris conſignaſſe. Cur autem id ſub Auguſto factum fuerit, arbitror deuictam Syriam Ægyptumque poſt pugnam ad Actium, harumque vrbes M. Antonio iampridem fauentes aut veniam petentes aut gratulabundas Cæſari, hiſce glorioſis teſtimoniis animum eius placare voluiſſe.

Caput Auguſti absque inſcriptione. ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. *Damaſcenorum.*

Damaſcus Syro-Phœniciæ caput vrbs fuit celeberrima. Genius vrbis capite turrito rupi inſidet, quemadmodum frequens eſt in vicinæ Antiochiæ nummis typus, cum eadem infra pedes figura natantis ſpecie: quid illa teneat præ manibus obſcurum foret, niſi palmarum vbertas in iis regionibus fructus denotaret, dactilos nempe ſeu dactilorum pruna: hinc pruna Damaſcena, de quibus Athenæus facit mentionem. *Aliquantulum agrorum Damaſcenſibus Magnus Pompeius dedit*, inquit Paulus Diaconus, *quo lucus ibi ſpatioſior fieret, delectatus loci amœnitate & palmarum*, alii legunt aquarum, *abundantia.* Doctiſſimus Triſtanus duos Damaſcenos nummos excudi curauit, quos pro more accuratiſſimè explicauit; illi tamen à meo plurimum differunt. lib. VI.

ΕΓΗΣΤΑΙΩΝ. Segeſtanorum. *Caput Auguſti. in auerſo nummo Æneas Anchiſem cum Penatibus exportans, ſequente Iulo.*

Segeſtanos vocat Cicero, de cuius nominis formatione Feſtus, *Segeſta*, inquit, *quæ nunc appellatur oppidum in Sicilia eſt, quod videtur Æneas condidiſſe præpoſito ibi Egeſto, qui eam Egeſtam nominauit: ſed præpoſita eſt littera s, ne obſcæno nomine adpellaretur, vt factum eſt in Maleuento, quod & Beneuentum dictum eſt.* Ἔγεστα πόλις Σικελίας ἀπὸ Ἐγέστου τοῦ τρωός. *Egeſta*, inquit Seruius, *Hippotis filia ne belluæ obii-* In Verrem. In lib. I. Æneid.

obiiceretur à patre nauigio impoſita ventis procellisque permittitur. Hæc ad Siciliam delata à Criniſo fluuio in vrſum aut canem verſo compreſſa edidit Egeſtum quem Virgilius Aceſtem vocat, qui ex matris nomine ciuitatem Troianis condidit quæ ante Egeſta, poſt Segeſta dicta eſt.

Virg. lib. 5. Æneid.

At procul excelſo miratus vertice montis
Aduentum, ſociasque rates, occurrit Aceſtes
Troia Criniſo conceptum flumine mater
Quem genuit. ———

Quid mirum ergo Æneæ effigiem auerſo nummo ab Segeſtanis impreſſam fuiſſe, cum apud eos à Dionyſio Halicarnaſſeo memoretur templum in Æneæ memoriam conditum. Ἱερὸν Αἰνείᾳ ἱδρυμένον ἐν Αἰγέστῃ τῶν ὑπολειφθέντων ὑπὸ τῆς φλογὸς τῇ μνήμῃ θ' σώσαντος σφᾶς ἀναθήμασι ποικιλμένων; relictis ibi è naufragio ſeruatori ſuo gratiam referentibus. Εμπόριον Σεγεσταίων apud Ptolemæum nunc *Caſtello à mare* vocatur, vt ait Aretius.



ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. Cæſar Auguſtus Pontifex. *Caput Auguſti.* ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. Pontificiam Antiochenſes. *Corona.*

In gloriam Auguſti Pontificum collegium apud Antiochiam magiſtratus delati benigne accepti monumentum æternitati conſecrauit. Antiochia vna eſt in Ciliciæ littore à Ptolemæo commemorata nunc Antiochetta, Epiſcopatus ſub archiepiſcopatu Seleucienſi quæ occaſionem dedit Antiquariis typum nummi portum repræſentare. Appianus tradit ſexdecim ciuitates nomine Antiochias à Seleuco Nicatore conditas in memoriam paterni nominis, quarum illuſtriſſima fuit Antiochia illa quæ ſub Libano monte condita erat; ſed cum pleræque ſint mediterraneæ, portusque nullus ibi eſſe poſſit, has omittimus, alioque typum reuocandum cenſemus: refert enim potius coronam quam portum, quæ inſcriptioni iuncta στέφανον ἀρχιερατικὸν coronam ſupremo ſacerdoti dicatam Imperatori ab Antiochenſibus oblatam repræſentat. Coniecturam auget inſcriptio circum caput CÆSAR AVGVSTVS PONTIFEX, quaſi eius pontificatui is honor deberetur: nec me mouet tot Antiquariorum ſententia, Triſtani præcipuè, qui portus tantum mentionem fecerunt, coronæ nequaquam.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Cæſaris Auguſti. *Caput aut ſolum, aut Liuiæ capiti iugatum.* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. Regis Rhœmetalcis. *caput aut ſolum, aut vxoris capiti iugatum.*

Cum Rhœmetalce diademate coronato Auguſtus aut laureatus, aut capite nudo cernitur: nihil enim ita timebat vt Regis nomen & inſignia. Mutuis autem officiis Auguſtum Rhœmetalces, illum viciſſim Auguſtus demeruerat. Nam M. Lollius in Thracia Rhœmetalci auunculo & tutori liberorum Cotyos auxiliatus Beſſos fugauit, anno V. C. DCCXXXVIII. Rhœmetalces autem Batonem Dalmatam profligauit. *At ea pars quæ obuiam ſe effuderat exercitui, quem Aulus Cæcina & Siluanus Plautius Conſulares ex tranſmarinis adducebant prouinciis, circumfuſa quinque legionibus noſtris auxiliaribuſque & equitatu regio, (quippe magnam Thracum manum iunctus prædictis ducibus Rhœmetalces Thraciæ Rex in adiutorium eius belli ſecum trahebat) pene exitiabilem omnibus cladem intulit,* &c. Cum autem in Macedoniam rurſus impetum Dalmatæ facerent, καὶ τότε μὲν ὅ, τε Ῥυμηταλκης καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτῦ Ῥασκύπολις μάχῃ κατέλαβον. hoc eſt, *Hos Rhœmetalces & frater eius Raſcupolis pugnando confecerunt*, anno V. C. DCCLIX. Maxima poſtea durauit hunc inter & Cæſarem coniunctio, cui Cotyos ditionem dedit Caligula, anno V. C. DCCXIC. Capricornus his nummis appoſitus quo ſpectet nemo neſcit, de quo adi Suetonium, & nummum ſupra ſcalptum pag. 32. Cœterum tacere non debeo ſimilem primo nummo videri apud magnum Hetruriæ Ducem, in quo quintum caput videre eſt, nempe Veneris, quod ad originem gentis Iuliæ pertinet.

Dio lib. 54.

Vel. Paterculus lib. 2.

Dio lib. 55.

In Auguſto cap. 94.

Caput Apollinis aut Auguſti, mallem vtriusque. ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ Cæſareæ. *Aquila in vertice montis.*

In Auguſto. cap. 60. Ita multæ ſunt Cæſareæ, vt vix ſciri poſſit ad quam earum hic nummus pertineat. *Reges, amici, atque ſocii,* inquit Suetonius, *& ſinguli in ſuo quisque regno Cæſareas vrbes condiderunt, & cuncti ſimul ædem Iouis Olympici, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi ſumptu deſtinauerunt, Genioque eius dedicare.* De bell. Iud. lib. 1. cap. 16. Teſtis ſit Ioſephus his verbis, *Oppidum autem prouinciæ dedicauit, rebusque aduectitiis portum, Cæſari vero conditoris honorem, vnde ciuitati nomen Cæſareæ impoſuit.* Breuiarii lib. 7. Eutropii verba rem noſtram fere dirimunt. *Tanto autem amore etiam apud Barbaros fuit,* Auguſtus, *vt Reges populi Romani amici in honorem eius conderent ciuitates, quas Cæſareas nominarent: ſicut in Mauritania à Rege Iuba, & in Paleſtina, quæ nunc eſt vrbs clariſſima.* ad quam poſtremam pertinere videtur noſter hic nummulus.

ΚΑΙCΑΡ ΑΥΓΟΥCΤΟC Cæſar Auguſtus. ΚΥΔΩΝΙΑ. Cydonia. *Lupa lactans puerum.*

Lib. 51. Cydonia vna ex præcipuis Cretæ vrbibus hoc monumentum Auguſto conſecrauit ob reſtitutam libertatem. hæc illi auxilium tulerat. de quo conſulendus Dio. Lib. 3. Huius præclaram facit mentionem Florus his verbis, *Metellus,* inquit, *totam inſulam igni ferroque populatus intra caſtella & vrbes redegit, & Gnoſſum & Erythræam, & vt Græci dicere ſolent, vrbium matrem Cydoneam.* Cydonios Cretenſesque magnanimos nuncupat Homerus,

Ἐν θ' Κρῆτες μεγαλήτορες, ἐν θ' Κύδωνες.

Anton. Liberal. Metamorph. 30. Quod exhibet auerſus nummus, ad Miletum pertinet. Is Apollinis & Acal-

& Acallidis filiæ Minois filius, expoſitus à matre lupæ vberibus educatus eſt, grandior factus in Cariam fugit, vbi Miletum condidit. Ceterum Cydonia hodie Canea nuncupatur Turcarum & Venetorum continuis fere pugnis, & obſidionibus, clara.

KAICAPOC. Cæſaris. *Spica. L.* Palma.

Cum Auguſtus M. Antonium viciſſet ad Actium, illum cum Cleopatra in Ægyptum fugauit: illo mortuo hæc etiam ſerpentis morſu mortem ſibi intulit. Vtriuſque fato Ægyptus tota in Auguſti poteſtatem devenit, quæ quaſi Imperatori ſuo gratulabunda hoc anno fecunditatem ſuam auxit. vnde Virgilius de Auguſto: Lib. 1. Georgicorum.

——— *& te maximus orbis*
Auctorem frugum tempeſtatumque potentem
Accipiat ———

Auguſtus Ægyptum in prouinciæ formam redactam, vt feraciorem habilioremque annonæ vrbicæ redderet, foſſas omnes in quas Nilus exæſtuat oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſit. Hæc omnia denotat exiguus nummus, ab vna parte ſpicam repræſentans fertilitatis Symbolum, ab altera palmam Alexandriæ typum. Sueton. in Auguſto.

Quoniam numerales characteres frequenter in nummis occurrunt, de his differendum eſt. Annum primum Imperii L. A. denotant. alphabetico quodam ordine litterales characteres numerum deſignare, apud Græcos mos eſt. ſic A. primum, B. ſecundum indicat, ι decimum, ια vndecimum, κ vigeſimum, κα vigeſimum primum. de quibus conſulantur Grammatici Græci. L. autem ſic explicat Macrobius, *Priſci Græcorum primam lucem quæ præcedit ſolis exortus* λύκιω *appellauerunt,* ἀπὸ τοῦ λευκοῦ, *id eſt luce temporis. Annum quoque vetuſtiſſimi Græcorum* λυκάβαντα *appellant* τὸν ἀπὸ τοῦ λύκος *id eſt ſole* βαινόμενον καὶ μετρούμενον λύκου *autem ſolem vocari, etiam Lycopolitana Thebaidos ciuitas teſtimonio eſt, quæ pari religione Apollinem, itemque lupum, hoc eſt* λύκον *colit, in vtroque ſolem venerans, quod hoc animal rapit & conſumit omnia in modum ſolis.* hæc Macrobius. Saturnal. lib. 1.

Divvs Avgvstvs Pater. *Facies Augusti radiata corona ornati. Typi auersi infra explicantur.*

Diuinitatis monumenta & honorum Augusto post excessum S.C. decretorum, hic habes. corona radiata quæ inclinante & labante iam imperio viuis atque in Diuos relatis fuit promiscua tunc temporis, nonnisi post apotheωsin tribuebatur. Pater autem dicitur Augustus, quasi caput gentis suæ, vt Sardus Pater dicitur, vel vt Pater patriæ, quod nomen ille à cunctis solennitate ludorum per Val. Messallam delatum præ gaudio lacrymabundus acceperat: vel vt Liber Biblioth. hist. lib. 3. pater, à liberando, vel vt Iuppiter quasi *iuuans pater, nomine Diis conueniente, quod omnibus sese æquum & humanum præbuerit*, inquit Diod. Siculus, καὶ παρεχόμενον ἑαυτὸν πᾶσιν ἐπιεικῆ καὶ φιλάνθρωπον, ὑπὸ δὲ πλήθους πατέρα προσαγορευθῆναι. Aræ autem viuo etiam videntique Augusto ponebantur;

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Epist. 2. *Iurandasque tuum per numen ponimus aras.*

inquit Horatius.

Prudentius cōtraSymm. libro priori.
Hunc morem veterum docili iam ætate sequuta
Posteritas, mensa atque adytis & flamine & aris
Augustum coluit, vitulo placauit & agno,
Strata ad puluinar iacuit, responsa poposcit.
Testantur tituli, produnt consulta senatus
Cæsareum Iouis ad speciem statuentia templum.

Eò spectant & agnus & vitulus iuxta templum Augusto dicatum

1. collocati in primo nummo; ſiue templum illud Romæ conſtructum fuerit, ſiue Nolanum intelligitur, *Nolæ enim domus in qua deceßit Auguſtus, in templum mutata eſt*, inquit Dio, καὶ οἱ καὶ ἡ ἐν τῇ Νώλῃ οἰκία Lib. 56.
2. ἐν ᾗ μετήλλαξεν ἐτεμενίσθη. Bos etiam procumbens in ſecundo, quaſi victimario ferienti collum præbens eandem indicat venerationem: quam etiam teſtantur plura inſcriptionis fragmenta apud Fratres Aruales,

. . . . . MINERVÆ VACCAM Gruter. inſcript. pag 117.

DIVO AVGVSTO BOVEM MAREM . . Triſtanus quidem vir de antiquitate optimè meritus coniecturam præbet huic explicando nummo quem ad taurum cœleſtem reuocat: ſed inſcriptio hæc antiqua mihi verius rem declarare videtur. Comm. hiſt. t. 1. p. 32.

3. Tertius ſtatuam conſularem exhibet in ſella ſedentem & togatam, orbem ſiniſtra, dextra ramum oleæ gerentem, quaſi orbis pacatori CONSENSV SENATVS ET EQVESTRIS ORDINIS POPVLIQVE ROMANI ſignum hoc publicè poſitum fuerit. Eô etiam ſpectant ara, fulgur, temo & gubernaculum orbi impoſitum, & victoria clypeum præbens cui S. P. Q. Romani characteres impoſiti ſunt. Iouis ales in pleriſque cernitur toti orbi quaſi prædæ incubans, qua animas heroum in cœlum rapi credebant, vt de eodem Auguſto narrat Dio his verbis, κἀκ τούτου δᾶδας ἑκατόνταρχοι ἅς που τῇ βουλῇ ἐδεδώκει Lib. 56. λαβόντες ὑφῆψαν αὐτήν, καὶ ἡ μὲν ἀνηλίσκετο, ἀετός δέ τις ἐξ αὐτῆς ἀφεθεὶς ἀνίπτατο, ὡς καὶ δὴ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀναφέρων; hoc eſt: *Poſt hæc Centuriones acceptis facibus iuſſu Senatus rogum ſuccenderunt: eo abſumpto, aquila ex eo emiſſa ſurſum volauit, quaſi animam Auguſti in cœlum ferens.* Quæ omnia tanti fecere Auguſti poſteri, vt ea reſtituere dignati ſint, ne horum memoria intercederet, paſſim Titi, Domitiani, Neruæ nomina inſcripta ſunt.

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΔΗΜΟΦΩΝ. Auguſtum. Demophon. *Templum in quo figura ſtans.*

ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Pergamenorum & Sardianorum.

Figura ſtans alteri coronam imponens.

Aliud cum diuerſa inſcriptione

Auguſtum templum hic cernitur quod in honorem Auguſti totus fere orbis in omni regione ædificari curauit. καὶ αὐτῷ εἴτε τῇ Ῥώμῃ Dio lib. 56.

ἡρῶον ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δ' ὑπό τε τῆς Λιουίας καὶ ὑπὸ Τιβερίου ἐπιτηδ. &c. hoc eſt, *Decretum enim Romæ Auguſto ſacrarium à Senatu, à Liuia autem & Tiberio factum.* alibi quoque multis locis ei fana extructa ſunt à populis, partim volentibus partim invitis, idque ſub annum DCCLXVI. Templum in ſua regione condiderunt Sardiani & Pergameni gratiam referentes Imperatori, quem & Diuum colebant: Auguſta nominata ſunt. Quiſnam ſit ille Demophon in primo nummo mihi non liquet; vt ille Cephalion in ſecundo ſiue reuera nomen ſit, ſiue Præfectum ſcribarum ſignificet. Cur figura ſtans alteri coronam imponat ſcire maxime cuperem.



..... AVGVSTA. *Caput Liuiæ velatum .... Caput Auguſti.* ΛΙΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, Liuia Auguſta. *Caput Liuiæ.* ΠΑΤΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ, Patris Patriæ. *Duplex cornucopiæ.*

Sueton. in Aug. cap. 62. *Liuiam Druſillam matrimonio Tiberii Neronis & quidem prægnantem Auguſtus abduxit, dilexit & probauit vnicè ac perſeueranter,*

In Tib. c. 3. *Druſumque Germanici patrem intra menſem tertium peperit, fuitque ſuſpicio ex vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum, ſtatim certè vulgatus eſt verſus:*

In Claud. c. 1. Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τέλεια παιδία,
Veniunt beatis & trimeſtres liberi.

Lib. 48. Cuius mentionem facit Dio his verbis, *Liuia cum Cæſare agens Claudium Druſum Neronem peperit, eumque Cæſar tollens patri eius miſit, ac idipſum in ſua commentaria ſic inſcripſit,* CAESAR FILIOLVM QVEM SVA CONIVX LIVIA PEPERIT NERONI PATRI REDDIDIT.

Plinius 15. Ὅτι Καῖσαρ ὁ γεννηθὲν Λιουίᾳ τῇ ἑαυτοῦ γυναικὶ παιδίον Νέρωνι πατρὶ ἀπέδωκε. Teſtamentum Auguſti illatum per Virgines Veſtæ Tiberium & Liuiam

Tacitus lib. 1. Annal. hæredes habuit. Liuia in familiam Iuliam & nomen Auguſtæ, quod

Sueton. in Aug. c. 63. nummus exhibet aſſumebatur; *Ex ea tamen nihil tulit liberorum cum maximè cuperet, atque inde nouercalia in Caium Luciumque Cæſares odia. Ita tamen quamuis liberorum expers imperioſa & callida mulier Auguſtum deuinxerat, vt nemini magis ſeruierit: nullum enim officii genus etiam infame prætermiſerat, conditionibus etiam quærendis atque arceſſendis mulieribus quas corrumperet. Interroganti cuidam, Quanam ratione Auguſtum ita in ſuam poteſtatem redegiſſet, reſpondit, Exquiſita pudi-*

pudicitia, omnia eius mandata libenter exequendo, nullas eius res scrutando, lusus eius venereos neque persequendo & dissimulando, inquit Dio. Mortis etiam Marcelli causa Liuiæ à quibusdam imputata est, quæ eum suis filiis præferri indigne tulisset, Αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιουία τοῦ Μαρκέλλου ἔσχεν, ὅτι τῶν υἱέων αὐτῆς προειετίμητο. Augustæ delatum nomen hi nummi repræsentant, quod beneficio Augusti acceperat. *Ea etiam post mortem Drusi solatii causa statuis donata est.* Η δὲ δὴ Λιουία εἰκόνων τε ἐπὶ παραμυθίᾳ ἔτυχε &c. Dio lib 54. Dio lib 55.

Et quoniam auersus nummus duplicem cornucopiæ figuram exhibet, quæ eadem in pluribus huius Operis numismatibus occurrit, non inutile fore arbitror testimonium Diodori ad eius explicationem proferre, cuius hæc sunt verba, Φασὶν δ' οὖν Ἄμμονα βασιλεύοντα καὶ τλ. hoc est, *Narrant Ammonem Libyæ Regem virginem cui Amaltheæ nomen forma longe pulchecrrimam offendisse, cumque ea amoris impulsu congressum filium genuisse tam robore quam specie insignem. Post hæc Amaltheam cum imperio vicinæ regioni præfecit, quæ cum figura sua bouis cornu referat, Hesperium propterea cornu indigitatur. Et quæ soli hic est vbertas, vitibus aliisque arboribus quæ esculentos fructus gestant redundat. Mulier rerum illic potita de se Amaltheæ cornu locum nuncupauit: & hac de causa posteri solum aliquod geniale & fructibus omnigenis refertum Amaltheæ cornu pari modo appellant.* Hinc perpetuo abundantiam, opes, fertilitatem sub hoc vel illo Principe Amaltheæ cornu in numismatibus indicat. Biblioth. hist. 1.

ΣΕΒΑΣΤΗ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΙΕΡΟΝΥΜΟΥ. Augusta, Senatus Smyrnæorum. Hieronymi. *Capita Liuiæ & Augusti sub specie Senatus aduersa.* ΤΙΒΕΡΙΩ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. Tiberio Augusto, sub Petronio. *Templum quatuor columnarum, figura togata stante in medio.*

Quum rumor increbuisset, Tiberium Cæsarem Agrippinæ exitium parare, Ille inquit Cornelius Tacitus, *quo famam auerteret, adesse frequens Senatui, Legatosque Asiæ ambigentes quanam in ciuitate templum Tiberio statueretur plures per dies audiuit. Vndecim vrbes certabant pari ambitione viribus diuersæ, Hypæpeni, Tralliani, Laodiceni, Magnetes, Ilienses, Halicarnassii, Pergameni, Ephesii, Milesii, Sardiani, Smyrnæi. Omnibus reiectis præter Sardianos Smyrnæosque inter eos delibe-* Lib 4. Annal.

deliberatum. Sardiani ſua iuſta narrauere, at Smyrnæi, inquit C. Tacitus, *repetita vetuſtate, ſeu Tantalus Ioue ortus illos, ſiue Theſeus diuina & ipſe ſtirpe, ſiue vna Amazonum condidiſſet, tranſcendere adea queis maximè fidebant in populum Romanum officiis, miſſa nauali copia, non modo externa ad bella, ſed quæ in Italia tolerabantur, ſeque primos templum Vrbis Romæ ſtatuiſſe, M. Porcio Cos. magnis quidem iam Populi Romani rebus, nondum tamen ad ſummum elatis, ſtante adhuc Punica vrbe & validis per Aſiam Regibus: ſimul L. Syllam teſtem adferebant, grauiſſimo in diſcrimine exercitus ob aſperitatem hyemis & penuriam veſtis: cum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes qui adſtabant detraxiſſe corpori tegmina, noſtriſque miſiſſe legionibus. Ita rogati ſententiam patres Smyrnæos prætulerunt.* Senatus conſulto tam celebri ea de re lato, Smyrnæi non tantum condidere templum, ſed eius etiam effigiem hoc numiſmate expreſſam in omnes gentes atque perpetuam futuri æui memoriam transmiſere. Huic operi præfuiſſe videtur PETRONIVS quem Tiberii Legatum fuiſſe non verò Smyrnæum, ex nomine Romano ſuſpicio eſt. Num vero illud templum
Dio lib. 56. notauerit Dio ſub annum DCCLXVII. dubito. καὶ αὐτῷ ἔντε τῇ Ῥώμῃ ἡρῷον &c. hoc eſt, *Decretum quoque Romæ Auguſto ſacrarium à Senatu, à Liuia autem & Tiberio factum*: alibi quoque multis locis ei fana extructa ſunt à populis partim volentibus partim inuitis. Eodem nummo cum ſui erga Tiberium cultus, tum huius aduerſus vtrumque parentem pietatis argumentum exſtare Smyrnæi voluerunt: itaque Auguſti & Liuiæ capita inter ſe ſpectantia in altera nummi facie repræſentarunt.

ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ. Smyrnæi Auguſtis. *Capita Auguſti & Liuiæ iugata.* ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΚΟΛΛΥΒΑΣΙΟΣ. Dionyſius Collybaſius.

Aliud venerationis teſtimonium Auguſto & Liuiæ Smyrnæi præſtiterunt, vtriuſque faciem coniunxerunt, concordiam, deſignantes qua vir & vxor iungebantur. Quis ſit Dionyſius Collybaſius in nummo expreſſus ignoro, ſuſpicor tamen eum Smyrnæorum Præfectum fuiſſe. Figura ſtans ſiniſtra exiguum victoriæ ſimulachrum tenens, dextra ſceptrum, ad quid referatur, mihi non liquet, niſi Romam capite quodammodo turrito & aquila pilo præfixa mauis intelligere.

Facies iugatæ Augusti & Liuiæ absque inscriptione. ΕΦΕσιων. Ephesiorum. *Ceruus.*

Suam pariter venerationem testantes Ephesii ceruum Augusti & Liuiæ numismatibus suis apposuerunt. Ἐφέσιοι γὰρ καὶ ὃ νόμισμα καὶ τὸν ἔλαφον ἔφεσον ἀμοιβὴ τῆ Θεῷ τὸν μεγάλων ἀγαθῶν. Libanius. Ephesii Deæ ex qua magnas vtilitates acceperant, quasi mutuum redditurі nummum & ceruum dicauerunt; quod illa victima pro Iphigenia ei data fuisse credatur; inde cerui Dianæ mactabantur, quæ à ceruorum venatione Elaphiæa dicta est; vnde apud Athenienses dies festus ἐλαφηβολία nuncupabatur. Pausanias lib. 6. Cur Tristanus hunc nummum Caligulæ vxorique Cæsoniæ tribuerit non video, cum etiam repetita imago Augustum & Liuiam quales in aliis nummis cernuntur plane referat.

Hic nummus priori ferè similis est. ærugo plura erosit luctu digna: quod ex characterum copia coniicimus: supersunt tamen Smyrnæorum & Ephesiorum nomina, quæ procul dubio coniuncta vnanimem erga Augustum Augustamque Liuiam venerationem testantur. Coniectura est regnante Tiberio conflatos fuisse eiusmodi nummos. qui Suetonium, Velleium, Dionem intelligunt, eos puto lubenter assensuros.

ΜΗΝΗ CAMIΩN. Luna Samienſium. *Liuia cum capite turrito,* 1.
iuxta quam luna falcata. ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗΤΟΝ. Deum Senatum *caput Auguſti.*

ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ. *Caput Liuiæ.* ΘΕΟΝ CΥΝΓΛΗΤΟΝ. *Caput Auguſti.*

In Andriam, Act.3.Sc.1. Samienſes Iunonem ſuam *quam Dianam appellat Menander,* inquit Donatus & Virgilius in Bucolicis, ſub ſpecie falcatæ lunæ repræſentauerunt. inde Iuno Lucina partubus præeſt, *quod edendis in lucem infantibus iuuet puerperas,* inquit Donatus. At idem eſſe Lunæ officium ſeu Dianæ ſatis conſtat, cum menſibus lunaribus & cruoris per naturalia vacuatio & concepti partus maturitas tota conſtet. Samii autem Iunonis toti fuere, vt indicat Virgilius dum ait,

Quam Iuno fertur terris magis omnibus vnam,
Poſthabita coluiſſe Samo.

quaſi non aliter indicare potuerit Iunonis amorem in Karthaginenſes, quam ſi eos ipſismet Samiis prætuliſſe dicat. Nec iniuria. nam
Lib.1.Æneid. *in Samo nata fuerat Iuno,* vt innuit Seruius, dum eam genitalia Iunonis appellat. *Fanum Iunonis quod Sami eſt ſunt qui dicant Argonautas ipſos dedicaſſe: Enimvero Samii natam in Samo Iunonem tradunt ad flumen Imbraſum ſub vitico quæ hac ipſa ætate in Iunonis ſacro ſolo oſtenditur: eſſe vero templum maximè priſcum ex ipſo ſimulacro facile coniici*
Pauſan.lib.7. in Achaic. Lib.4.epiſt. 88. *poſſit.* Μήνην autem vocabant Lunam hoc eſt Iunonem, διὰ τὸ, inquit Iſidorus Peluſiacus, κατὰ μήνα πάντα ἑαυτῆς πληροῦν τὴν κανόνα. *Eo quod vno quoque menſe ſuam regulam impleat.* Μήνη γὰρ ἡ σελήνη καλεῖται. Luna
Lib.7. de ciuit.Dei c.11. enim σελήνη & μήνη vocatur. *Dea Mena,* inquit Diuus Auguſtinus, *menſtruis fluoribus præeſt,* & hanc prouinciam fluorum menſtruorum ipſi Iunoni idem Varro aſſignat. Idem fere ſtemma ſuis in nummis appoſuere Carrheni Meſopotamiæ populi, Deum Lunum per id venerabantur, de quo dicetur in Antonino.

Auguſti faciem cum inſcriptione Diui Senatus ſupra explicaui- 2.
mus pag.5. Quod autem Liuia hic Deæ Romæ ſpeciem induerit, & propriæ dotes, & perpetuus Auguſti erga eam amor ſatis declarant.

quem-

Quemadmodum enim Sacer Senatus & Dea Roma omnia peragere videbantur, Augustus & Liuia reipsa efficiebant in vtriusque commoda.

Perrarum hunc nummum alteri quam chariſſimæ Auguſti coniugi tribuere qua ratione fieri poſſet non video. Vultus conuenit, adulationis aut reuerentiæ formula ſimilis eſt, quam a Samienſibus Liuiæ exhibitam ſuperior nummus declarauit. Theſſalonicenſes autem Macedoniæ populi frequenter occurrunt in numniſis antiquis Romanorum, ſed qua ratione ii Liuiam coluerint, non video. certum eſt eam fuiſſe prudentiſſimam, quæ primum Auguſtum demeruerat etiam omnibus artibus: nullas deinde omiſiſſe quibus tum ſe tum filium Tiberium ad Imperium deſtinatum populis & exteris commendaret. Mutuorum & viciſſim acceptorum beneficiorum Theſſalonicenſes arrham quamdam ſeu gratitudinis τεκμήριον hoc nummo dediſſe probabile eſt.

M. Agrippa L.F. Cos. iii. *Caput Agrippæ.* S.C. *Neptunus ſtans tridentem ſiniſtra tenens, dextra delphinum.*
Poſtremi duo per Titum & Domitianum reſtituti ſunt.

Marco Agrippæ nouitas familiæ non obſtitit quominus ad multiplices conſulatus triumphosque peruenerit, inquit Velleius. *Quippe*

vt idem ait alibi, *ille virtutis nobiliſſimæ labore, vigilia, periculo inuictus parendique ſed vni ſcientiſſimus, aliis ſane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultisque facta coniungens.* Hanc viri δεινότητα, conſtantiam, grauitatem, fidem, celeritatemque facies ea & adducta ſupercilia clarè loquuntur. Lib. 7. c. 8. *In pedes procedere naſcentem*, inquit Plinius, *contra naturam eſt, quo argumento eos appellauere agrippas, vt ægrè partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum vnico prope felicitatis exemplo, in omnibus ad hunc modum genitis. Quamquam is quoque aduerſa pedum valetudine, miſera iuuenta, exercito suo inter arma mortesque ad noxia ſucceſſu infelici terris ſtirpe omni præterea breuitate ævi quinquageſimo vno raptus anno in tormentis adulteriorum coniugis, ſocerique prægraui ſeruitio luiſſe augurium præpoſteri natalis exiſtimatur.* Gentile nomen *propter ignobilitatem loci*, vt loquitur Tacitus, omiſit. atque hanc cauſam tegendi nominis ſatis apertè docet Seneca pater. Lib. 3. benefic. cap. 32. *Vipſanii nomen*, inquit, *quaſi argumentum paternæ humilitatis ſuſtulerat & Marcus Agrippa dicebatur.* Itaque admiror quid ſibi velit alter Seneca dum ait, *Vtrum maius beneficium dedit M. Agrippæ pater, ne poſt Agrippam quidem notus, an patri dedit Agrippa nauali corona inſignis.* Nihil enim patri dediſſe ſatis intelligitur qui ſuam originem quantum potuit occultauit; neque enim in nomiſmatis præter vnum quod ſciam, aut lapidibus Vipſanii nomen apparet. Apud Illuſtr. Gotfredum Roman. Aquitanos rebellantes obtemperare coëgit, Pompeii legatos ad Mylas, ipſum Sextum Pompeium ad Naulochum vicit, Antonium apud Actium,

Virgilius.

Parte alia ventis & Diis Agrippa ſecundis
Arduus agmen agens, cui belli inſigne ſuperbum
Tempora nauali fulgent roſtrata corona.

Sueton. in Aug. c. 25. Quas ob res fortiter ſtrenuèque geſtas vexillo cæruleo donatus eſt ab Auguſto, cui Neptunum reconciliaverat, ipſeque Neptuni habitu fabrefactus eſt, vt hæc numismata docent & Neptunus vocari Lib. 55. In Aug. c. 16. ſuſtinuit, vt ait Dio his verbis, Ὅθεν περ καὶ Ποσειδῶνα ἑαυτὸν ἐπωνόμαζε. De illa Auguſti aduerſus Neptunum indignatione ſic loquitur Sueto- Lib. 53. nius, *quaſi claſſibus tempeſtate perditis exclamauerit, etiam invito Neptuno victoriam ſe adepturum.* Quanta autem Auguſti gratia floruerit, teſtis ſit Dio. Auguſtus XI. Conſul cum Calp. Piſone adeo graui morbo decubuit vt nulla ſalutis ſpes adeſſet, itaque omnibus vt fato conceſſurus diſpoſitis, Piſoni libellum in quem exercituum & redituum publicorum indicem conſcripſerat, Agrippæ annulum tradidit, τῷ δὲ Ἀγρίππᾳ τὸν δακτύλιον. Vnde fortè Mæcenas Auguſtum alloquens τηλικοῦτον αὐτὸν πεποίηκας, ὥστε ἢ γαμβρὸν γενέσθαι ἢ φονεῦσαι, hoc eſt, *Tantum*, inquit, *Agrippam iam feciſti vt vel gener tuus fiat, vel occida-*

occidatur neceſſe ſit. Τότε ἀλλὰ ἄριστος &c. inquit idem Dio, hoc eſt, *Cæterum erat vix optimus, omnium ſuæ ætatis, amicitiaque Auguſti ad eius reique publicæ ſummam vtilitatem vſus.* De M. Agrippa vide gentem VIPSANIAM in noſtris Familiis Romanis. Lib. 54.



AVGVSTVS &c. *Caput Auguſti.* C.L. AVG. F. C.V.T. Caius Lucius Cæſares Auguſti filii, Colona Victrix Tarraco.

Cæteri nummi eosdem indicant ſed varia inſcriptione, varioque typo ſignati.

Iuliam quam ex Scribonia ſuſceperat Auguſtus, omnium virorum vxorem primùm Marcello Octauiæ ſororis ſuæ filio, tantumque pueritia egreſſo, dein vt is obiit M. Agrippæ nuptui dedit, exorata ſorore vt ſibi genero cederet. Nam tum Agrippa alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos, inquit Suetonius. Igitur ex Iulia M. Agrippa liberos tulit, maſculos tres, fœminas duas Iuliam & Agrippinam. Duos maſculos Auguſtus reiecto tertio Agrippa, nepotes ſuos præpoſitis Caii & Lucii nominibus adoptauit, inquit Velleius. Quibus in familiam Cæſarum inductis, Auguſtus nec dum poſita puerili prætexta Principes iuuentutis eos appellari, quod patet ex nummo argenteo, deſtinare Conſules quamquam ſpecie recuſantis flagrantiſſimè cupiuit. Ouidius tamen Caium ſolum nomine Principis iuuentutis compellans ſubindicare videtur non ſimul ad hanc dignitatem euectos fratres fuiſſe. In Aug. cap. 63.

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes,
Nunc iuuenum Princeps, deinde future ſenum.

Hos Tiberio Neroni priuigno longè prælatos, quidquid cauſetur & garriat Velleius, vtroque functos magiſtratu, cum Auguſtus alterum Lucium ad Hiſpanienſes exercitus, vtrumque vnius anni, vt ait Velleius & Suetonius duodeviginti menſium ſpatio amiſit. Prior Lucius Maſſiliæ exceſſit; poſterior Caius cum circa Artageram in colloquio cui ſe temerè crediderat grauiter ſauciatus, deinde ægrum corpus trahens reuocatus in Italiam invitus rediret (vt ait Velleius vt Tiberii aſſentator, ſic æmulorum iuuenum obtrectator perpetuus) in Lyciæ vrbe, Limyram nominant, morbo obiit, vel vt ſuſpicatur

Annal. lib. 1. Tacitus *nouercæ Liuiæ dolo.* Chariſſima capita Colonia Victrix Tarraco Auguſto quem demereri volebat exhibuit.' Quamquam Lucii maximè cauſa feciſſe facit vt credam huius ad Hiſpanienſes exercitus legatio: quemadmodum tot nummulis Græcis, de Caio Græcos potiſſimum cogitaſſe probabilis eſt coniectura.

Auctor. inſcript. pag. 134. Illorum duæ reſtant inſcriptiones in baſibus æqualibus ex Tiburtino Romæ repertæ anno M D LI.

C. CÆSARI AVGVSTI F.
PONTIFICI COS.
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS.

L. CÆSARI AVGVSTI F.
AVGVRI COS.
DESIGNATO
PRINCIPI IVVENTVTIS.

Nobilitatem Tiberii exponit Suetonius: Illi genus vtrumque ex Claudiorum gente patricia fuit, patre Ti. Claudio Nerone, matre Liuia Druſilla Auguſta, anno V. C. DCCXI. pubeſcens Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt. Tria bella geſſit Rhæticum, Pannonicum & Germanicum, de quibus & ouationem & triumphum egit. Vxorem duxit primùm Agrippinam M. Agrippa genitam ſublato ex ea filio Druſo, quamquam benè conuenientem, rurſumque grauidam dimittere ac Iuliam Auguſti filiam confeſtim coactus eſt ducere, non ſine magno angore animi, cum & Agrippinæ conſuetudine teneretur, & Iuliæ mores improbaret. Poſt Caii Luciique mortem, Auguſtus Liuiæ precibus expugnatus Tiberium annorum LVI. adoptauit, quem, vt ait Dio, ſucceſſorem ordinauerat quo magis ipſius gloria floreret, ambitione tractus, inquit, Suetonius vt tali ſucceſſore deſiderabilior ipſe quandoque fieret. Eum enim neceſſitate magis quam iudicio adoptauerat quem oderat, ferturque de eo tunc dixiſſe, Miſerum populum Romanum qui ſub tam lentis maxillis edit. Imperium adeptus ingenii fuit peculiaris, nam neque præ ſe ferebat quæ cuperet & ſermone ab animi ſui ſententia diuerſiſſimo vtebatur, negando quæcunque deſideraret, annuendo iis quæ odio haberet. Omnium virtutum capax, omnium vitiorum compos fuit. Obiit Miſeni, anno V. C. DCCLXXXIX. ætati LXXVIII. à morte Chriſti Saluatoris quarto. Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura quæ iuſtam excederet, latus ab humeris & pectore, colore erat candido, capillo prope occipitium

Suet. In Tib. cap. 6.

Cap. 7.

Lib. 56.

Suet. in Tib. c. 21.

Suet. cap. 86.

ſubmiſſiore, facie honeſta, in qua tamen crebri & ſubtiles tumores cum prægrandibus oculis, qui & quod mirum eſſet noctu etiam & in tenebris viderent. incedebat cervice rigida & obſtipa adducto ferè vultu, plerumque tacitus, nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione. Quæ omnia ingrata atque arrogantiæ plena & animaduertit Auguſtus in eo & excuſare tentauit ſæpè apud Senatum ac populum, profeſſus Naturæ vitia eſſe non animi.

TI. CAESAR AVGVSTVS. *Caput Tiberii, coram aquila, pone laurus. In auerſa parte characteres incogniti cum capite Apollinis & lyra, in laurea.*

DE Apolline plura dicta ſunt in Auguſto pag. 44. Sed cur illum Tiberio in numiſmate conjunxerint, ignoro. Nec enim è characteribus quidquam licet coniicere, qui nec Romani ſunt nec Græci. Credibilius videtur Punicos eſſe à parte Apollinis, cum tamen ab auerſa, Romanè ſcriptum ſit, Eius eſto exemplar nummus argenteus effigie Regis Mauritaniæ ſignatus cum hac epigraphe REX IVBA, in cuius auerſa facie templum litteris incognitis, quas Punicas eſſe arbitror, circundatum eſt.



TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVGVST. IMP. VII. *Caput Tiberii.* CLEMENTIÆ; *Clypeus. Idem* MODERATIONI. *Clypeus in cujus medio effigies Deæ.*

CLementiam Moderationemque impuriſſimi tyranni laudant hæc numiſmata adeo huius ævi luxuria & fucum populis & adulationem Imperatoribus pepererat. Harum meminit Dio his verbis, τοσαύτῳ ὑπείκειαν ἤσχει &c. hoc eſt, *Tanta vtebatur clementia vt quùm aliquando Rhodiorum magiſtratus data ad eum epiſtola non ſubſcripſiſſent*

Lib. 57.

ſcripſiſſent illud conſuetum, quod vota ipſi facerent : celeriter eos excitos, quaſi male mulctaturus, quum id quod deerat adieciſſent, indemnes dimiſerit. Quaſi in populari reipublicæ ſi viueret imperio, ita magiſtratus quouis tempore honorabat, etiam Conſulibus aſſurgens ; quumque eos conuiuio acciperet, ingredientes apud ianuam excipiebat, abeuntes proſequebatur. Ita agebat vt expeditiſſimè & quam minimo labore homines ad ipſum accedere poſſent : ſæpenumero etiam equeſtres ludos de liberti domo ſpectauit : frequenter enim ad ſpectacula veniebat in honorem eorum qui hæc edebant, adeo æqualitati in omnibus rebus ſtudebat &c. Nummum fortaſſis propius attingit locus Suetonii, *Imputauit etiam quod non laqueo ſtrangulatam nurum Agrippinam in Gemonias abiecerit, proque tali Clementia interponi decretum paſſus eſt, quo ſibi gratia agerentur, & Capitolino Ioui donum ex auro ſacraretur.* Ad eius Moderationem fortè refertur illud Dionis, χρόνῳ γάρ τινα σωφρονέστατα διεγένετο &c. Hoc eſt, *Aliquandiu moderatiſſimè vixit Tiberius*, &c. cuius etiam in ſequentibus plurima refert exempla. *Sed hæc ab eo ita ſunt acta quamdiu in viuis manſit Germanicus ; eo autem defuncto plurimum immutatus eſt ; ſiue quod eum animum ab initio gerens qualem poſtea oſtendit ita ſe compoſuerit dum Germanicus vita frueretur, quem principatui imminentem ante oculos habebat ; ſiue quod aduerſario ſublato ab egregia natura in vitia curſum deflexerit :* & alibi : *Parem Moderationem minoribus quoque & perſonis & rebus exhibuit :* Clypeos autem in nummis ſignatos in quorum medio aut CLEMENTIA aut MODERATIO ſculptæ ſunt, veriſimile eſt ad exemplar eſſe factos eorum, quos Tiberius aureos in Capitolio dedicatos ſuſpendit.

In Tiberio cap. 53.

Lib. 57.

Suit. in Claud. c. 32.



Iuſtitiam exhibent hi nummi ; quorum primum quidem Tiberius cudi iuſſit, alterum Titus : virtutes omnes infectatum fuiſſe aſtutiſſimum Imperatorem palam teſtatur Suetonius, quamuis eas minimè 1. exercuerit. Quod Clementiæ & Moderationi primùm vouerat, hoc nummo Iuſtitiæ teſtatur qui inclementiſſimus, immoderatiſſimus 2. & iniuſtiſſimus fuit toto ſui imperii tempore. Raram hanc iuſtitiæ faciem Imperator Titus reſtituit & vulgauit.

Hunc esse Deæ Vestæ habitum qui in nummo expressus est omnes affirmant Antiquarii, de cæteris tacentes: Quid significent Duplex D D: Decreto Decurionum coniiciunt: sed duplici P.P. M. M. & I.V. nihil tribuunt, sicut inscriptionis parti. Certum est Vibium Marsum Pro-Consule Syriam sortitum obtinuisse anno V. DCCXCV. cum Agrippa Iudæorum Rege simultates gessisse & Ierosolymæ munitionem à Rege cœptam impediisse. Prouinciæ vltra quadriennium præfuisse declarat Tacitus in actis anni DCCIC. Vibium Marsum scribens Bardani Armeniam tentanti obstitisse: licet Iosephus refe- Lib. XI. Ann. cap. III. rat non diu post Agrippæ Regis mortem successorem à Claudio Imp. ei datum fuisse. Sed quod hæc omnia post nummum cusum euenerint, illum non attingunt.

De Turiassone pauca dicta sunt in Augusti nummo. Diui 1. Augusti faciem Tiberio coniunctam exhibet primus nummus, quem post eius mortem & ex corona radiata & ex Tiberii titulis cusum fuisse constat: hunc enim vt bonorum hæredem sic & virtutum æmulum prædicabat. Alter bouem exhibet, coloniarum & 2. municipiorum typum vulgarem. De Duumviris coloniæ deducendæ id vnum doleo, temporis iniurias tot præclara quot licet coniicere facinora, tantosque heroas nobis eripuisse, quorum nomina vix supererent absque numismatum auxilio.

De Cæſarea Auguſta ſatis dictum in Auguſto pag. 50. Credibile eſt hanc coloniam etiam Tiberio gratulantem hos nummos cudiſſe, quem Auguſti benefactoris ſui & ſucceſſorem & filium ex eius teſtamento cognouerat, quod etiam imitatæ ſunt plures aliæ Hiſpaniæ urbes, quod patet ex nummis infra deſcriptis. Boues aratrum ducentes, & bos ſolus coloniarum municipiorumque typi fertilitatem ſoli, pacem incolumitatemque Principis beneficio partam videntur innuere. Signa vero militaria fortitudinem bellicam qua ſe militiamque Romanam aduerſus hoſtes tueri prædicabat, indicant.

TI. CÆSAR AVGVSTVS PONT. MAX. IMP. *Caput Tiberii.* MVNIC. ITALIC. PERM. DIVI AVG. *& in ara,* PROVIDENTIÆ AVGVSTI.

Italica municipium fuit & vrbs Hiſpaniæ Beticæ, Hiſpali vicina, Traiani, Hadriani & Theodoſii ſenioris patria, hodiè dicitur *Seuilla la veia.* Cum Scipio Africanus rebus in Hiſpaniæ compoſitis, de reditu in Italiam cogitaret, omnes Italos vulneribus affectos in vna vrbe collocauit, quam de ipſorum patria Italicam nominauit. *Italienſibus ius coloniæ non municipii petentibus, Hadrianus bonis eorum conſulens, recuſauit.* Appianus, Alex. ab Alex cap. 10. 4. de iure Latii, munic. & coloniarum.



TI. CÆSAR DIVI AVGVSTI F. AVGVSTVS: *Caput Tiberii.* MVNIC. CASCANTVM. *Bos.*

Caſcantum oppidum eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Iberum fluuium in Nauarræ regno, inter Cæſar-Auguſtam & Calagurrim.

TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii.* MVNICIP. GRACCVRIS. *Bos vittatus quaſi victima.*

Graccurris oppidum Hiſpaniæ Tarraconenſis nunc dicitur *Graïal*, vel *Agreda*, ædificatum à Ti. Semp. Graccho Scipionis Africani genero, poſt victos Celtiberos anno V. C. DLXXI. Eius incolas privilegiisque Latinorum veterum gaudere ſcribit Plinius. Taurum ut ſolent coloniæ & municipia, exhibet auerſus nummus, cuius caput mitra quadam triangulari ſeu infula ornatum *eſt*. *Infulæ*, inquit Feſtus, *ſunt filamenta lanea, quibus ſacerdotes & hoſtiæ templaque velabantur.*

Sæpè in honore Deûm medio, ſtans hoſtia ad aras
Lanea dum niuea circundatur infula vitta:
Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros.

Inde bos vittatus ab antiquis dicebatur, qui dum ad aras immolandus ducebatur, floribus, coronisque religionis ergo ornabatur.

TI. CÆSAR DIVI AVGVSTI F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii laureatum.* MV. AVGVSTA BILBILIS. TI. CÆSARE V. L. ÆLIO SEIANO COS. *in laurea.*

De Municipio Auguſta Bilbili in Hiſpania abundè dictum in Auguſto, pag. 35. Perrari nummi inſcriptioni diutiùs immorandum cenſeo, qui ſuperbum L. Ælium Seianum in conſulatu Tiberii collegam demonſtret, anno ſcilicet V. C. DCC. LXXXIII. Is eſt quem fortuna Romanis irata ad ſummum culmen euexerat grauiore lapſu exinde detruſura. Pueritiam ſuam M. Apicio proſtituerat; patre in Ægyptum miſſo ſolus prætorianis militibus præfuit, eosque in caſtra coëgit, vt ſimul celeriter omnes mandata accipere poſſent, omnibusque deinde terrori eſſent. Hunc Tiberius propter morum ſimilitudinem adſumptum non tam benevolentia, quam vt eſſet cuius miniſterio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret, prætoriis honoribus qui nemini antehac eius conditionis hominum obtigerant, ornauit, Conſiliarioque & Miniſtro in omnibus rebus vſus eſt, ſuum ſuarumque curarum participem identidem vocans, etiam in epiſtolis quas ad S. P. Q. R. ſcriberet. Seianique etiam viui ſtatuam æneam in theatro poſuit; inde multæ eiusdem imagines à multis factæ, patriciis, equitibus, tribubus, ac primariis viris, quas inire nemo poſſit, eiusque natalis decreto Senatus celebratur. Quum Seianum ſibi Collegam in quinto conſulatu deſignaſſet, ſtatim ex hoc ipſo homines Seiano perniciem vaticinati ſunt, neque enim Tiberii in conſulatu collega niſi violenta morte obierat; exemplo Quintilii Vari, Cn. Piſonis, Germanici, Druſique aſtu Seiani veneno extincti: nimirum hoc erat Tiberii Imperatoris fatum. Seianus autem faſtu potentiaque adeo efferebatur, vt, quo paucis rem expediam, inquit Dio, ſeipſum pro imperatore, aut Imperatoris tutore, Tiberium pro inſulæ rectore quodam habuerit, quod in inſula cui Capreæ nomen Tiberius agebat. hinc ſumma erga eum omnium ordinum ſtudia, quibus compeſcendis, ſalutique propriæ ſtudens Tiberius, epiſtolam ad Senatum per Næuium Sertorium Macronem miſit, qui cuſtode nocturnorum vigilum Lacone aſſumpto in palatium aſcendit, Senatus enim in Apollinis templo indictus erat, mili-

Dio lib. 57. paſſim.

Ibidem.

tibus in locum prætorianorum circum diſpoſitis, ingreſſus litteras Senatui exhibuit, quibus Imperator Seianum lenta quidem oratione inſectabatur, tandemque duos Senatores Seiani familiares plectendos, illumque in cuſtodia habendum dicebat: neque enim eum palam necari iubebat, non quod hoc nollet, ſed quia verebatur, ne quem id tumultum concitaret. Eadem die prope carcerem in ædem Concordiæ conuenit Senatus, morte eum damnauit: itaque capite mulctatus in Gemonias proiectus eſt, eumque totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim miſit: liberi eius ex Senatus conſulto necati ſunt: filia quam pactus erat Claudii filio, conſtuprata prius à carnifice, quaſi impium eſſet virginem in carcere perire. De quibus omnibus conſulatur Iuuenalis. Numnum adhuc illuſtrat annus quo Chriſtus Saluator mundi crucifixus eſt. Is enim Tiberio quintum & Ælio Seiano Coſſ. paſſus eſt: nempe ab vrbe condita DCCLXXXIII.

Sat. 10.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVG. *Caput Tiberii.* SAG. L. SEMP. GEMINO L. VAL. SVRA II. VIR. *Nauis.*

Saguntus, vt pleræque vrbes Hiſpaniæ, ſuam etiam gratiæ conciliandæ teſſeram Tiberio Imperatori obtulit. Vrbs olim erat florentiſſima Hiſpaniæ Tarraconenſis, tandem ab Hannibale obſeſſa expugnataque eſt & euerſa. Prouerbium fecit SAGVNTINA FAMES, extrema nempè quam in obſidione Saguntini paſſi fuerant, qui maluerunt ſe & ſua comburere accenſo rogo, quam Hannibali deditionem facere. Nunc & oppidum regni Valentiæ non obſcurum, ſermone patrio dicitur *Monuiedre.*

Eminet excelſo conſurgens colle Saguntos.

Silius. l. 2.

Nauis in auerſa parte ea eſt qua coloni ab Inſula Zacintho Saguntum vecti ſunt, qui nomen patriæ ſuæ, nouæ manſioni etſi quodammodo corruptum dederunt. Quare vt dicitur Zacinthus non Zacinthum, ſic Saguntus non Saguntum exactius ſcriberetur.



TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii.* COL. AVGVSTA EMERITA *Caſtri figura.*

Hanc coloniam ab Auguſto fundatam eſſe in Luſitania teſtantur Auguſti nummi pag. 37. Cur vero caſtrum referat is quem iterum in honorem Tiberii fabricauere coloni, opinor Dionem explicaſſe Lib. 53 his verbis, *Finito Hiſpanico bello, Auguſtus emeritos milites exautoraut, vrbemque eos in Luſitania Auguſtam Emeritam nomine condere juſſit: iis qui militari etiamnum erant ætate, ſpectacula quædam per Marcellum ac Tiberium quaſi ædiles in ipſis caſtris exhibuit &c.* anno ſcilicet ab V. C. DCCXXVIII.



TI. CAESAR AVGVSTVS. *Caput Tiberii laureatum. Quinque coloniarum typi.*

Quinque coloniarum Hiſpanicarum typos & nomina exponit hæc tabella.

1. Primus quidem nummus bouem circum quem Duumvirorum nomina exhibet. Characteres Coloniam Victricem Iuliam CELSAM indicant, de qua dictum eſt in Auguſto pag. 34.

2. Alter MVNICIPIVM OSICERDAM exhibet, quod oppidum erat Tarraconenſis Hiſpaniæ, hodie dictum *Oſſera*. Eius meminerunt Plinius Ptolemæus, & alii.

3. Frequens coloniarum ſymbolum etiam in tertio nummo cernitur, Bos nempe qui ſiue aratro trahendo ſiue colonorum alimoniæ, ſiue Deorum ſacrificiis deſtinatus, in ejusmodi nummis vſurpabatur. M. C. I. Municipium Calagurrim Iuliam interpretor, de qua dictum eſt in Auguſto pag. 34.

SEGO-

Plin. l. 36. c. 22. SEGOBRIGA legitur in sequenti, circum quam corona è quercu. Hæc vrbs Hispaniæ Tarraconensis non obscuræ famæ.

Plin. l. 3. c. 3. Quintus nummus CLVNIAM exhibet, vrbem olim præcipuam ac conuentum juridicum Hispaniæ Tarraconensis in Areuacis. Celtiberiæ finis erat apud Durium fluuium, nunc dicitur *Corunna del conde*. Hanc coloniam vocat Ptolomæus. In cœteris vrbibus Duumviri, hic Quatuorviri quos sic interpretor, CNEUS POMPEIUS, Marcus AVONIUS, Titus ANTONIUS, Marcus IVLIUS SERANUS IIII. VIRI.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii.* SAL. AVG. *in ara*, C. I. I. A. M. IVLIVS SETTAL. L. SES. CELER. II. VIR.

Lib. 3. c. 3. Coloniam Illicem interpretantur Antiquarii, quam Plinius Immunem vocauit, Augustamque nominauit Augustus. In huius memoriam aram repræsentarunt, cui SALUTI AVGVSTÆ inscriptum erat, è qua palmæ prodeunt, quas narrat Dio ibi natas esse. Ad flumen *Tader* Illice sita est, vnde Illicitanus sinus. Inscriptionem nummi In Vmbria. illustrat tabula marmorea quæ adhuc legitur Interamnæ ante summum templum.

SALVTI PERPETVÆ AVGVSTÆ
LIBERTATIQVE PVBLICÆ POPVLI ROMANI
GENIO MVNICIPI
ANNO POST INTERAMNAM CONDITAM DCCIIII.
AD CN. DOMITIVM AHENOBARBVM
. . . . COS.
. . . . . .
PROVIDENTIÆ TI. CAESARIS AVGVSTI
NATI AD ÆTERNITATEM ROMANI NOMINIS
SVBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO &c.

Quæ omnia in Tiberium congesta sunt ob sumptum de Seiano supplicium.

TI. CAESAR DIVI AVGVSTI F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii laureatum.* DIVVS AVGVSTVS PATER C. V. T. *Caput Auguſti radiatum.*

TI. CAESAR AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. *Caput Tiberii laureatum.* IVLIA AVGVSTA DRVSVS CAES. TRIB. POT. C. V. T. *Capita aduerſa Iuliæ & Druſi.*

De hac colonia Victrice Taraćona, cuius prænomen vel Thyrrenicam vel Togatam cum Ant. Auguſtino interpretor, jam dictum in Auguſto, cum hujus nummum cum facie laureata deſcripſimus. In his autem nummis Hiſpani Græcos ipſos, à quibus artem aſſentandi didicerant longo intervallo ſuperaſſe videntur: ita nimirum arcto ſpatio omnes & Auguſti & Tiberii affinitates germanitatesque contraxerunt: nam & Auguſto per Tiberium, & Tiberio per ipſum adoptiuum patrem & vxoris nobiliſſimam affinitatem & Druſum chariſſimum pignus gratulati fuerant. Dialog. 7.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii Laureatum.* V. V. OSCA D.D. *eques currens lanceam dextra tenens.*

Idem monumentum Tiberio dicauit Vrbs Victrix OSCA quam Auguſto fecerat, eos ambos ſuos victores agnoſcens: de illa dictum eſt pag. 37.



Interpretatio characterum C. A. I. qui in nummo leguntur mihi plane eſt difficilis, ideo tamen ſculpi curaui, quo excitetur quispiam aut doctior aut felicior in illis inveſtigandis & explicandis. Si pro I. ſubſtitueretur T. quod ſigno non plurimum differt, ad Ratisbonam Germaniæ vrbem celebrem referri poſſet, ad quam Goltzius reuocat nummum hiſce inſignitum characteribus COLONIA AVGVSTA TIBERII. vocatur ab incolis *Regensburg*, ad Danubium ſita eſt. An ibi templum aliquod in æternitatem Auguſti fuerit ædificatum, neſcio; quod tamen videtur nummus innuere. Cæterum videntur Imperatores poſteriorum temporum ſic loqui, noſtra æternitas ſtatuit, jubet &c. ſic in Codice paſſim.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii.* ABDERA. *Templum quinque columnarum.*

Huius nominis vrbem eſſe in Thracia quam à Clazomeniis Clazomenem dictam eſſe meminit Solinus, ſitam in ora maris Ægei, quæ patria fuit Democriti.

Abderitana pectora plebis habes,

inquit Martialis exprobans adagium ABDERITICA MENS; Abderitanos enim ſtupori mentis obnoxios ſcribit Cicero. Hanc tamen in nummo ſignatam ſuſpicor eam eſſe quam Αυδήρων vocat Strabo, Ἀβδήρων Ptolemæus & Pomp. Mela, in Hiſpania Boetica ſitam, quæ nunc *Adra* dicitur: neque enim Græcæ vrbi characteres Latini conueniunt.

de nat. Deorum.

Scalptura nummi minus polita, coniecturam ſupeditat in Hiſpania cuſum eſſe. Sed quid ſibi velit ara ſuper quam protendunt iunguntque manus duæ figuræ conſulari habitu, ignoro. IVNCTIO quidem rem quodammodo declarat, fortaſſis enim qui prius in ſtabilienda colonia diſſenſerant, manus mentesque iungebant, aramque intermediam ſuæ fidei teſtem in nummo ſignauere.

COL. ROM. PERM. DIVI AVG. *Caput Auguſti laureatum.* DRVSVS CAESAR, GERMANICVS CAESAR. *Capita Druſi & Germanici aduerſa.*

Romulea oppidum fuit Samnitium inter Equotutium & Hydruntum. Romuliam Stephanus appellat. eò deductam coloniam PERMISSV DIVI AVGVSTI, nummus ille non ſatis aperte docet. Meminit Plinius Hiſpalenſis coloniæ cognomine Romulenſis, quam fortaſſis nummus hic indicat; ſcalptura enim meo iudicio Hiſpana eſt. Hiſpanorum mos Imperatoribus blandiri per vxores, filios, propinquos, quales Tiberio fuerunt Druſus & Germanicus, ille filius, hic ex fratre nepos, de quibus ſuo loco dicetur.

ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Pater patriæ. *Caput Tiberii.* ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Auguſtus. *Sex ſpicæ.*

Fertilitatem perpetuò indicant ſpicæ, cuius beneficium Tiberio tribuebant populi adulantes. quinam ſint illi qui nummum cuderunt, ignoro. Diſſimulare quippe non audeo in hoc nummo Auguſtum forte repræſentatum fuiſſe, magis tamen placet Tiberio quam Auguſto tribuere.

TIB. KAICAP. *in corona è lauro. Palma.*

Minutum hunc nummum hic apponi curaui, quod Tiberium exprimat ſine capite, palmamque in auerſa parte referat, quemadmodum in Auguſti nummo, cuius imaginem ſupra expoſuimus pag. 51. Circum litteræ quædam temporis iniuria detritæ videntur, quæ fortaſſis ciuitatem declarabant, quæ nummum percuſſerit. Ægypti vel Syriæ aliquam fuiſſe ſuſpicor.

ΤΙΒΕΡΙΟϹ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Tiberius Cæſar Auguſtus. *Caput Tiberii laureatum.* ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Sub Flacco Antiochenſium. *in laurea.*

Quidni hoc etiam numiſma ab Antiochienſibus ſub Flacco eorum præfecto cuſum ſit in honorem eiusdem Tiberii, quem

vt Augustum, supremum Pontificem agnoscunt: eumdem enim typum, coronam nempe ipsi consecrarunt quam Augusto, de qua abundè dictum est pag. 48. cuius interpretatio huc referri debet.

ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Tiberius Cæsar Augustus. *Caput Tiberii.* ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΗ. Augusta Edessanorum. *Caput Iuliæ.*

Tantarum virtutum compotem Iuliam in Augustam assumpserant Edessani, qui nihil gratius Imperatori esse arbitrabantur, quam eius matri tot honores decernere. Eodem consilio Samii & Thessalonicenses eandem Iuliam repræsentauere: illi quidem cum hac inscriptione ΜΗΝΗ CAMIΩN, Luna Samiensium. hi vero cum hac ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΣΕΒΑΣΤΗ: de iis dictum est pag. 59. Edessa vrbs Mesopotamiæ ad Euphratem, olim Antiochia Osrhœnorum dicebatur. Strabo, Plinius, Ptolemæus.

ΝΕRO ET DRVSVS C. . . . . Q. C. VINC. *Capita aduersa Neronis & Drusi.*

Cum ex Germanico tres nepotes, Neronem & Drusum & Caium, ex Druso vnum Tiberium haberet Tiberius, destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis Neronem & Drusum P. C. commendauit; dieinque vtriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebrauit. Sed vt comperit, ineunte anno, pro eorum quoque salute publice vota suscepta, egit cum senatu, non debere talia præmia tribui, nisi expertis & ætate proiectis: atque ex eo patefacta interiore animi sui nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit, variaque fraude inductos, vt & concitarentur ad conuitia, & concitati perderentur, accusauit per litteras, amarissimè congestis etiam probris, & iudicatos hostes fame necauit, Neronem in insula Pontia; Drusum in ima parte palatii. Sueton. in Tiberio cap. 54.

Putant Neronem ad voluntariam mortem coactum, cum ei carnifex, quaſi ex Senatus auctoritate miſſus, laqueos & vncos oſtentaret. Druſo autem adeo alimenta ſubducta, vt tomentum è culcita tentauerit mandere: amborum ſic reliquiis diſperſis, vt vix quandoque colligi poſſent. Miſeros fratres nummus rariſſimus exhibet, quem in Hiſpania cuſum eſſe arbitror.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii. Retro reſtitutionis notæ ex Senatus-conſulto.*

QUos nummos Titus & Domitianus fratres in honorem Tiberii Imperatoris reſtituerunt, hic habes. Ne temporum iniuria eius effigies intercideret, curauere vt frequenter in nummis occurreret: Solebant enim Imperatores ſuperiorum Principum monumenta aut reparare, aut denuo fabricare, quod ex multorum monetis nobis probare licet. Nec à vero alienum eſſe opinor, tot ſtatuas ſignaque quæ ſuperſunt ex ære aut marmore temporibus illorum quos referunt non eſſe conflata, ſed ab iis quos illorum virtus factaque egregia demeruerant. Quis enim Diogenem in modio, qualis apud Regem Chriſtianiſſimum proſtat, eius ætate è porphyro repræſentaſſet? quis Homerum cuius nummos ſuperius declarauimus, homines vltimæ ſortis, ſi fortunam ſpectes? Veriſimilius eſſe duco, philoſophiæ, poëſεως, litterarumque politiorum cultores, harum autores poſteris commendare atque conſignare glorioſis hiſce teſtimoniis voluiſſe.

CUm Agrippina M. Agrippæ filia, Tiberio marito Druſum peperiſſet, quamvis ei eſſet gratiſſima, Auguſti impulſu repudiata
Dio lib. 57. eſt, vt Iuliæ filiæ nuberet. Druſus quæſturam geſſit & poſt compoſitos

ſitos legionum Pannonicarum motus ouans vrbem ingreſſus eſt; Conſul fuit, & tribunitiæ poteſtatis. Liuillam Druſi Germanici ſororem duxit, ex qua duos ſuſtulit gemellos. Illius fraude Seianique adulteri conſilio, veneno tollitur, Romæ anno v. C. DCCLXXIV. *Ilienſium legatis paulo ſeriùs Tiberium conſolantibus, quaſi obliterata iam doloris memoria irridens, ſe quoque reſpondit vicem eorum dolere, quod egregium ciuem Hectorem amiſiſſent,* adeo parùm charitate patria illum diligebat. Druſus paternis vitiis imbutus virtutes auitas neglexerat; doctrinam, prudentiam, calliditatem, litteras oderat. impuriſſimus homo extremæque ſæuitiæ Baccho ita indulgebat, vt *nec alio magis Druſus Cæſar regeneraſſe patrem Tiberium ferretur.*

Sueton. [illegible] Tib. cap. [illegible]

Sueton. c. 52.

Plinius lib. 14. c. 22.

PIETAS. *Dea velata.* IMP. T. CAES. DIVI VESP. F. AVG. REST. S. C.

Difficile prorſus coniicere cur Deam velatam retro Druſi nummum Antiqui ſignauerint. quid enim cani cum balneo? aut Druſo viro impuriſſimo cum Pietate? difficilius cur illorum memoriam poſteris conſignare voluerit optimus Imperator Titus, qui ſublato Druſi nomine, ſuoque impoſito, hanc ipſam in hoc monumento reſtituit. Pietas Dea quidem, & ipſa culta qua & cæteros Deos colebant Antiqui, cuius ſacellum ab Attilio dicatum in quo mulier habitaſſe dicitur, ea quæ uberibus patrem in carcere aluit, ibique imago factum hoc indicans oſtendebatur. Vocantur & Sanctitas & Pietas, quæ ſumma animi integritate peraguntur; quæ omnia nullo modo Druſo conueniunt. Rarum aliud numiſma PIETATE AVGVSTA inſignitum vulgauit liber noſter de FAMILIIS ROMANIS. ſed de Druſo ne γρῦ quidem.

Feſtus.

Val. Maxim. lib. 5. cap. 4.

Liuius l. 40.

Plinius lib. 7. cap. 36.

In Fam. Celia.

DRVSVS CAESAR. *Caput Druſi. Templum Veneris Paphiæ cum area.*

Lib. 2. c. 96. *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quamdam aream non impluit*, inquit Plinius. Vtrumque cernitur in numiſmate; area quidem hoc miraculo clara conſpicua eſt, *cui ſanguinem offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolent, nec vllis imbribus* 2. Hiſt. 2. & 3. *quamquam in aperto madeſcunt*, inquit Tacitus, *nec fuerit longum initia religionis, templi ſitum, formam Deæ, neque enim alibi ſic habetur paucis diſſerere. ſimulachrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio, tenuem in ambitum metæ modo exurgens, & ratio in obſcuro*; quæ omnia nummi noſtri explicationi mirè conveniunt. Paphos autem vrbs eſt in inſula Cypro Veneri ſacra, quod ad eam Pauſanias Lib. 1. Venus primum appulerit. *Ab Aſſyriis Paphii in Cypro Venerem cœleſtem coluerunt, cum Phœnicibus qui in Paleſtina Aſcalonem vrbem incolunt.*

Iuſtinus Lib. 18. *Mos erat Cypriis virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſituras, in quæſtum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas,*

Virgilius Æneid. 6.

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedesque reuiſit
Læta ſuas, vbi Templum illi centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertisque recentibus halant.

Cur Paphos ſuum Templum in Druſi nummo ſignauerit non ſatis ſcio, niſi quod ipſa Tiberio propter tot Aſiæ ciuitates reſtitutas gratulabunda quantum potuerat effigiem filii patri offerebat, quod & Venerem celebrabat, & dilectiſſimam vxorem Agrippinam, ex qua Druſum ſuſceperat.

ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Druſus Cæſar. *Caput Druſi.* ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Germanicus Cæſar. *Caput Germanici.*

Quænam Græciæ ciuitas Cæſarum effigies imperante Tiberio ſignauerit, ignoro: rem ſane mirandam & Græcis ſolitam, hac arte blandiri voluiſſe Principi & per filium, quem natura Cæſarem indicabat, & per fratris filium quem Auguſti iuſſu Tiberius adoptauerat.

DRVSVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. *Caput Druſi. Nummi ab Imperatoribus Tito & Domitiano reſtituti.*

Cur Tiberii filium ut ipſum Tiberium in nummis reſtitutis celebrauerint Imperatores Titus & Domitianus, ſane non video: huic enim nequidem umbra virtutis illuceſcebat quæ aut Principibus, aut populis gratam ſuppeditaret recordationem. Fortaſſis infelicis Principis ſortem peſſimis Seiani artibus ſubuerſi, miſerati Titus & Domitianus eius monumenta ſalua eſſe voluerunt.

ANTONIA AVGVSTA. *Caput Antoniæ minoris.* TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. *Imperator ſtans habitu Pontificali, dextra ſimpulum.*

Antonia M. Antonii Triumviri & Octauiæ, ſororis Auguſti filia uxor Druſi Germanici fuit. *Fœmina laudibus virilem familiæ*

ſuæ claritatem ſupergreſſa, amorem mariti egregia fide penſauit, quæ poſt eius exceſſum forma & ætate florens cubiculum ſocrus pro coniuge habuit, in eodemque thoro alterius adoleſcentiæ vigor extinctus eſt, alterius viduitatis experientia conſenuit. Abſtemia fuit. Antoniam Druſi nunquam ſpuiſſe percelebre eſt, inquit Solinus. A Caligula nepote AVGVSTA & SACERDOS DIVI AVGVSTI, quod teſtatur nummus argenteus, facta eſt. Veſtalium deinde honoribus ornata, ac tandem iis omnibus quos Liuia Auguſta ſuſceperat uno Senatus-Conſulto eſt cumulata. veneno tandem extincta eſt, quod optima mulier compeſcendæ iuuenis libidini acriùs inſiſteret. Claudius tandem Imperator factus in illius memoriam, patriſque Druſi ludos equeſtres inſtituit, Templumque condidit, *in quo Herculem appendit Apellis opus.*

Val. Max. Lib. 4. c. 3.

Cap. IV.

Dio, lib. 59.

Dio, lib. 60.

Plinius.

Inſcriptiones Gruter. p. 226.

ANTONIAE AVGVSTAE
DRVSI
SACERDOTI DIVI AVGVSTI
MATRI TI. CLAVDII CAESARIS AVG. P. P.

Antiq. Iud. lib. 18. c. 8. Hanc ſummopere extollit Ioſephus.



GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. *Caput Germanici.* TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C.

Germanicus Druſi & Antoniæ filius fuit, & corporis forma & animi bonis inſtitutioneque iuxta ac robore, clementia ac modeſtia præſtantiſſimus. Imperium peſſimo generis humani fato à militibus & populis oblatum ſæpius eſt aſpernatus, tanta eius erat erga Tiberium pietas, à quo iuſſu Auguſti fuerat adoptatus. *Iuueni,* inquit Tacitus, *ciuile ingenium, mira comitas, & diuerſa à Tiberii ſermone, vultu, adrogantibus obſcuris. Omnes,* inquit Suetonius, *Germanico corporis animique virtutes & quantas nemini cuiquam contigiſſe ſatis conſtat. formam & fortitudinem egregiam, ingenium, in vtroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens* &c. *Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubuerſa Deum aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abiecti, partus coniugum expoſiti* &c. *Romæ equidem cum ad*

Dio lib. 55.

Annal. lib. 1.

In Calig. c. 3. 4. 5. 6.

ad primam famam valetudinis attonita & mœſta ciuitas ſequentes nuntios opperiretur, & repente iam veſperi incertis autoribus conualuiſſe tandem percrebuiſſet, paſſim cum luminibus & victimis in Capitolium concurſum eſt, ac pæne reuulſæ templi fores, ne quid geſtientes vota reddere moraretur. Expergefactus è ſomno Tiberius eſt gratulantium vocibus atque vndique concinentium, SALVA ROMA, SALVA PATRIA, SALVVS EST GERMANICVS,&c. Eius imago in clypeo poſt exceſſum à Tiberio inter Oratores exquiſitos fuit appenſa. Obiit Antiochiæ veneno per Piſonem oblato, ætatis XXXIV. Nummus à Claudio Imperatore Germanici fratre reſtitutus eſt. Tacitus lib. 2.

GERMANICVS CAESAR. *Imperator in curru triumphali.* SIGNIS RECEPTIS, DEVICTIS GERMANIS. *Imperator ſtans in habitu militari, ſiniſtrà aquilam.*

Germanicus à Tiberio patruo adoptatus quæſturam quinquennio ante quam per leges liceret, & poſt eam conſulatum ſtatim geſſit, miſſusque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nuntiato, legiones vniuerſas Imperatorem Tiberium pertinaciſſimè recuſantes, & ſibi ſummam Reipublicæ deferentes, incertum conſtantia an pietate maiore compeſcuit, atque hoſte mox deuicto triumphauit. Qualem hunc Suetonius deſcribit, exponit nummus. Auerſus Germanicum demonſtrat paludatum Aquilam tenentem, quam ſatis explicat inſcriptio. Quæ ſigna de Varo deuicto reportauerant Germani, hæc recepta tradit Imperator Senatui Populoque Romano, poſt captos Duces barbaros Segimundum Segeſtique filium & ſororem, vxoremque Ariminii qui Varum vicerat. anno V. C. DCCLXIX. Cum aquilas ante pugnam in ſyluas Germanorum volantes vidiſſet, milites iuſſit vt ſequerentur Romanas aues, propria legionum numina. Bructeros ſua vrentes expedita cum manu L. Stertinius, miſſu Germanici fudit, interque cædem & prædam reperit vndeuiceſimæ legionis AQVILAM cum Varo amiſſam, inquit Tacitus: Ipſe (Germanicus) maioribus copiis Marſos irrumpit, propinquo loco deforſam Varianæ legionis AQVILAM, modico præſidio ſeruari cognoſcit. Miſſa extemplo manus, quæ hoſtem à fronte eliceret, alii qui terga circumgreſſi recluderent humum: vtriſque adfuit fortuna. In quorum memoriam & currum ſuum triumphalem & aquilam in vtraque parte ſignauit. Suetonius in Calig. cap. 1. Tacit. lib. 2. Annal. cap. 4. Strabo, lib. 7. Lib. 1. Lib. 2.

GERMANICVS CAESAR C. CAESARIS PATER. *Caput Germanici.* C. C. A. SCIPIONE ET MONTANO II. VIR.

HOs characteres C. C. A. interpretati ſunt Coloniam Carthaginem Antiquam: potiori iure Coloniam Cæſaream Auguſtam deſignari arbitror, quæ eſt in Hiſpania Sedetaniæ regionis, de qua vide Auguſti nummum pag. 33. Huius cultum erga Germanici vxorem Agrippinam pariter exhibet alter nummus, ſimilemque venerationem erga Caligulam filium exhibent alii qui vel ſolis characteribus vel iugo boum à colono acto coloniæ auctionem aut beneficium aliud acceptum indicant. Coniecturam firmat

hic nummus in quo MVNICIPIVM ITALICA legitur, cum Germanici effigie, cuius egregia facta ad Romani imperii ſeu orbis limites venerationem merebantur, quam ſuis monetis palam facere populi conabantur: an M. D. inter ſigna militaria Mandato Decuriorum ſignificet? frequentes ſunt inſcriptiones EX DD. quas ex Decreto Decurionum interpretantur. De Italica dictum eſt pag. 35.

GERMANICVS CAESAR. *Caput Germanici.* C. HEIO POLLIONE III. L. MVSSIDIO PRISCO II. VIR. *in corona.*

Quænam ſit illa colonia cuius Duum-viri in nummo leguntur, non facile eſt coniicere: certum eſt Germanicum ab illis celebrari, cuius opem fortaſſis apud Imperatorem implorabant vel cuius mores & ingenium mirabantur. Quæ enim alia poteſt eſſe cauſa cur eum qui non erat Imperator, honore tam inuſitato proſequuti ſint?

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ. ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. Germanicum Cæſarem. Gortynienſium. *Caput Germanici laureatum.* ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ, Caium Cæſarem Germanicum Auguſtum. *Caput Caligulæ laureatum.*

Germanicum celebrat hic nummulus quem Gortynienſes Caligulæ conſecrant. Gortyna vrbs Cretæ mediterranea quondam clara & epiſcopalis, nunc exiguus pagus, de quo paſſim. Γόρτις vel Γόρτυς eſt etiam Arcadiæ oppidum & Γορτυνία Macedoniæ: ad has tamen nummum non pertinere arbitror, quod iidem Gortynienſes, Cretenſes nummum ſuum argenteum Tiberio tribuerunt cum ciuitatis ſuæ iure, eumdem Γορτύνιον appellantes: quo forte honoris genere Caium eiusque parentem Germanicum eodem nomine nuncupant. Eripit enim vltimam ſyllabam detritio nummi, nec ſatis apparet num Γορτυνίων ſint characteres vel Γορτύνιον. Cæterum *tuxta* Γορτυνίαν *in inſula Creta, platanus quædam ſemper virens fuit, Iouis & Europæ thalamo famoſa. Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europam tauri dorſo Gortyni ferunt vectitatam.* vnde *Gortyni Atymnum colunt Europæ fratrem*, inquit Solinus. Strabo. Ptolemæus. Plin. hiſt. n. lib. 22. cap. 1. Cap. XI.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ Auguſtus. *Vir paludatus aquilam tenens . . . . . Europa à Iove ſub bouis ſpecie rapta.*

Eosdem Cretenſes hunc nummum cudiſſe facit vt credam Europa hæc à boue rapta in auerſo nummo ſignata : ſed cum nullius Imperatoris nomen legatur, ſed tantum honorificus ille titulus ΣΕΒΑΣΤΟΣ circum militem paludatum aquilam legionariam ſiniſtra tenentem, manum quaſi pacificam extendentem, libuit eidem Germanico tribuere, quem ſupra eodem Typo inſignitum explicauimus pag. 83. Germanico fortaſſis ſunt gratulati quamuis Auguſti nomen nunquam aſſumpſerit, vel potius Caligulæ, Germanici patris triumphum in filium transmittentes.



Iulienſes Laodicenſibus iuncti frequenter nummos ſuos Imperatoribus Romanis dicauere : fieri ſolebat aut ob aliquod acceptum beneficium aut in alicuius ſpem. Neutrum legiſſe me memini quod illorum cum Germanico neceſſitudinem faciat.

GERMANICVS CÆSAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. *Caput Germanici.* IMP. D. CAES. DIVI VESP. F. AVG. REST. S. C.

Optimi Principis per nequiſſimum Imperatorem reſtitutionem hic habes. Cuius coniunctionis cauſam recenſet Suetonius: honores enim dignitatesque Germanici filio Caligulæ fratrique Claudio debebat pater Veſpaſianus. In Claudio c. 4. in Veſpaſ. c. 4. & 9.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. Agrippina Mileſiorum. *Caput Agrippinæ* ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Caii.* Caius Cæſar Germanicus Auguſtus.

Agrippina M. Agrippæ filia & Iuliæ Auguſti filiæ, Auguſti neptis Tiberii nurus, Germanici vxor, Mater Caii. Hanc Germanicus vitæ finem imminere ſentiens per ſui memoriam perque communes liberos obteſtatus ferociam exueret, neue æmulatione potentiæ validiores irritaret. Epitaphium eius cernitur in vrna quadrata ex marmore ſupernè excauata, quæ etiamnum hodie Romæ viſitur.

OSSA
AGRIPPINAE M. AGRIPPAE.
DIVI AVG. NEPTIS VXORIS
GERMANICI CAESARIS
MATRIS C. CAESARIS AVG.
GERMANICI PRINCIPIS

Gruter. in ſcript. p. 3. 237.

Beneficiorum à Mileto per Caligulam acceptorum teſtificationem probat nummulus, qui matris eius Agrippinæ facie illuſtris illam veluti ſuam Deam celebrat, vt plures alii populi Germanicum patrem cæterosque Caligulæ maiores interpellauere. Illuſtrat priorem alter nummus in quo Agrippina cernitur ſub habitu Palladis circum quam, niſi me in detrito nummo fallant oculi, adhuc ΜΙΛΗCΙΩΝ legitur: cæterùm ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ CEBACTHN legitur quaſi inuocarent illam populi. Sic ſæpè IVNONEM, IVNONEM MARTIALEM, MARTEM PROPVGNATOREM, HERCVLEM, DIVVM SENATVM, DEAM ROMAM, pluresque alios in accuſatiuo nummi antiqui exhibent. Non auſim autem affirmare hanc Agrippinam matrem fuiſſe Caligulæ: infra nummos apponi curaui, ad matrem Neronis ſpectantes non plurimùm differentes. quisque pro placito iudicet.

Filios maiores natu Germanici & Agrippinæ exhibet hic numus. De iis ſupra dictum eſt pag. 61. Iis Cæſaribus nominatis & ad imperium natis præmaturam mortem Tiberius nefariè procurauit.



Caius Germanici ex Agrippina filius Antii natus est, anno V. C. DCC LXIV. *Caligulæ cognomen castrensi joco traxit quia manipulari habitu inter milites educabatur. Statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cruricis & crurum, & oculis & temporibus concauis, fronte lata & torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cætera. Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem. Imperium ingressus thesauros maximos breuissimo tempore exhausit. Sese adorari voluit. statuam suam misit collocandam in templum Hierosolymæ. Adulteriis fuit inquinatissimus; tres suas sorores stupravit; ex una etiam natam filiam agnouit. Libidines Tiberii & parricidia non modo imitatus, sed etiam excessit. Oderint, inquit, dum metuant: conatus est abolere Homerum, Virgilium, Liuium, librosque Iurisconsultorum: tyrannide tandem omnibus exosa, à Cassio Chærea trucidatur, triginta vulneribus confossus, ætatis* XXVIII. Senatus numismata eius imaginem referentia conflari iussit, vnde non cur tam pauca, sed cur tam multa supersint mirandum est.

Sueton. in Calig. c. 2.

Cap. 50.

Eutropius.

C. Caesar Avg. Germanici Imp. P. M. Tr. P. Cos. *Caput Caligulæ.* Sal. Avg. C. Cn. At. El. Flac. Cn. Pom. Flac. II. Vir. Q. V. *Caput Salutis.*

Hunc nummum cuſum eſſe in honorem ſalutemque Caii indicat Deæ Salutis facies, ſed vbi, non conſtat, niſi Hiſpaniam ſubindicent, ruſtica iſthæc fabrica, Duumvirorumque nomina. In Caio c. 14. Illum fortaſſis exponit Suetonius his verbis, *Ius arbitriumque omnium rerum illi permiſſum eſt, tanta publica lætitia vt tribus proximis menſibus ac ne totis quidem ſupra centum ſexaginta millia victimarum cæſa tradantur. Cum deinde paucos poſt dies in proximas Campaniæ inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt: ne minimam quidem occaſionem quoquam omittente in teſtificanda ſolicitudine & cura de incolumitate eius. Vt vero in aduerſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt qui depugnaturos ſe armis pro* Lib. 59. *ſalute ægri, quique capita ſua titulo propoſito vouerent.* Dio narrat P. Afranium Potitum plebeium hominem ſtulta adulatione inductum non modo volentem, ſed iureiurando etiam ſeſe obſtrinxiſſe vita ceſſurum ſi Caius reualuiſſet: Ataniusque Secundus eques, qui promiſerat ſe depugnaturum gladiatoriis ludis, ſalute Caio reddita: vterque ſpe pecuniæ à Caio accipiendæ, vitam ſuam pro eius anima ſe daturum pollicitus, coacti ſunt promiſſum perſoluere, ne perjurii ſe alligarent. Quidni populus quidam cautior numiſma cuderit, Saluti eius etiam quam deteſtabatur, gratulans? à Græcis & Hiſpanis ſummis adulatoribus nihil prætermittebatur quod Principis gratiam quodammodo poſſet demereri. Frequentiſſima iurisiurandi formula apud Romanos fuit *per genium Cæſaris* aut *ſalutem.* Plurimæ ſuperſunt inſcriptiones, Genio Cæſaris dicatæ, plurimæ etiam: Saluti ex quibus hanc ſelegimus

Gruter. inſcript.

Salvti Perpetvae Avgvstæ
Libertatiqve Pvblicae
Popvli Romani. &c.

C. Caesar Avg. Germanicvs P. M. Tr. Pot. *Caput Caligulæ.* Agrippina, Drvsilla, Ivlia. *Tres figuræ ſtantes.*

Agrippina, Druſilla, Iulia filiæ Germanici ex Agrippina, fuere ſorores C. Caligulæ quas omnes tres conſtuprauit & pleno conuiuio ſingulas infra ſe viciſsim collocabat. Agrippina quidem Cn. Domitii vxor fuit cui peperit Neronem Imp. poſtea Claudii Imperatoris. *Druſillam frater eius Caligula vitiaſſe virginem prætextatus adhuc creditur, atque etiam in concubitu eius quondam deprehenſus ab auia Antonia apud quam ſimul educabantur, mox Lucio Caſsio Longino conſulari collocatam abduxit & in modum iuſtæ vxoris propalam habuit. Æger eam hæredem quoque bonorum atque imperii inſtituit. Eadem defuncta iuſtitium indixit, in quo riſiſſe, lauaſſe, cœnaſſe cum parentibus aut coniuge liberisue capitale fuit, nec vnquam poſtea niſi per numen Druſillæ deierauit.* Illa mortua Prætoriani milites cum ſuo Tribuno ac ſeorſim equeſter ordo, ſeorſim patricii pueri Troiæ decurſione circum tumulum eius obequitarunt. Decreta ei omnia quæ Liuiæ, ac inſuper vt immortalis haberetur, aurea in curia effigies eius vt poneretur, vt in foro imago Veneris, ſtaturæ eius æqualis collocaretur, eamque ſtatuis ſacris, non modo viri, ſed mulieres etiam venerarentur, vt mulieres eam iurarent, quoties aliquid Sacramento confirmarent &c. itaque tunc Panthea vocata eſt & diuinis honoribus per omnes vrbes culta. Iulia autem quæ & Liuia & Liuilla dicebatur M. Vinitio à Tiberio vxor data eſt. Hanc Caligula nec cupiditate tanta nec dignatione vt ſororem Druſillam dilexit, tamen cum ea ſtupri conſuetudinem fecit, poſtea in Pontiam inſulam in exilium deportata à Claudio Imperatore vnâ cum ſorore Agrippina reducta eſt: bona iis reſtituta fuerunt. Meſſalina tandem Claudii vxor indignè ferens non honorari ſe ab illa, non adulari, formæque eius æmula, ac quod ſæpius ſola cum Claudio ageret, extorrem egit, peractis cum aliis tum adulterii criminibus, ob quæ Seneca etiam in exilium pulſus eſt, neque multo poſt Iuliam necauit. Has tres ſorores nummus plumbeus repræſentat, primam quidem habitu Deæ Conſtantiæ, alteram Concordiæ, tertiam Fortunæ. Occurrit idem ex auro & ex ære magno.

Sueton. in Calig. c. 24.

Tacitus annal. lib. 6. cap. 4.

Dio. lib. 59

Dio lib. 60.

C. Caesar Avg. Germanicvs *Caput Caligulæ.* Germ. Caesar, Pvlchro iii. Vario ii. Vir. *Caput Germanici.*
C. Caesar Avg. Germanicvs. *Caput Caligulæ.* Germ. Caesar Dosseno Pvlchro ii. Vir. *Caput Germanici.*

Caligulæ gratulantes Duumviri Doſſenus & Pulcher in primo nummo & Pulcher & Varius in altero, Germanici eius patris faciem expreſſerunt, cuius memoriam populus Romanus & vniuerſus orbis venerabatur. Eius indolem fortaſſis Imperatori optantes quam optimam nouerant. Hiſpanum nummum Triſtanus ſuſpicatur, de quo, quod egregiè cælatus ſit, dubito.

C. Caesar Avg. Germanicvs Imp. *Caput Caligulæ.* C. C. A. Liciniano et Germano ii. Vir.

Idem. Iugum boum actum à colono.

Eandem Cæſaream Auguſtam hi nummi exhibent quam Germanici & Agrippinæ nummi celebrant. De ea ſupra dictum eſt in Auguſto pag. 33. quæ cur hanc familiam peculiari amoris teſtificatione ſit proſequuta, ignoro. A re noſtra alienum feciſſe non arbitrabor, ſi eorundem Duum-Virorum nomina exponam in hoc nummo quem penes me habeo; ab eadem Colonia cuſo, & iiſdem temporibus.

C. Caesar Avg. Germanicvs Imp. *Caput Caligulæ.* M. Avg. Bilbil. C. Corn. Refec. M. Helv. Front. II. Vir. *in laurea.*

Municipium Augusta Bilbilis, in Augusto fuit explicatum pag. 35. Quid indicet querna corona circa quam Duumvirorum nomina, præter ciues seruatos, non satis liquet; eamdem enim municipium illud Augusto aliisque Imperatoribus obtulit. Ea fortassis est quam suo capiti imposuit Caligula cum pontem prætergressus est qui Puteolos ac Baulos coniungit. *Is enim thoracem qui* Dio, lib. 59. *Alexandri fuerat & supra eum chlamydem sericam purpurei coloris, multo auro, multis gemmis Indicis ornatam induit, gladioque se accinxit, & clypeum sumpsit, querna corona capiti imposita,* καὶ δρυΐ ἐστεφανώσατο.

Eamdem quernam coronam Caligulæ defert Segobriga, quam Tiberio iampridem obtulerat de qua dictum est. pag. 71. Id erat Hispaniæ ferè totius fatum, vt Imperatoribus etiam nequissimis seruiret, adulationisque suæ tesseram posteris consignaret. Forsan ne suum assentandi morem etiam in pessimo Imperatore omitteret alias imperiosa natio.

Pegaſum Corinthi ſymbolum eſſe nemo non nouit. Detritus nummus Duum-Virorum nomina non ſuppeditat. Similem typum exhibet Auguſti nummus pag. 41. & noſtræ FAMILIÆ ROMANÆ in gente BELLIA.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣΑΡ ΓΑΙΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ CEBACTOC. Caput Caii. ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. Didymeus Mileſiorum. *Apollo citharœdus.*

Pomp. Mela lib. 1. c. 17. Strabo l. 14. Herodot. l. 1. Orpheus, in hymno. In Caio c. 21. Sabellicus. Lib. 8. in Arcadic. Lib. 7. in Achaic. Lib. 1. & 2. c. 35. & l. 8. Lib. 5. c. 29.

Miletus vrbs eſt Ioniæ princeps quam primum Cretenſes iuxta mare condiderunt : à Sarpedone in locum vbi recentior vrbs fuit, coloni à veteri Mileto deducti, quam deinde Neleus inſtaurauit. Ibi celebre fuit Apollinis Didymæi templum, qui ideo Mileſius dictus eſt, Βάκχιε χαὶ Διδυμῆυ ἑκάεργε λοξία ἄγνέ. Didymus dictus eſt Apollo quaſi Geminus, quia ſol lunam etiam illuminat : vel qui vno partu cum Diana editus eſt, hos enim Διδύμους Græci nuncupant, vt alii Iouem & Apollinem. Hæc omnia probat nummulus in quo ſtat Apollo lyram tenens. In eius honorem Caligula *Mileti Didymæum peragere deſtinauerat*, inquit Suetonius, templum nempe vetuſtate collapſum. Interpres quidam eo loci Cybeles ſeu Didymææ matris templum intelligit ; ſi nummum hunc nouiſſet, non aliud quam Apollinis fuiſſet interpretatus : meminit quidem Pauſanias μήτρος Διδυμήνης matris Dindymenæ, ſed ad aliud refertur : imò ipſe teſtatur Apollini templum eſſe in Didymis, ſiue Mileti. Strabo ſcribit oraculum clarum fuiſſe Mileſium Didymæi Apollinis. *Seleucum quidem iuſtitia & pietate Reges omnes antecelluiſſe facile adducor*, inquit Pauſanias, *quippe qui Apollinis coloſſum Mileſius à Xerxe ademptum & Ecbatana aſportatum in Branchidas reportandum curauit*, quod idem ſcribit Plinius & Demonactem aras Apollini

lini Didymæo ſtatuiſſe. Didymæum Mileſiis & Thebanis Iſmenium Apollinem fecit Canachus Sicyonius. Eiusdem Apollinis Mileſii meminit Apuleius, cum Pſyches parentem *Dei Mileſii vetuſtiſſimum percontari oraculum fabulatur, de futuris eius nuptiis ſollicitum: Apollinemque quamuis Græcum & Ionicum propter Mileſiæ conditorem latina ſorte reſpondiſſe.* Idem etiam celebrat Papinius his verbis, Lib. 6. c. 16. Lib. 4. metamorph. Lib. 1. Thebaid.

Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quiſquam
Limina, nec Lyciam ſupplex conſultor adibit.

At reliquæ ſortes, inquit Lucianus, *quæ in Didymis Claro Delphiſque redduntur vtrum ab authore proficiſcuntur Apolline, an vana ſunt quæ illic redduntur oracula?* Eius meminit Iuriſconſultorum Princeps his verbis, *Deos publica autoritate receptos hæredes bonorum inſtitui poſſe, ſicuti Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum &c.* In Pſeudomante. In fragm. Inſtitut. lib. 9.

Coorum typus ſolemnis ſerpens hic exhibetur, quorum cum Caligula ne quidem minimam coniunctionem ſuſpicor: nummi tamen raritas id fecit vt illum prætermittere mihi non licuerit. Cos inſula ex Cycladibus ſupra Cretam poſita eſt Diuini noſtri Hippocratis patria. Memoratur quidem Claudium Cois tributa remiſiſſe propter Xenophontem familiarem Medicum. in eius honorem fortaſſis Æſculapii typus expreſſus eſt.

ΓΑΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΘΕΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ CEBACTOI. *Duo capita aduerſa cippis impoſita Auguſti & Caii.* ΘΕΑ ΡΩΜΗ. ΙΕΡΑ CYNKΛΗΤΟC. ΙΛΙ. Dea Roma, Sacer Senatus, Ilienſium. *Capita aduerſa Romæ & Senatus Pallade intermedia.*

Mirum profecto quot quantaque contineat iſte nummulus. Capita Auguſti & Caligulæ ſe inuicem reſpicientia cippis Deorum more ſunt impoſita: vtrique viuo videntique aras, templa, ſta- Dio, lib. 51.

tuas

tuas dicauerunt & populus Romanus & gentes exteræ. De Auguſto quidem ſupra dictum eſt. *Caligula autem quum initio prohibuiſſet ne qua ſui effigies fieret, deinde ad ſtatuas ſibi ponendas ita delapſus eſt, vt paſſus ſit decretum de ſacrificando fortunæ ipſius in columna incidi, inſſeritque templa ſibi extrui, & rem ſacram tanquam Deo fieri,* καὶ ναοὺς ἑαυτῷ καὶ θυσίας ὡς καὶ Θεῷ γίγνεσθαι ἐκέλευσε. Deinde Caius habitu triumphali templum Auguſti dedicauit, nobiliſſimis pueris ætate florentibus cum virginibus eiusdem ordinis hymnum canentibus, epulumque Senatoribus & earum vxoribus ac populo datum, variaque ſpectacula edita &c. Se etiam Auguſto & ipſo Ioue fortiorem & ſanctiorem arbitrabatur, qui indignatus eſt dum à quodam Iuuenis Auguſtus eſt nuncupatus. Et hæc ſunt quæ erga Auguſtum & Caligulam parem venerationem populis indiderunt, & quæ fortaſſis Ilienſes Aſiaticum populum impulerunt, vt in eodem nummo vtriusque faciem ſignarent. Niſi forte eæ ſint quibus Artabanus ſacrificauit. De quo ſic Dio. *Lucius Vitellius Imp. pater inter alia egregiè acta Artabanum qui Armeniam impunè aggreſſus, Syriam quoque inuadere inſtituerat, obuiam ei repente ad Euphratem factus exterruerat, ita vt in colloquium veniret, ac ſacrificare eum Auguſti & Caii ſtatuis coëgerat,* καὶ θύσαι τε τῷ Αυγούστῳ τότε Γαΐῳ εἰκόσιν ἠνάγκασε. De Diua Roma, ſacroque Senatu iam in prolegomenis dictum eſt. Pallas intermedia vtriuſque victorias fortitudinemque indicat, cui adulantes Ilienſes Auguſto & Caio ſeruire demonſtrant. Ilienſibus quaſi Romanæ gentis autoribus tributa in perpetuum paulo poſt remiſit Claudius, recitata vetere epiſtola Græca Senatus populique Romani Seleuco Regi amicitiam & ſocietatem ita demum pollicentis ſi conſanguineos ſuos Ilienſes ab omni onere immunes præſtitiſſet.

Dio lib. 59. Ibid. Ibidem. Suetonius in Claudio. c. 25.

Claudius Germanici frater Lugduni natus anno v. c. dccxliii. patre Druſo, matre Antonia. annum agens quinquageſimum regnare cœpit, à Prætorianis militibus è latebris extractus; primus imperium mercatus eſt, promittens ſingulis militibus quatuor dena ſeſtertia. Hic fuit deſpectiſſimus infans, hebes & ſtolidus adoleſcens, tandem in ſtudiis eloquentiæ eo proceſſit, vt hiſtorias ſcripſerit; qua in re magiſtrum habuit Liuium. Sed fatuitas eius multipliciter exagitata eſt, cum præcipuè regeretur à libertis, quorum ingentia furta & ſycophanticam populus deteſtabatur. Agrippinam, Germanici fratris ſui filiam, duxit vxorem per inceſtum. Riſus ei fuit indecens, ſpumantibus labris, humentibus naribus, caput in quantulocunque actu vel maximè tremulum, quod Agrippina tandem in cœlum conſcendere iuſſit, porrecto ei boleto veneno infecto, conſcio Nerone qui ſucceſſit. Imperauit annos xiii. De eo extat hæc inſcriptio Rauennæ.

Gruter. inſcript. p. 136.

TI. CLAVDIVS DRVSI F. CAES. AVG.
GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II.
COS. DESIG. III. IMP. III. PP. DEDIT
OB MEMORIAM PATRIS SVI &c.

Legionum ſigna hic exhibentur, aquilæ nimirum alis expanſis cippis ſuis impoſitæ. Characteres inter vtrumque ſignati per Dionem explicatos arbitror his verbis. Κλαύδιος ὁ δὲ τὰ. hoc eſt, At Claudius qui ea tenus in tanto metu fuerat, vt paratus vltro ei, Camillo, principatu cedere eſſet, recepto tum animo, militibus cum aliis donis gratias egit, tum effecit, vt vrbanæ legiones ſeptima & vndecima CLAVDIANÆ, Fideles, Piæ, à Senatu nominarentur: in cuius rei memoriam nummi cum nominibus vtriusque legionis cuſi ſunt.
Lib. 55. Idem tamen Dio legiones enumerans ſub Auguſto, ſeptimæ meminit, quæ in Myſia ſuperiori Claudia vt plurimùm nuncupabatur, καὶ οἱ ἑβδόμοι οἱ ἐν τῇ Μυσίᾳ τῇ ἄνω οἱ καὶ Κλαυδιανοὶ μάλιστα ὀνομάζονται. Potuit autem Dio ſeptimam legionem vocare Claudianam per ἀναχρονισμὸν quia eius tempore ita dicebatur.

Alia legionum ſigna hic cernis. Aquila volitans fulguri impoſita eſt; pila, vexilla, lanceæ, imagines, clipei vtrinque ſunt diſpoſita veluti in acie. Legio vigeſima ſecunda quæ Primigenia, Pia, Fidelis ab Auguſto in Ægypto conſtituta, hoc monimentum ſui erga Principem Claudium amoris, erexit. locum in quo cuſus fuerit nummus inſcriptio docet, Coloniam Aroem Auguſtam Patrenſem, de qua dictum abunde in Auguſti nummis pag. 38.

TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. GERM. *Caput Claudij.* LIBERIS AVGVSTI. COL. A. A. P. *Duplex cornucopiæ, in cuius vertice capita muliebria, intermedio capite adolescentuli.*

EAmdem Coloniam Aroam Augustam Patrensem iterum vides, cui si nummi integritatem adiunxeris, Claudiique liberos sese inuicem respicientes, haud dubiè præstantissimum monumentum censebis. De Colonia illa dictum est pag. 38. Quænam sint tria illa capita adolescentuli in medio puellarum vtrinque ex Suetonio colligere licet. *Liberos ex tribus vxoribus tulit Claudius, ex Vrgulanilla Drusum & Claudiam: ex Petina Antoniam, ex Messalina Octauiam, & quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominauit. Drusum Pompeiis impuberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cui & ante paucos dies filiam Seiani desponderat. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamuis ante quintum mensem diuortii natam alique cœptam, exponi tamen ad matris ianuam & nudam iussit abiici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sullæ nobilissimis iuuenibus, Octauiam Neroni priuigno suo collocauit, Silano ante desponsatam. Britannicum vigesimo imperii die, inque secundo consulatu natum sibi, paruulum etiam tum & militibus pro concione manibus suis gestans & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens assiduè commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. Cumque impubi teneroque adhuc quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit vt tandem populus Romanus verum Cæsarem habeat.* Tres postremos superstites parenti charissimos hic nummus exhibet.

In Claudio cap. 2.

PHilippi vrbs est & Colonia Macedoniæ ad mare mediterraneum Ægeum. Philippum Alexandri patrem conditorem habuit, à quo nomen. Romanis in æternum memoranda propter Cæsaris

& Pompeii pugnam. Alii enim ſunt campi Philippici in quibus paulo poſt Auguſtus & Antonius vicerunt Brutum & Caſſium.

Virg. l. 1. Georg. *Romanas acies iterum videre Philippi.*

Adeo vt duo illi viri militari habitu non alii mihi videantur quam Iulius Cæſar & Auguſtus. Coniecturam firmat DIVVS AVGVSTVS baſi inſcriptus. *In Prouincia Macedonia Dyrracheni, Caſſandrenſes, Philippenſes &c. iuris Italici ſunt.*

Leg. 8. Dig. de Cenſib.

Duplex DD: in nummo ſignatum ſolent Antiquarii interpretari Decreto Decurionum. Ii erant quaſi coloniæ Præpoſiti cuius res gerebant. gratulantes itaque Decuriones Cibiritani in Lycaonia, Claudio palmam quaſi gentilitiam & coronam dedicauerunt. Id forte ſpectabant, quod narrat Suetonius his verbis: *Atque inter hoſtilia ſpolia naualem coronam faſtigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixit* Claudius, traiecti & quaſi domiti Oceani inſigne. Pantherarum Cibiraticarum meminit Cicero.

In Claudio cap. 17.

Solemnis coloniarum typus hic exhibetur. Colonus agit iugum boum vexillis militaribus ornatum: hæc inter, characteres COL. CL. meo iudicio coloniam Claudiopolim indicant, de qua Amm. Marcellinus: *Iſauriam duæ ciuitates exornant, Seleucia opus Seleuci Regis, & Claudiopolis quam deduxit coloniam Claudius Cæſar.*

Lib. 14.

Typum insolitum & percelebrem exhibet hic nummus; si illi detrito fas sit credere, Neptunus tridentem tenens æquora & ventos placat. Concha est pro curru quem Tritones trahunt. Insigne fortassis victoriæ Britannicæ monumentum.

Quamvis Arochæorum qui in nummo signati sunt, nullam apud Geographos mentionem repererim, quod in eodem inscriptum est, eorum regionem patefaciet. Flumen idque nauigabile describit Plinius in Locride Italica, Arocham nomine, à quo Arochæos dictos fuisse suspicor. Quid illi cum Myone, de quo ita Thucydides. *Et ante omnes Myonenses sibi finitimos, qua parte Locris inacceſſa est maxime, aut cum Anchialea Ciliciæ vel Anchialo Mysiæ*, non patet; nisi alteram Anchialam Myonensibus proximam supponamus: quos simul victoriolam in honorem Claudii repræsentasse verisimile est, quam ad Britannicam, quod vnica ea sit, reuocare placet. Myon & Anchialus vrbes Epiri ab Ortelio recensentur. Lib. 3. c. 10.

Raritatem horumce nummorum vel ex eo intelligas quod duplici exarati sunt idiomate: Cyprii more patrio, Græcè loquuntur in aduersa parte: cum Claudii nomen dignitatesque Romanis characteribus legantur, fortassis ob reuerentiam. Alter insuper nomen

habet magiſtratus quem non niſi ex nummo noui: Cominius Proculeianus ab Imperatore vel Prætor vel Legatus Cypriis præpoſitus erat. L. COMINIVS nominatur in inſcriptione antiqua, ſed ad rem noſtram pertineat, nec ne dubito. Cyprum autem in mari mediterraneo Veneri ſacram fuiſſe nemo non nouit. de ea dictum eſt pag. 80.

Gruter. inſcript. p. 168.

Is erat Claudius Imperator, de quo adhuc incertum eſt, dotes ne in ipſo maiores fuerint an vitia: eum tamen in præcipuis Græciæ vrbibus celebratum nummi probant antiqui. ne quid quod præſtare poſſumus deeſſet, quatuor hoſce appoſui quamuis ex parte mutilos. Primus Sardianos celebrat qui in Aſia propria ſiue in Syria erant. Palladem eam eſſe quæ galeata eſt è clipeo in quo Meduſæ caput cernitur, nullum eſt dubium, de illa ſic Ouidius,

Metamorph. Lib. 6. fab. 19.

At ſibi dat clypeum dat acutæ cuſpidis haſtam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide corpus,
Percuſſamque ſua ſimulat de cuſpide terram &c.

De AMASIA appoſita non facile eſt exponere, videant acutiores: eam enim ad Galaticam reuocare non placet. Secundus à Nicæenſibus cuſus eſt; ſed quale ſit illud templum aut potius porticus vt & qualis ſit ille Pro-Conſul cuius nomen detritum eſt, docebit nummus integrior, ſi quandoque occurrat. Cæteri duo & Socratem celebrant & Æſculapium, quibus de cauſis & à quibus cuſi fuerint fateor me neſcire, cum tamen illos rariſſimos arbitrer.

Perrarus hic nummus Claudii facie inſignitus non eſt, ſed quod eius nomen in eo legatur & ad eius hiſtoriam plurimùm faciat, ideo ſculpi curauimus. Caput ſenile Herodis exprimit faſcia regali præ-

præcinctum: Illum ita benè explicat Illustrissimus Seguinus, ut aut addere aut detrahere nefas esse duxerim: Herodes Agrippa senior à quibusdam magnus appellatus, filius Aristobuli, quem pater Herodes Ascalonita peremit, tantum Caio Caligulæ adhuc Cæsari familiaris extitit, vt in lectica cum eo iter agens, Tiberio celerem mortem optaret, quò Caius citius imperio potiretur. Quod cum resciisset Tiberius, eum in carcerem detrusit. At mortuo opportunè Tiberio, Caius Agrippam carcere liberatum, regem Iudææ constituit, eique catenam auream eiusdem ponderis atque ferream, qua detentus fuerat, dedit, & ius etiam concessit, in templum Hierosolymitanum, in Sacerdotium, & res sacras: tantaque amicitia inter eos coaluit, vt vulgò Romæ iactaretur, Agrippam cum Antiocho Comageno, ipsum Caium ad tyrannidem instituere. Nec minori apud Claudium gratia valuit, cui post Caium occisum, egregiam in adipiscendo imperio operam præstitit. Ab eo enim impetrauit regnum Chalcidis ad Libanum, HERODI fratri suo, cuius gratia regum Iudæorum familiam attigimus. Hic postquam Agrippa (cuius filiam Berenicen in matrimonium acceperat) Cæsareæ ab Angelo percussus interiit, vt narrat D. Lucas: plurima idem à Claudio obtinuit, & eadem qua frater porentia, Iudæorum summos Pontifices pro arbitrio mutauit, quod ius in successores vsque ad excisa Hierosolyma transmisit. Quo fit, vt minimè mirum videri debeat relictum esse ab eo grati animi monumentum, nummum insignem æreum secundæ magnitudinis, in quo CLAVDII STVDIOSVS dicitur, φιλοκλαύδιος. In Select. Numism. Act. 22.

Imperatorem Romanum suo modo venerabantur exteræ gentes. Iouem cuius cognomen celat nummi erosio, Nilum cum cornucopiæ duplici, è quorum vno prodit infans, Deam cum elephantis proboscide Africam referentem, & aquilam fulguri insistentem, diuersi populi repræsentarunt, quos omnes Africanos esse ex typis & fabrica certum est.



Dio.lib.60. Solin.c.29. Lib.5.c.31. *Senatus Claudio perſuaſit vt propter res in Mauritania geſtas honores triumphales acciperet, non modo ab ipſo non geſtas, ſed ne ſub eius quidem imperio.* Paulo poſt, *Claudius Mauretaniam ſubditam in duas partes diuiſit Tingitanam & Cæſarienſem, duobus iis equitibus præpoſitis. Cæſarienſi colonia Cæſarea inest à D. Claudio deducta. Oppidum ibi celeberrimum Cæſarea*, inquit Plinius, *antea vocitatum Iol, Iuba regia, à Diuo Claudio colonia iure donata, eiuſdem iuſſu deductis veteranis.* Eodem tempore finitimi barbari quum Numidiæ quaſdam partes infeſtaſſent victi bello ſunt ac Numidia pacata. Hæ prouinciæ Senatui aſſentientes, honores quantum potuerunt in Claudium congeſſerunt. Caduceus pacem, Manus iunctæ fidem publicam, Hippopotamus Nilum, bos Apim, fruges Ægypti fertilitatem indicant: Prioribus Imperatoris nomen adiectum eſt vt ſummi Principis, cœteris anni imperii.



ΘΕΑ CEBACTH. Dea Auguſta. *Caput Liuiæ.*

Diu cunctati ſunt nummorum Interpretes, cuinam hunc tribuerent: cum enim plures vxores habuerit Claudius, ex illis quamdam ſeligunt ſuæ interpretationis fundamentum. Ego Iuliam Auguſtam D. Auguſti poſtremam vxorem Claudii Imperatoris auiam, in nummo expreſſam eſſe ſine vlla dubitatione cenſeo. Primùm enim nulla ex Claudii vxoribus Dea facta eſt, quod tamen in nummo legitur ΘΕΑ CEBACTH. Deinde coniecturam firmat neceſſitudo, nepotis cum auia quam exprimit Suetonius his verbis: *Conuerſus hinc ad officia pietatis, iusiurandum neque ſanctius ſibi neque crebrius inſtituit quam* PER AVGVSTVM. (quem ſacrilegum per capita humana iurandi morem indignatus Tertullianus his verbis inſectatur, *Citius*, inquit, *apud vos per omnes Deos quam per vnum genium Cæſaris peieratur.*) *Auiæ Liuiæ diuinos honores & circenſi pompa currum elephan-*

In Claud. cap.11. Apolog. cap.28.

elephantorum Auguſtæo ſimilem decernendum curauit. Parentibus, Druſo ſcilicet & Antoniæ *in ferias publicas, & hoc amplius Patri circenſes annuos natali die, matri Carpentum quod per circum duceretur & cognomen Auguſtæ ab Auia recuſatum*; hæc Suetonius. Verùm Plinius Liuiam dictam fuiſſe Auguſtam aſſerit cum primùm pacta eſſet Cæſari: *magnitudo chryſtalli ampliſſima*, inquit alibi, *adhuc nobis viſa erat, quam in capitolio Liuia Auguſta dicauerat librarum circiter quinquaginta.* Rem propiùs attingit Dio, his verbis, *Claudius Liuiæ Auguſtæ effigiem in templo D. Auguſti dedicauit, ac rem ſacram ei fieri à Veſtalibus mandauit, mulieresque per nomen eius iurare voluit.* Quibus adducor vt credam, nullam aliam niſi Liuiam Auguſti in hoc nummo ſignatam eſſe: cum enim illi tantos honores & tam diuinos decreuerit, hic honos imaginis aliàs ſatis vulgaris prætermitti vix potuit.

Hiſt. natur. lib. vltimo.



ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Tiberius Claudius Germanicus Auguſtus. *Caput Claudii.* ΔΡΟΥΣΟΣ ΓΕΡ. ΑΝΤΩΝΙΑ. *Capita aduerſa Druſi & Antoniæ coniugum.*

Filii pietas erga parentes optimos hic cernitur. *Claudia gentis Druſus erat, cuius ſolemnis cognominis rationem repetunt ab Drauſo hoſtium Duce comminus trucidato. Is in quæſturæ prætura que honore Dux Rhætici deinde Germanici belli, oceanum ſeptentrionalem, primus Romanorum Ducum nauigauit, transque Rhenum foſſas noui & immenſi operis fecit, quæ nunc etiam Druſinæ vocantur: inde Germanici cognomen ſenatusconſulto ipſi poſterisque eius decretum eſt, quod in nummo legitur. Quas ob res ouandi ius & triumphalia ornamenta percepit, ac poſt præturam confeſtim inito conſulatu, atque expeditione repetita, ſupremum diem morbo obiit, in æſtiuis caſtris, quæ ex eo ſcelerata ſunt appellata. Corpus eius per municipiorum coloniarumque Primores ſuſcipientibus obuius ſcribarum decuriis, ad vrbem deuectum, ſepultum eſt in campo Martio. Cæterum exercitus honorarium ei tumulum excitauit: circa quem deinceps ſtato die quotannis miles decurreret, Galliarumque ciuitates publicè ſupplicarent. Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum Trophæis via Appia decreuit.* De illo pulcherrima leguntur apud Suetonium & Ouidium.

Suetonius in Claudio, c. 1.

In fastis. *Et mortem & nomen Druso Germania fecit,*
Me miserum virtus quam breuis illa fuit.

Lib. 55. Nec prætermittendum censeo Dionis Testimonium, his verbis, καὶ ὁ μὲν ἔτι ὃ Ἄρειον &c. hoc est, *Drusi funus ab iis qui ordinem equestrem cum dignitate seruabant, & à Patriciis in campum Martium est allatum: ibi cremati reliquiæ in Augusti sepulchrum conditæ sunt, Germanicique nomen ei & filiis datum, honoresque statuarum & arcus triumphalis & honorarii ad ipsum Rhenum tumuli dati.* De Antonia minore Drusi vxore, Claudii matre quæ è regione videtur,
Suet. in Claud. c. 3. dictum in pag. 82. Vnum addam illam suum filium *Claudium portentum hominis dictitasse, nec absolutum à natura, sed tantum inchoatum*; ac si quem socordiæ argueret, *stultiorem* aiebat *filio suo Claudio.* Scire cuperem à qua Græciæ ciuitate cusum fuerit hoc numisma.



Capita Claudii & Messalinæ.

Suet. in Claud. c. 26. *Claudius sponsas admodum adolescens habuit Æmiliam Lepidam, Liuiam Medullinam: priorem virginem adhuc repudiauit, posteriorem ipso die qui erat nuptiis destinatus ex valetudine amisit. Vxores deinde duxit Plautiam Vrgulanillam & mox Æliam Petinam: cum vtraque diuortium fecit. Post has Valeriam Messallinam Barbati Messallæ consobrini sui filiam in matrimonium accepit; quam cum comperisset super cætera flagitia atque dedecora C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit, confirmauitque pro concione apud Prætorianos, quatenus sibi matrimonia malè cederent, permansurum se in cœlibatu: ac nisi permansisset, non recusaturum confodi manibus ipsorum.*

Dio. lib. 60. *Messallina verò adulteriis & stupris non contenta, iam enim etiam in lupanari in palatio sese & alias primarias fœminas prostituebat, maritos quoque simul multos, scilicet lege quadam habere cupiuit &c.* Erat enim illa extremæ libidinis ac impudicitiæ femina: Narcissus Claudio ab ea seiuncto, pellicum ministerio omnem rem aperit, qui reversus in vrbem Mnesterem & multos alios trucidauit, ipsam
Satyr. 6. deinde Messallinam. De hac plura Iuuenalis,

Respice riuales diuorum, Claudius audi
Quæ tulerit, dormire virum cum senserat vxor, &c.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Claudii.* ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Capita Claudii & Agrippina aduerſa.*

Coniunctos vides hoc in nummo coniuges. *Poſt necatam Meſſallinam Claudius fratris ſui filiam Agrippinam, matrem Domitii Neronis, vxorem duxit, forma inſignem & quæ ad eum vt patruum crebrò commearet, ſolaque cum eo eſſet blandius accepta quam fratris filiam decet. Agrippina vbi primum in regiam venit mulier tractandis negotiis aptiſſima, Claudio quamquam ipſe ex ſe natos liberos haberet, perſuaſit vt filium ſuum adoptaret, eumque ad gerendum imperium inſtruxit ſub Præceptore Seneca &c.* Agrippina tandem marito ſuo, Neroni quodammodo ſubinfenſo & Britannico fauenti, boleto medicato vitam eripuit. Neſcio quænam ciuitas Græciæ primum hunc nummum cuderit. Dio lib. 60.

Capita Claudii & Agrippinæ in ſequenti nummo iunxerunt Smyrnæi innuendæ coniugum concordiæ, quamuis ea diu inter eos non permanſerit. Aſtuta fœmina virum ſuſtulit, quo filium Neronem ſummæ rerum præficeret. Victoriam quæ ſerpentem baculo regere videtur ſalutem referre veriſimile eſt. Creſchius ille per quem cuſus fuit nummus, qui fuerit, ignoro.

Nummi Claudii per Titum reſtituti.

Quos nummos Claudii Imperatoris incuria raros fecerat, eos denuo cudi curauit, Titus partim Claudii virtutibus ductus, partim neceſſitudine. *Claudius Veſpaſianum cum fratre Sabino in Britanniam legatum miſerat, qui ipſi traiecto amne permultos barbaros improuiſo interfecerunt. In eadem expeditione, ſocius paterni honoris* Suet. in Claud. c. 4.

atque fortunæ verſabatur Titus qui circundato à barbaris Veſpaſiano & in extremo periculo verſato, patri metuens coronam hoſtium incre-
Dio l. 60. *dibili audacia disiecit, fugientesque inſecutus cecidit.* Huius legationis meritum compenſaturus erga Claudii patroni ſui memoriam Veſpaſianus Claudium funeratum ſolenni Principum pompa & in numerum Deorum relatum, poſtea hoc honore exutum à Nerone, vt nar-
Sueton. in Veſp. c. 9. rat Suetonius, reſtituit. *fecit & templum D. Claudii in Cælio monte cæptum quidem ab Agrippina ſed à Nerone prope funditus deſtructum.* Pallas in primo nummo repræſentatur vulgari habitu: in ſecundo 1.
L. 1 c. 79. Spes florem manu tenet, quem ex forma & Artemidori interpreta- 2.
tione lilium interpretari placet: *Coronæ*, inquit, *ex liliis concinnatæ*
Hieroglyph. lib. 35. c. 9. *res in ſpes differunt atque dilatant.* Pierius vberiùs explicat lilium eſſe ſymbolum ſpei. Conſtantia quæ in argenteo Claudii nummo ſedet 3.
hic ſtat, quo modo vigiles in columna Traiana repræſentantur, quibus Conſtantia maximè opus eſt: hac Claudius demonſtratur conſtanter pro ſalute Reipublicæ excubare. Eius geſtum ſic explicat
Lib. XI. Quintilianus; *Index in exprobrando & indicando, vnde ei nomen eſt, valet, & alleuata ac ſpectante humerum manu paulum inclinatus affir-*
In Claud. c. 18. *mat.* Cererem quæ in quarto eſt, explicat Suetonius, his verbis; 4.
Vrbis annonæque curam ſolicitiſsimè ſemper egit Claudius, & paulo poſt, *nihil non excogitauit ad inuehendos etiam in tempore hiberno commeatus: nam & negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, & naues mercaturæ cauſa fabrican-*
Lib. 60. *tibus magna commoda conſtituit.* Clariùs adhuc Dio his verbis: *Fame ingenti exorta non modo ad præſens tempus copiæ alimentorum, verùm in perpetuum etiam proſpexit, idque maximis ſumptibus.*

Quam hi nummi repræſentant vix coniicerent Antiquarii, niſi in vno ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ legeretur, quæ omnem dubitandi locum tollit. Ea eſt Germanici & Agrippinæ filia, Caligulæ ſoror, ſexta Claudii vxor, Neronis ex Domitio mater. Tanta eius fuit ambitio, tantaque erga filium propenſio, vt ne ſuæ quidem mortis metus imperii ſpem leuare potuerit; *Occidat*, inquit, *modo imperet*. Nec Chaldæorum reſponſum fefellit euentus: Nero enim Imperator factus illam veneno aliiſque artibus necare tentauit, quibus fruſtra adhibitis, per Anicetum gladio confodit, ad quem tunc Agrippina, *Hanc tu percute*, Anicete, *percute, quoniam peperit Neronem.* Xiphilin. Tacit. l. XIV. cap. III.

Fertilitatem referunt quæ in auerſis nummis cernuntur effigies. Formam Agrippinæ & Veneris & Cereris in vnum cogentes Græci more ſuo vſi; etenim Principes tanquam Deos celebrabant, ΕΥΘΗΝΙΑ dilucidè legitur, VBERTAS, quam ſpicæ denotant, in cuius tamen locum ΕΙΡΗΝΗ ſubſtituitur ab Ant. Auguſtino, for- Dial. 2. taſſis ob characterum conformitatem aut nummi detritionem. Nulla vrbis in qua nummi fuerint cuſi apparet nota.

ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. Agrippinam Auguſtam. *Caput Agrippinæ è cuius ſinu prodeunt ſpicæ intermedio papauere.* ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΡΑΣ, ΑΚΜΟΝΕΩΝ. Sub Serotinio Capitone & Iulia Seuera, Acmonenſium. *Diana cum nympha.*

Nummulum faciunt exquiſitiſſimum raritas & integritas. Agrippina ſexta Claudii vxor in eo repræſentatur ſub Deæ habitu quam Cererem ex ſpicis interpretari licet. Is tamen Romanorum mos fuit ſuas Auguſtas ſpicis & papauere intermedio inſignire, fœ-

cunditatis indicandæ & laudandæ gratia. Διὸ καὶ κατέστεπται τὸ Βρετας αὐτῆς τοῖς στάχυσι, μήκωνές τε περὶ αὐτὴν τῆς πολυγονίας σύμβολον. Sponsi eadem ratione coronabantur papauere, *quod etiam vrbes indicat*, inquit Porphyrius, Πόλεως ὁ μήκων σύμβολον, eas nimirum quæ Augustæ sunt subditæ: quamobrem inter spicas sæpe Augustis præmittitur, vt paulò ante Messallinæ. Auersa facies Dianam exhibet sagittam è pharetra promentem, arcu vibrandam quem expeditum tenet, cum ceruo ad pedes & nympha caput cerui tenente. Certum est his in regionibus Dianam supra cœteras Deas coli. Acmonenses populos esse Phrygiæ Pacatianæ & ex eius conuentibus docet Plinius. Acmonii episcopatus mentio fit in Conciliorum opere. Quid illi cum Agrippina & quis sit ille Serotinius Capito & Iulia Seuera, ignoro. nisi ædituos aut sacerdotes templi Dianæ intelligas.

Apud Eusebium lib. 3. de præp. cap. 11. de Cerere.

Lib. 5. c. 29.

Eiusdem Agrippinæ effigiem vulgauere Cotyenses Phrygiæ salutaris metropolitani, illam vt alteram Cybelem suæ regionis Deam præcipuam venerantes, quæ ex suis Leonibus dignoscitur. Quis fuerit Iulius ille filius qui nummum cudit, nescio.

NEro Romæ naſcitur, Cn. Domitio Aheno-barbo patre, Iulia Agrippina Germanici filia, matre. Nequitiam & petulantiam Neronis Domitius pater, non ex vaticinio ſed ex ſuis & Agrippinæ moribus prædixit. Non enim, inquit, fieri poteſt vt ex me & illa vir bonus naſcatur. Vndecim annorum à Claudio eſt adoptatus. Ætatis XVII. Imperator fit à militibus, cum promiſiſſet eis tantumdem pecuniæ quantum Claudius dederat. Agrippinam matrem, Octauiam & Poppæam vxores, Senecam Præceptorem necauit. Exercuit magnam ſæuitiam in Chriſtianos hac occaſione quod cum magna pars vrbis incendio periiſſet, quod ipſe excitauerat, falsò dixit autores eſſe Iudæos, quo nomine tunc & Chriſtianos comprehendebant. Senatum univerſum veneno necare voluit. Audita contra ſe Galbæ defectione collapſus & animo fractus, diu ſine voce iacuit, poſtea caput conuerberauit & veſtem ſcidit. Galbæ exercitu accedente fugit, & militibus ad ſupplicium eum quærentibus, ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis, exclamans, *Iuppiter, qualis artifex pereo!* Interitum eius lauri quæ à Liuia plantatæ fuerant, & genus albarum gallinarum quæ ante occiderant, non obſcurè denunciarunt. Vixit annos XXXII. imperauit XIII. Xiphil.



IMP. NER. CLAVD. CAES. AVG. *Caput Neronis, ad cuius collum ſerpens.* S. C. *in laurea.*

In Nerone c. VI. Suæ fortunæ Symbolum hic exhibet Nero, ſerpentem collo appenſum. Narrat Suetonius, *miſſos à Meſſallina vxore Claudii qui Neronem meridiantem quaſi Britannici æmulum ſtrangularent: additum fabulæ eſt eosdem dracone è puluino ſe proferente conterritos refugiſſe: Quæ fabula exorta eſt deprehenſis in lecto eius circum cervicalia ſerpentis exuuiis, quas tamen aureæ armillæ ex voluntate matris incluſas dextro brachio geſtauit aliquandiu, ac tædio tandem maternæ memoriæ* Lib. XI. *abiecit, rurſusque extremis ſuis rebus fruſtra requiſiuit.* Eius rei mentionem facit Tacitus, his verbis, *vulgabatur affuiſſe infantiæ Neronis dracones in modum cuſtodum: fabuloſa res, & externis miraculis aſſimilata: nam ipſe haud quaquam ſui detractor vnam omnino anguem in publico viſam narrare ſolitus eſt.*

MACELLUM Auguſti interpretari non dubito: quod ædificium tantis fultum columnis Romæ fecit Nero hoc nomine donatum fuit: Xiphilinus. τότε καὶ τὸν ἀγορᾶν τῶν ὄψων ὃ μακελλον καλέεσσι, hoc eſt, Forum obſoniorum MACELLVM nuncupatum dedicauit. Et ne eius memoria intercideret, hic nummus à Romanis fuit conflatus, quos euentus non fefellit. Multi enim nummi ſuperſunt hoc idem ſignificantes, cùm nullum prorſus Macelli reſtet veſtigium.

Portus cernitur in nummo elegantiſſimè ſcalptus, qui quamuis ex maiori modulo frequenter occurrat, non mihi niſi ſemel contigit hunc de mediocri ære vidiſſe. Scribit quidem Suetonius *Neronem Antium Coloniam deduxiſſe, vbi & portum operis ſumtuoſiſſimi fecit.* Nullum ſupereſſet dubium eum, in nummo ſcalptum eſſe, niſi inferior inſcriptio aliô rem traduceret. indicatur enim PORTus OSTienſis quem à Claudio Imp. extructum fuiſſe ſcribit idem Suetonius, *Circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo iam ſolo mole obiecta, quam quo ſtabilius fundaret, nauem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat aduectus, congeſtisque pilis ſuperpoſuit, altiſſimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent.* Ea ferè omnia in nummo cernuntur, & inſuper ſtatua quæ ſiue ſit AVGVSTI ſiue iſtius portus Conditoris, in ſuperiori parte conſpicua eſt. Scribit tamen Suetonius Neronem feciſſe *foſſam ab Auerno Oſtiam vſque vt nauibus nec tamen mari iretur, longitudinis per centum ſexaginta millia.* Neroni autem eos attributos fuiſſe honores quos Claudius erat meritus apud Romanos, dubium eſſe non debet: Ii frequenter ſucceſſoribus eosdem decreuere quos priores Imperatores ſuſcipere non potuerant. ſic decretus Hadriano triumphus ob rem præclarè ab Traiano geſtam, quo ipſe morte præuentus gaudere non potuerat. Firmant coniecturam appoſita S. & C. indicant enim Senatus-Conſulto percuſſum fuiſſe nummum.

In Nerone cap. IX.

In Claudio cap. XX.

In Nerone cap. 31.

Omnium meo iudicio antiquarum inſcriptionum ſuperbiſſimam hic nummus exhibet. In medio cernitur templum Iani Quirini quod Numa ſecundus Romanorum Rex extruxit, qui index pacis foret & belli, vt apertus in armis, clauſus in pace ciuitatem eſſe ſignificaret. Ab ipſo Numa primùm clauſum eſt. Iterum poſt

Plutarchus.

primum Punicum bellum anno v. c. DXIX. Tertiò poſt Actiacam pugnam ab Auguſto DCCXXV. quartùm ab eodem poſt bellum Cantabricum anno DCCXXIX. quintùm ab eo ipſo circa tempora CHRISTI Saluatoris. ſextum cluſit Nero DCCCXI. *Ianum Geminum clauſit tam nullo quam reſiduo bello*, inquit Suetonius; & id
Ner. cap. 13. nummus indicat. Sed quia Nero ſine vera cauſa clauſerat, prætermiſerunt Tacitus & Oroſius. ſeptimùm Veſpaſianus anno v. c. DCCCXXIV. à quo magnum apud hiſtoricos ſilentium ſuper Iani portis. Eam tamen manſiſſe conſuetudinem antiquam teſtatur Capi-
In Gordiano. tolinus; ait enim anno DCCCCXCV. Gordianum Iano aperto quod ſignum erat indicti belli profectum eſſe contra Perſas. Sed & ſub Chriſtianis Imperatoribus ſeruatum aliquandiu vetus hoc inſtitutum,
Lib. XVI. teſtis locuples Ammianus Marcellinus, qui in hiſtoria rerum geſtarum à Conſtantio, clauſi ab eo Iani mentionem facit, cum deuicto Magnentio & ſublatis omnibus tyrannis, vnus ille Romani orbis Dominus exſtitit anno v. c. CIↃ CV. formulam autem quæ in nummo legitur frequentem eſſe & illuſtrem probat Suetonius his
In Aug. cap. XXII. verbis, *Ianum Quirinum ſemel atque iterum à condita vrbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo breuiore temporis ſpatio, terra mariq; pace parta, Auguſtus ter cluſit.* Iani templum fuiſſe in medio foro ex aduerſo Capitolii tradit Procopius; *Erat*, inquit, *Sacellum totum ex ære conſtitutum, quadrata quadam dimenſione tantæque altitudinis quanta integra Iani ſtatua poterat ænea quinquepedalis capi, capite duntaxat bifrons. Captis Faliſcis*, inquit Seruius, *ciuitate Thuſcia ibi inuentum eſt ſimulachrum Iani cum frontibus quatuor, fuerat enim bifrons apud theatrum Marcelli, vnde quod Numa inſtituerat tranſlatum eſt ad forum Tranſitorium & quatuor portarum vnum templum inſtitutum.*



NERO CLAV. CAE. AVG. IMP. VRINO VOLVMNIO. *Caput Neronis.* NERO CLAV. CAES. AVG. IMP. OCTAVIA AVG. *Capita ſeſe invicem reſpicientia Neronis & Octauiæ, hoc Lunæ illud Solis figura inſignitum.*

VIr & vxor ſeſe inuicem reſpiciunt, ſyderum modo, quorum in capite geſtant ſymbola, lunam hæc refert vt ille ſolem, mundi præci-

præcipua lumina quibus in cœlis cœtera vt Imperatoribus ſublunaria inſeruiebant. Cœterum circum Neronis caput VRINO VOLVMNIO legitur, quod Triſtanus interpretatur quaſi cæleſti & beneuolenti. Ουρανὸς enim apud Græcos Saturni parens fingebatur, rerum omnium Seruator. Iouis Vrii meminit Cicero his verbis, *Quid ex æde Iouis religioſiſſimum ſimulachrum Iouis Imperatoris, quem Græci Vrion nominant, pulcherrimè factum nonne abſtuliſti?* & Arrianus ὃ ἱερὸν τοῦ διὸς τοῦ οὐρίου διέχει ἀπὸ Βυζαντίου σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Volumnus à D. Auguſtino ſic explicatur, *Deo Menti*, inquit, *vt bonam haberent, Deo Volumno & Deæ Volumnæ vt bona vellent*, quæ recenſentur inter coniugalia numina. Is eſt fortaſſis qui Volianus in inſcriptione antiqua nominatur.

6. in Verrem.

Lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 2.

NVMINI AVGVSTORVM
DEO VOLIANO.

Hos titulos Neroni non tantum dicat nummus, verùm & Sardonix antiqua, in qua NERO VOLON. id eſt Volonico aut Volonio, vt bona vellet.

NERO CLAVDIVS CAESAR AVG. IMP. TR. P. P. P. *Caput Neronis.* COL. IVL. AVG. CASSANDRENS. *Caput Iouis Ammonis.*

Coloniam Iuliam Auguſtam Caſſandrenſem interpretor, quæ in prima Macedonia iuxta mare in Iſthmo Pallenenſi ſita eſt; hanc quondam Potidæam nunc Caſſandriam coloniam nuncupat Plinius. Vbi lapidem è cœlo delapſum coli ſcribit, terramque in mare demerſam lapideſcere. Autorem Coloniæ nomen indicat Caſſandrum: ſed cur Iulia, cur Auguſta nominetur, non video. Certum eſt hanc id debere alicui ex ſex primis Imperatoribus Romanis, ſed legiſſe non memini. Quemadmodum Claudio colonia Cibaris erat gratulata vt dictum eſt pag. 100. ſic Neroni filio ſuum obſequium hoc nummo teſtata eſt. Doleo plura neſciri quæ hanc coloniam ſpectant: coniicio EX CONSENSV omnium ordinum hunc nummum fuiſſe conflatum qui taurum ſacrificandum exhibet.

Lib. 4. c. 10.
Lib. 2. c. 88.
Lib. 35. c. 13.



Triplex Corinthi erga Neronem officium hi nummi repræſen- 1.
tant. In primo quidem Bellerophon Pegaſum domans, Co- 2.
rinthi ſymbolum explicatum eſt in Iulii nummo pag. 18. Coronam alter refert quam fortaſſis propter inchoatam in Iſthmo Achaico foſſam Corinthiaci Neroni detulerunt. De hac expeditione ſic Sue-
In Nerone cap. XIX. tonius, *In Achaia Iſthmum perfodere aggreſſus, Prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus eſt: tubaque ſigno dato, primus*
Xiphilin. *raſtello humum effodit & corbula congeſtam humeris extulit.* Eam tamen coronam potius ad Iſthmios ludos referri arbitror, qui &
Plutarch. Achaici & Corinthiaci à loco in quo celebrabantur, nominantur. Fauces ſunt anguſtæ inter maria Ægæum & Ionium, Achaiam Helladi iungentes, in quibus illi ludi omnium celeberrimi in hono-
Suet. cap. XXIV. rem Neptuni ſunt inſtituti. Poſt quos ſuo tempore exactos Nero prouinciam vniuerſam libertate donauit, ſimulque iudices ciuitate Romana & pecunia grandi: quæ beneficia è medio ſtadio Iſthmiorum die ſua ipſe voce pronuntiauit. Iſthmi pars altera cum delu-
Lib. IV. c. V. bro Neptuni quinquennalibus inclyta ludis, inquit Plinius. Iſthmici
Pauſanias in Corinth. ludi ne exciſa quidem à Mummio Corintho intermiſſi ſunt, ſed etiam in ipſa vrbis vaſtitate, vt eos faciundos curarent, datum negotium fuit Sicyoniis: reſtituta Corintho ad eos, qui nunc ſunt, inquilinos priſtinus honos rediit. Cæterum corona illa ex Apio, Σέλινον Græci vocant, rem totam dirimit, ἵν' ἐν ἀγῶνι βαρυκλύστῳ Ἑλλήνων Κορινθίοις σελίνοις,
Pindarus in Nemeis Hymno IV. hoc eſt, quo pacto in certamine Neptuni decoratus fuerit Corinthiacis Apiis. Solebant Corinthii ſuos athletas Iſthmiorum victores Apio coronare,

Græcaque Apium meruiſſe corona,

inquit Iuuenalis: meminit etiam Horatius,

Quis udo deproperare
Apio coronas curatue myrto.

In Bucol. ipſe etiam Virgilius huius mentionem facit,

Floribus atque Apio crines ornatus amaro.

Illud eſt Apium quod Galenus vrinas & καταμήνια ciere tradit, & magis ſemen quam herbam ipſam, quodque iucundum, familiariſſimum
Lib. 2. de Dieta. & ſtomacho gratum eſſe ſcribit. Hippocrates vrinam mouere potius quam aluum etiam aſſerit.

Est Apium dictum quod Apex hanc ferre solebat
Victoris, veterum fieret dum more triumphus. Macer.
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides; morem tenuere sequentes.

Nec prætermittendum Timoleonta pro Syracusanis in Carthaginenses depugnaturum, quum forte Apii vis magna extruendis toris subuectaretur, victoriæ omen inde concepisse, quoniam Isthmiaca corona contexi Apio consuesset, proinde milites sic iussisse coronari, moxque insigniter hostium copias concidisse. Diodorus.

3. Tertius nummus nauim prætoriam exhibet qua vectus censetur Imperator: Duum-viri circum nummos inscripti vix leguntur.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. Nero Cæsar: *caput iuuenile Neronis.* ΓΑΙΟΣ ΠΟΣΤΥΜ. ΛΑΟΔΙΚΕΙΑΣ. Caius Posthumius Laodiceæ. *Vir togatus aquilam dextra tenens, sinistra veluti ara innixa, iuxta columnam super qua corona in qua B.*

Quis sit ille Caius Posthumius quem nummus demonstrat, ignoro: Cur Laodicea in honorem Neronis adhuc viuente Claudio nummum cuderit, non satis liquet, nisi huic vrbi Cæsar priuilegia quædam contulerit. Narrat Tacitus, *Neronem vt studiis honestis & eloquentiæ gloria nitesceret, causa Iliensium suscepta, Romanum Troia demissum & Iuliæ stirpis authorem Æneam, aliaque haud procul fabulis vetera facundè executum, impetrasse vt Ilienses omni publico munere soluerentur.* Plures sunt Laodiceæ: sed ex iis non liquet cui illarum hic nummus tribuatur. Aquila quidem & ara fœlicitatem & imperium videntur portendere Neroni: corona columnæ innixa in qua B legitur æternitatem fortasse τῆς Βασιλείας subindicat. Scribit Suetonius, *instituisse ciuitates apud quas musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad Neronem mittere, quas adeo gratè recipiebat, vt legatos, qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret: aiebat solos scire audire Græcos, solosque se & studiis suis dignos.* Caius Posthumius Laodiceæ fortassis Legatus fuit. Quidni spectaret hæc corona ad eam quam obtinuit citharœdorum, de qua sic Xiphilinus; *cæteris enim omnibus vt indigni victoria iudicatis, coronæ ad Neronem ex omnibus certaminibus, quasi solus victoria dignus esset, postea mittebantur.* Leues coniecturæ probabiliorem fortasse suscitabunt. Lib. XII. cap. XII. In Nerone cap. 24. In Neronc.

Populum Romanum primum huius tabellæ nummum obtuliſſe 1.
Neroni ex inſcriptione notum eſt: ſed quis fuerit populus ille
Romanus examinandum eſt. Certè Roma in Italia latinè ſcribe-
batur: nummus græcis characteribus inſcriptus coniecturam facit,
Byzantii in Thraciæ parte quæ Romania dicitur ſignatum fuiſſe,
quare Conſtantinopolitani dicti ſunt Romæi. Vernacule hæc pro-
uincia *Romeli* nuncupatur. Byzantium à Conſtantino Magno
Νέα Ρώμη dictum eſt, quod & Conſtantinopolis.

Citharœdi mores affectaſſe Neronem palam eſt, quamobrem 2.
ſæpe in nummis eorum habitu cernitur. Græci ingenioſiores eum
ſub Apollinis figura repræſentabant, qualis cernitur in nummo.
Populos qui nummum cuderunt, non ſatis noui.

Tertium nummum interpretari difficile. Clarum eſt quidem 3.
per Aulum CAIVM ERISIPPVM cuſum fuiſſe: ſed quis fuerit? qua
de cauſa & à quo populo, obſcurum.

Neronem habitu Apollinis & citharœdi vides, qualem poſt tot
Suet. in Ner. c. 24. & 25. acquiſitas in variis certaminibus coronas Suetonius deſcribit his
verbis: *Item ſtatuas ſuas citharœdico habitu, quâ nota etiam nummum*
percuſſit. Quod Romanis & Græcis characteribus inſignitos eius
formæ nummos videamus, id indicat & in Italia & in Græcia ſignatos
eſſe, è qua diſcedens prouinciam vniuerſam ciuitate donauit, citharam
Cap. 12. à certaminum iudicibus ad ſe delatam adorauit, ferrique ad Auguſti
ſtatuam iuſſit. *In theatrum prodit*, inquit Xiphilinus, *ſtetitque Cæſar*
in ſcena, habitu citharœdi. Neronem dictum fuiſſe Apollinem cuius
nomen in nummo legitur, docet idem Xiphilinus, dum adulantes
ipſi viros exclamaſſe frequenter ait, *Quam pulcher Cæſar, Apollo,*
Auguſtus, vnus veluti Pythius &c. & alibi Νέρωνι ὦ Ἡρακλεῖ, Νέρωνι ὦ
Ἀπόλλωνι, *Neroni Herculi, Neroni Apollini* &c. Victorias has quæ
coronas

coronas tenent in nummis forte celebrat Euſebius, dum ait Neronem Romæ in citharistarum agone contendentem cunctos ſuperaſſe. Dio etiam narrat Neronem poſt victoriam in omnis generis certaminibus adeptam ſic per virum conſularem præconium inſtituiſſe: ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΝΙΚΑΙ ΤΟΝ ΔΕ ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΚΑΙ ΣΤΕΦΑΝΟΙ ΤΟΝ ΤΕ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΔΗΜΟΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΙΔΙΑΝ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΝ: hoc eſt *Nero Cæſar victor huius certaminis coronat populum Romanum & ſuum orbem terrarum.* Hunc citharœdi habitum Neroni exprobrat Angla nobilis Bunduica, dum exercitum in Romanos concitans, illos citharœdo ſeruire dicit, muliebriterque ornato, voce ſua & cithara canenti. κιθαρῳδῷ καὶ τύτῳ κακῷ δουλεύουσας. Idem fere dicebat alter in vinculis qui aduerſus Neronem coniurauerat, *non poſſum citharœdo ſeruire.*

Suet. in Ner. c. 23.

Xiphil. lib. 62.

Neronis nomen in corona legitur, palmam circundat Cæſaris dignitas, ſic ferè Tiberio nummulus dicatus eſt ſupra ſcalptus pag. 76. Coniectura eſt eos in Ægypto aut Syria cuſos: Græca lingua id indicat; rudis confirmat celatura.

ΑΥΤ. ΚΑΙCΑΡ ΚΛΑΥ. ΝΕΡΩΝ ΣΕΒ. Imperator Cæſar Claudius Nero Auguſtus. *Caput Neronis.* ΚΛΑΡΟC ΕΠΙ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥC CΜΥΡ. Clarus ſub Ermogene, Smyrnæorum. *Fluuius decumbens dextra & humero arundinem geſtans, ſiniſtro cubito vrnæ ex qua aqua fluit, impoſito.*

Vnum hunc nummum vidi in quo Clarus legatur: hæc Colophonis vrbs fuit oraculo ſuo celeberrima. Eius meminit Tacitus his verbis, *Germanicus relegit Aſiam, appellitque Colophona vt Clarii Apollinis oraculo vteretur. In Apollinis Clarij ſpecu*, inquit Plinius, *lacuna eſt, cuius potu mira redduntur oracula bibentium breuiore vita.*

Pauſan. l. X. Pomp. Mel. l. 1. c. 17. Lib. 2.

Lib. 11. c. 103.

Ob Smyrnæorum viciniam quibus parebat Clarus, illorum fluuius Meles hic est appositus, quemadmodum in Homeri nummo supra explicato pag. 9. De Ermogene nihil legisse memini: coniectura est illum rexisse Clarum Smyrnæorum nomine.

ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΚΛΑΥΔ. ΝΕΡ. CEB. *Caput Neronis.* ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Augustus Macedonum. *Clypeus.*

Pollux lib. 1. cap. 9.

De milit. ordin. instituend. c. 12.

Pluribus Romanis Imperatoribus suum clypeum obtulerunt Macedones, quasi vt suis Principibus & patronis. Macedonum clypei sæpe ex auro & argento aut vtroque ingeniosa arte fabrefacti varioque ornatu erant conspicui. Clypeos Macedonicos ex ære laudat Ælianus vt optimos, eosque parum cauos longitudinis VIII. palmarum esse ait. Ἀσπὶς μὲν δὴ ἐστὶν ἀρίστη Χαλκῆ Μακεδονικὴ ὃ λίαν κοίλη ὀκταπάλαιστος.

Sueton. cap. XXV.

Thessalonicensium cum Nerone necessitudinem vllam me legisse non memini. Peragrauit quidem vniuersam Græciam, vbique cantauit, ac ex omnibus ciuitatibus coronas etiam per legatos accepit. Fortasse Thessalonicenses quam Neroni miserant, in suo nummo signari voluerunt. *Romam introiit eo curru quo Augustus olim triumphauerat, & in veste purpurea distinctaque stellis aureis chlamyde coronamque gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterarum cum titulis, vbi, & quos, quo cantionum, quoue fabularum argumento vicisset, sequentibus currum ouantium ritu plausoribus* &c. Sacras coronas in cubili circum lectos posuit &c.

Nihil peculiare in his nummis cernitur præter illam maiestatem, quæ Romanos Imperatores apud exteras gentes celebrabat. Nilus cum suo duplici cornucopiæ & aquila Ægypti Deum & Iouem repræsentantes quasi diuisum imperium cum Ioue Cæsarem habere, in orbe, vt in nummo demonstrant. Moneta ab antiquis sacra per se dicebatur, sanctioremque existimabant si sui Dei & sui Principis imagine signata fuisset.

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. Agrippina Augusta *sedens.*

Sedet Agrippina, lauream dextra tenet, sinistra copiæ cornu: hæc illam vt Deam indigitant, Imperatori adulante Græciæ quodam populo, cuius nomen non extat in nummo.



ΟΚΤΑΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, Octauia Auguſta. ΑΥΤ. ΝΕΡ. ΚΛΑΥΔ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. Imperator Nero Claudius Cæſar Auguſtus.

Octauia Claudii Imperatoris & Meſſalinæ filia primùm L. Silano nupſit, deinde Neroni. Iratam habuit fortunam optima mulier, matre Meſſallina per Claudium patrem necata, patre per vxorem Agrippinam, fratre Britannico per eandem Neronemque veneno extincto, ipſa demum in Pandatariam relegata apertis venis obiit. In perraro nummo cernere cuperem cuinam vrbi Græcæ hanc Octauiæ effigiem debeat poſteritas.

Suet. in Ner. c. 35.

Effigies Poppeæ & Neronis, aut ſolæ, aut iugatæ, aut aduerſæ.

Effigiem Poppææ diuerſis modis exponit hæc Tabella, cultum Imperatoris ſubindicans: tanto enim amore illam eſt proſequutus Nero, vt nullis ſumptibus eius cauſa pepercerit. Quam ab Othone abduxerat etiam viuente Octauia omnibus muneribus magnificentiſſimè cumulauit. Quingentarum aſinarum, quarum lacte pro balneo vtebatur, ſoleas aureas eſſe iuſſerat. *Defuncta tantum in concremando rogo cinnamomum profudit, quantum annuo fœtu ſuppeditare par non fuerit tota Arabia*: hæc Plinius, cuius errorem obiter notabo, Arabiæ cinnamomi fertilitatem falsò tribuentis, nam in ſola inſula Ceilan apud Indos naſcitur; ſed commercio per Arabas Romanis innotuerat. Elegantiam formæ mirabatur impuriſſimus Princeps, & in cœteris ſuis portentis, inquit idem Plinius, capillos quoque coniugis ſuæ Poppææ in hoc nomen adoptauerat, quodam etiam carmine ſuccinos appellando. Hæc nitorem capitis tanto ſtudio curabat, vt quum aliquando ſe non ſatis bona forma in ſpeculo cerneret, mori prius quam ſeneſcere optauit. Hanc curam exhibent Poppææ nummi, capillis mirum in modum diſpoſitis & cincinnatis ſupra cœteras Principes: primi quidem nummi coniugum effigies demonſtrant. Tertius & quartus iugatas & aduerſas facies Romæ ſimulachro oppoſitas quam capite turrito aut comato fingebant Romani. hac arte Nero ſuam vxorem Genium Vrbis eſſe perſuadere contendebat.

Plin. l. 12. cap. 18.

CLODIVS MACER S.C. *Effigies Clodij.* PROPRAETOR AFRICÆ. *Nauis prætoria.*

Cum Neronem publicum humani generis odium oppreſſiſſet, multis rerum nouarum ea viſa eſt occaſio. Vindex in Gallia viuo Nerone ceciderat. Galba Hiſpaniæ Tarraconenſi Præfectus, Imperator Senatus decreto deſtinabatur, Romæ Nymphidius turbabat, in Germania Rufus poſtque eum Capito. Hos inter L. etiam Clodius Macer Africæ Proprætor auaritia & crudelitate magnus, de cætero tantis cœptis per omnia impar ſeſe eminere prorſus ſperauit: molientem Trebonius Garucianus Procurator, iuſſu Galbæ interemit. Eius effigiem refert perrarus nummus in vna parte, in altera nauim qua ſibi mare liberum, cæteris clauſum contendebat: quibus artibus Italiam fame preſſurum minabatur, ſi alter eligeretur Imperator, frumentis ditaturum ſi ſibi cederet imperium.

Sueton. Tacit. Plutarch.



Nascitur Galba prope Terracinam, patre Seruio Sulpicio Galba, matre Achaia. Vir iustæ staturæ, capitis calui, & cœruleis oculis, aduncо naso, qui in vniuerso corpore morbo articulari conflictabatur. famæ nec incuriosus nec venditator, pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ auarus. Hunc tandem aliquando degustaturum imperium Tiberius prædixerat. Nec euentus fefellit, Nerone enim mortuo in Imperatorem eligitur à S. P. Q. R. Prætorianis militibus pecuniam petentibus, Legere, inquit, soleo milites non emere: sed coniuratione in ipsum facta trucidatur in foro Romano ætatis LXXIII. imperii mense IX. anno Christi LXX. Eius caput ad Othonem delatum est, qui lixis & calonibus deridendum donauit. Vxorem, & quos ab ea liberos ediderat, amisit ante adeptum imperium. Piso, quem ante sex dies adoptauerat, Othonis artibus etiam necatus est. Xiphil. Suetoa.



SER. GALBA IMP. AVG. *Caput Galbæ.* QVADRAGENS. REMISSAE. *Arcus triumphalis ſuper quem duo equites: infra quatuor captiui.*

REm mirandam & dolendam Romanos ſuæ famæ ita cupidos infinita pene geſſiſſe, quæ vel temporum iniuria vel ſcriptorum negligentia perierunt, vt in hoc nummo cernitur. Circum arcum triumphalem magnificentiſſimum quantum magnitudo nummi capere poteſt legitur Remiſſio Quadrageſimarum. Quadrageſimæ autem vectigal erant, à ſumma nomen habent. Eam exactionem vt plures alias eiusdem generis Neronem quondam ſuſtuliſſe autor eſt Tacitus; verum eo loco addit illa Neronis decreta *breui ſeruata dein fruſtra habita.* Illam abolitionem adhuc ſua ætate manſiſſe ſcribit. Quis hoc vectigal remiſerit ignoraremus, niſi ſingularis ille nummus doceret in huius beneficii memoriam hunc arcum fuiſſe extructum. Cur ſiluerit Tacitus, ea ratio eſt: Principum qui non diu regnauere, ætas frequenter vt nulla præteritur. Tanti autem momenti eſſe hunc nummum exiſtimauit doctiſſimus Caſaubonus vt eum vnum ſculpi curauerit in iis quos ſcripſit Suetonii Commentariis.

Annal. lib. XIII.

SVL. GALBAE AVG. IMP. P.P. *Caput Galbæ.* L. CAN. AGRIPPAE II VIR. COR. *Templum.*

Rariſſimum hunc nummum Corinthi ſignatum fuiſſe ex inſcriptione certum eſt: alter videtur ROMAE ET IMPERIO dicatus, à cuius auerſa parte eiuſdem Lucij CANINIJ AGRIPPAE II VIRI nomen legitur cum CORINTHI nomine: quem ex vtroque nummo conſtat Corinthi Duum-virum fuiſſe. De templo niſi ſit Corinthiacum nihil certi coniicio. Sed quo animo Galbam in ſuis nummis Corinthus ſit venerata, præter generalem adulationem, res eſt obſcurior.

De COLONIA AROE Auguſta PATRENſi dictum eſt in ſuperioribus pag. 38. vt & de Legione vigeſima ſecunda. ſed eius cum Galba neceſſitudinem ſcire plurimum auerem: nullum apud antiquos eius mihi occurit veſtigium.

Hic nummus Iſidis effigie ſignatus eſt, quæ Ægypti eſt Genius. Siſtrum in plerisque nummis gerit, quod etiam in marmoreis monumentis frequens eſt, cuius motu Nili acceſſus ſignificatur. *Ego Iſis ſum*, inquiebat, *Ægypti regina à Mercurio erudita: quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluet. Ego ſum Oſiridis, ego ſum prima frugum inuentrix, ego ſum Hori regis mater. Ego ſum in aſtro canis refulgens: mihi Bubaſtia vrbs condita eſt: Gaude Ægypte, gaude, quæ me nutriſti.* Plutarchus quoque pauimentum templi Iſidis inſcriptum his litteris refert, *Ego ſum quidquid fuit, eſt & erit, nec meum peplum mortalium quisquam retexit.* Ἐγὼ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πώποτε θνητὸς ἀπεκάλυψεν. Inſcriptionem ad id pertinentem refert Gruterus. Flos eius capiti impoſitus Abrotanum refert, roborando vtero, vel Erucam de qua ſic dictum,

Diod. Siculus.

In lib. Iſid. & Oſirid.

Plin. lib. 21. cap. 10. & 21.

Excitat ad venerem tardos Eruca maritos.

Perſeam etiam interpretantur cuius fructum Perſis venenoſum, Ægyptus frequentem & ſanum, Theophraſtus, Dioſcorides & Galenus exhibent.

De alim. facult. lib. 2.

Inſcriptionem ad id pertinentem refert Gruterus:

Inſcript. antiq. pag. 82.



M. Saluius Otho ex Principibus Etruriæ natus in ambitionibus nihil omiſit: homo nimiæ elegantiæ & mollitudinis, corporis ſtudioſus, nam vulſo corpore galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo vt nemo dignoſceret: faciem quoque radere & pane madido linire conſueuit à prima lanugine ne barbatus vnquam eſſet. Pueritiam incurioſè, adoleſcentiam petulanter rexerat. A Vitellio per Legatos ad Bebriacum victus eſt, cum imperaſſet dies vc ſe ipſum confodit. Multi manus & pedes eius deoſculati ſunt, & cum incolumem grauiſſime eum deteſtati eſſent, mortuum laudibus extulerunt, & dixerunt Galbam non tam dominandi quam Reipublicæ & libertatis cauſa ab Othone fuiſſe interemptum. Imperium quod magno ſcelere inuaſerat, maxima virtute depoſuit.

Suetonius cap. 1.
Suet. c. 12.
Tacitus.
Sex. Aurelius
Dio.
Suet. cap. 12.
Xiphilin.

Sed quum lex mihi à me ipſo dicta ſit, ne quidquam aut commemorarem aut depingerem numiſma quod non eſſet indubitatæ veritatis, videam autem à nonnnullis non tantum pro certo haberi, ſed doceri, nullos ſupereſſe imo nec cuſos fuiſſe Othonis nummos æreos: Putaui officii mei eſſe, de re tantis ſtudiis agitata, quænam

mihi ſit ſententia ſine cuiusquam iniuria breuiter dicere. Aiunt multos iactatos falſos pro veris : non nouum in re tanti pretii peccatum eſſe in fidem publicam à nonnullis rei ſuæ quam publicæ diligentioribus. Itaque non mirarer ſi plures ſuppoſititios quam veros affirmarent; illud miror quod videri non poſſe putent, quod à ſe viſum non eſt. Teſtes adducunt illuſtres viros qui ſe vidiſſe pernegent: probarem, niſi plus in iudicio duo teſtes oculati valerent in re probanda, quam in refellenda decem qui ſe vidiſſe negarent. Vtuntur etiam auctoritate Sereniſſimæ Suecorum Reginæ CHRISTINAE ALEXANDRÆ, omnium rerum quæ ad litteras pertinent vt cætera taceam, peritiſſimæ, atque huius dictum commemorant : Qui æreum, inquit, Othonem repererit antiquum, philoſophicum lapidem inuenerit. Graue procul dubio teſtimonium & illis peropportunum, niſi mihi etiam faueret. Nummus Othonis philoſophici lapidis inſtar habendus eſt, credo ſi Reginæ magnificentiſſimæ atque in his ſumptuoſiſſimæ offeratur, theſauro fortaſſis, vt eſt harum rerum cupida, nummum rariſſimum redempturæ. Quanquam quid in interpretando Reginæ Sereniſſimæ dicto laborem, cum certis nuntiis compererim, habere eam apud ſe collectum olim ab Illuſtriſſimo FRANGISCO GOTTIFREDO nummorum antiquorum theſaurum, inter quos vnus eſt æreus Othonis indubitatus, cuius typum hic expreſſum ad me humaniſſime miſit idem Gottifredus.

NEgatur de Occone quemquam vidiſſe ; ſed ipſe tantum abeſt vt fateatur, vt quinque afferat. Qui nummos negant vllos æreos Othonis ætate cuſos fuiſſe, huius rei cauſam quærunt: Senatus-conſulto ærei nummi cudebantur, inquiunt; At Senatus Othoni à quo peſſimè fuerat acceptus, infenſiſſimus erat: Quid tum? nempe nec ſponte nec ex animo nummum æreum Othonis effigie ſignauit: ſed an cogi non potuit vel terrore vel vi vt faceret? ſed ab ipſo Principe non expectata Senatus, quem deſpiciebat, authoritate, imperari monetariis non potuit? Addunt materiam vilem & olentem delicatiſſimum Imperatorem tolerare non potuiſſe, quaſi omnes nummos Imperatoris facie expreſſos, ab ipſomet Imperatore teneri manibus & teri oportuiſſet. Æreis nummis in largitione vſus nuſquam legitur: forte ab hiſtoricis omiſſum eſt. Præterea aliud

eſt

eſt cudi nummum, aliud ab ipſo Principe dari: at hic de cudendo nummo agitur. Denique æs flauum ab Italis *Ottone* dicitur, forte per ἀνάφεσιν quod æs Otho contemneret; forte etiam naturali verbi huius & plebeio ſenſu, quod æs amaret.

Hæc igitur omnia vt in re dubia vel vera acute, ita in re falſa fruſtra quæſita ſunt. nam quod cenſuram attinet fictitiorum nummorum quorundam, id vt libenter conceſſerim diligenter ab eo ſcriptore (quem potiſſimum hæc ſpectant) & ingeniosè factum, tamen ad me non pertinent. Tu vero eos quos ſubieci nummos, ſi mihi credis, veros arbitrabere: ſin contra, quod malim, tibi tantum fidis, apud me penes quem ſunt otiosè recognoſces: quæ mihi probandorum Othonis æreorum nummorum ratio certiſſima breuiſſimaque viſa eſt. Nam qui rem eſſe negat; obiecta re ipſa facillime, oratione & verbis ne vix quidem conuincitur.

Quæ cum ſcripſiſſem, admonitus per libellum à me nuper editum vir præſtantiſſimus THOMAS CHIFLETIVS Sereniſſimæ Suecorum Reginæ Chriſtinæ Alexandræ ab elemoſynis, mihi non vſquequaquam probari ſententiam eorum qui negant vllos ſupereſſe Othonis æreos nummos, videretque eorum nomine, libellum quem ille olim ea de re adoleſcens peringenioſe commentatus fuerat, in Diſceptationem & iudicium a me tacite vocari; ſponte ſua vt eſt homo non minus ingenuus quam doctus ad me ſcripſit elegantes & pleniſſimas humanitatis literas, quibus quoniam non tantum aliam ac olim ſuper ea re ſententiam præ ſe fert, ſed etiam multa affert argumenta quæ ad rei confirmationem & celebris illius Othonis ærei illuſtrationem faciunt qui in Sereniſſimæ Suecorum Reginæ ſcriniis ſeruatur; putaui pergratum me iis facturum quos auctoritas tanti viri deterrere poſſet, ſi earum litterarum quibus ſententiam mutaſſe teſtatur exemplum ſubiungerem.

CAROLO PATINO,

THOMAS CHIFLETIVS,

S. D.

Honoro te Medicum non propter neceſsitatem ſed propter neceſsitudinem, quæ tuum inter meumque patrem vetus coaluit. ſed in Opuſculo tuo gallico omitte ſpes illas concipere, ex quo regii fruor honore obſequii, me poſſe tibi nummorum CHRISTINÆ REGINÆ *Dominæ maximorum congeriem accurate exponere, ænigmata ſoluere, obſcura elucidare. ingenue fatebor enim Vopiſci verbis, ſum vnus ex curioſis, quod* In Probo.

infinita ſcire non poſsim, incendentibus vobis, qui cum multa ſciatis, ſcire multo plus cupitis. Hoc me nimirum nomine tacite compellas, Patine Guidonis fili dignissime, cum ais in eodem opuſculo tuo Gallico curioſum quemdam Antonii Piſonis opinioni adhæſiſſe de inaudito & incomperto Italis Antiquariis numiſmate Othonis æreo, & diſſertationem arguis quam admodum adoleſcens auditor tantum nondum inſpector Othonum æreorum edidi & inſcripſi Leopoldo Guillelmo Auſtriæ Archiduci, ad quem Ferdinandus III. Imperator à Patre Archiducali Medico primario & patruo Abbate Eleemoſynario examinanda miſerat ærea quatuor numiſmata Othoniana, quæ illi vt pote nouerant quam rectiſſime Horatianum,

Quid ſculptum infabre quid fuſum durius eſſet.

ficta cenſuere ex Auguſti, Galbæ, Hadriani numiſmatis & Antonini. Veſtrates Othones æreos Ludouici Henrici Lomenii Briennæ comitis, De moribus Germ. *Achillis Harlæi, & amiciſsimi Abbatis Seguini, Taciti verbis loquar, neque confirmare argumentis neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quiſque demat vel addat fidem. Tantum de Othone loquar, qui Franciſci antea Gottifredi Patritii Romani; nunc* CHRISTINÆ REGINÆ *Dominæ poſſeſsione inclaruit, cum antica inſcriptione* CA. OOΩNOC KAIC. CEBAΣTOY, *& poſtica* KAICAPEIAC *cum montis ſimulacro. Reus tandem temeritatis efficiar, ſi vni, quod omnium inſtar ſit,* CHRISTINÆ REGINÆ *Dominæ iudicio, ſi Leopoldi Principis Medicæi conſenſui, ſi regii theſauri Præfecti Franciſci Gottifredi in cuius verba ſolent iurare Antiquarii approbationi, ſi magni Ducis Etruriæ gazæ cuſtodis Fittoniano calculo, ſi Abbatis Seguini in nummorum veterum intelligentia & copia Antiſtantis viri confirmationi accedere verear, aut ſequi potius tot tantarum de eius nummi fide autoritatum teſtimonia, ipſeque ego antiquum nunc ex veteri formula* EX VISV, *qua valeo in nummis dignoſcendis autoritate iudico, cum in hoc genere induſtriæ tranſalpinorum non æquè ſit ac Italorum Romæ laudata ſolertia. Inſignitum Othonem prænomine Saluii, Victor vterque memorat, & Cæſarienſem quæ in poſtica parte viſitur inſcriptionem mons indicat referendam ad Cappadociæ Cæſaream, cui prouinciæ noua iura dediſſe Othonem, vt & noua Africæ, leges in* Hiſt. l. 1. *Tacito. Nummum hunc ſola viſa inſcriptione damnaui, ſimul reputans nullos reperiri græcos nummos cum figura monticuli & Cæſareæ inſcriptione ſignatos ante Macrini Mauri Imperatoris, vt Dio teſtatur, Cæſarea oriundi tempora. Exhibuit mihi in vrbe ectypum nummi ærei è theſauro magni Ducis cum eadem Cæſareæ inſcriptione & montis ſimulacro cuſum Claudii temporibus doctiſsimus Spanhemius, cuius non minus celebrabitur quam Minutii olim Felicis Octauius, ſiue præclara illa de præſtantia & vſu numiſmatum antiquorum editionis Romanæ, quâ*

me

me donauit vir humaniſsimus diſſertatio. Exhibuit mihi alios æreos Titi Veſpaſiani, Commodi & Seueri temporibus cuſos, cum ſimili ſchemate è theſauro CHRISTINÆ REGINÆ *Dominæ Franciſcus Gottifredus. Exhibuit mihi Lutetiæ Pariſiorum è nummorum ſuorum diuite penu alium æreum Antonini Pii cuſum temporibus, immodicus meæ creſcentis curioſitatis æſtimator Regii ærarii Senator Senius, & argenteos binos Antoninorum fratrum Caracallæ & Getæ, ille & cuius amicitia gloriari ſoleo, Petrus Abbas Seguinus. Licet erroris gloriam ex Othonis ſpeculo à Iuuenale memorato, ſiue vt in alium ſenſum conuertam exemplo Othoniano occupare, quod ſe proprio Imperator mucrone confoderit, vnde & measmet ipſe rationes iugulabo quas duas in ea diſſertatione attuli, cur Othones ærei non requirentur. Tertiam enim quæ coniectura verius dicenda eſt vt non deſpiciam, paterni nominis reuerentia facit: & primam quidem imperii Othoniani breuitatem aliorum Cæſarum imperia breuiora debilitant: alterum infenſum Othoni Senatum & pene nullam aut certe modicam Othonianam memoriam, quamuis probare conatus ſim ex aliquot autorum locis, ſunt alii eorumdem fauorem Senatus Othoni conciliantes. Omnia decreta fuiſſe Othoni à Senatu quæ ſolent Principibus decerni notat Plutarchus, & diſertis verbis confirmat Tacitus. Accurrunt Patres, decernitur Othoni tribunitia poteſtas & omnes Principum honores. Ipſius Othonis verba diſſerentis apud Tacitum leges, Senatus nobiſcum eſt. Si pro Othone iam olim Senatus, ſi principalis poteſtas & Triumvirorum Gottifredi, Fittonii, Seguini Senatus contra me eſt, quæ diutius tergiuerſandi ratio relinquitur? Sequor, ſequor ſuffragante reſponſo Modeſtini Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his quæ ipſas præceſſerunt.* Lib. 11. Excuſat. dig. l. 41. de Conſtit. Princip.

IMP. M. OTO. CA. ..... *Caput Othonis laureatum.* S. C. *in laurea.*

Mendum monetarii miror qui in nomine Principis litteram H. prætermiſit: nec ideo tamen antiquitas nummi in ſuſpicionem adduci debet, cum nihil penitus meo quidem iudicio in eo deſideretur. Laureæ ſenatus-conſulto Othoni oblatæ, vt olim Cæſari aut Pompeio, nullus quod ſciam claſſicus autor mentionem facit.

.... ΟΘΩΝΟΣ ... *Caput Othonis laureatum*. L. A. Anno primo *Canopus*.

Rariſſimum hoc Othonis monumentum eſſe arbitror, de quo nulla prorſus legitima ſuſpicio eſſe poſſit. In minuto ære legitur Othonis nomen ΟΘΩΝΟΣ, quod tanti mihi pretii videtur eſſe vt reliquæ inſcriptionis iacturam facile compenſare poſſit. Auerſus Canopum exhibet pedibus exiguis, attracto collo, & quaſi ſuggillato, ventre tumido in modum hydriæ, cum dorſo æqualiter tereti, qualis à Rufino deſcribitur. Eius quidem originem & claritatem ſit commemorat. *Ferunt Chaldæos per omnes orbis regiones* IGNEM *circumtuliſſe, cumque omnium nationum Diis contendiſſe, vt qui Deus viciſſet ab omnibus coleretur: quare cum aurei, argentei, ærei, terrei aliuſque generis Dii igne conſumerentur, omnibus in locis Chaldæorum Deus cæteros ſuperauit. His cognitis* CANOPI *ſacerdos aſtu rem aggreſſus eſt: nam vnum è vaſis illis quas vulgò hydrias vocant, minimis foraminibus pertuſas cepit, cera foramina obturat, extrinſecus elegantiſſimè depingit aqua complet, atque inſtar Dei cuiusdam efformat, excipſumque à veteri ſimulacro caput ei quam ſcitiſſimè adaptat. Venientibus itaque cum igne Chaldæis itur in conflictum, accenſoque circa hydriam foco, cera liqueſcit, itaque apertis circumquaque foraminibus quibus incluſa tenebatur effluxit, ignisque extinctus eſt. Quo quidem aſtu Canopus ſuperato Chaldæorum Deo ab Ægyptiis potiſſimum cultus eſt. Qui Sacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum*, inquit Vitruuius, *oſtendunt omnes res è liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cum hydriam tegunt, quæ ad templum, ademque caſta religione defertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad cœlum ſublatis, inventionibus gratias agunt diuinæ benignitatis.* Inſcriptus annus primus eſt Imperii Othonis qui cuſum eſſe nummum probat quamprimum Imperator eſt ſalutatus. *Sacra Iſidis ſæpè in linea religioſaque veſte is propalam celebrauerat*, quod fortaſſis nummus innuit: per quæ factum putem vt mors eius minimè congruens vitæ, maiori miraculo fuerit. L. Otho Imperatoris pater proconſulatum Africæ adminiſtrauerat, & huius fortaſſis memoria per effigiem filii Canopique poſteris citò fuit conſignata. Inſularum vna eſt in Canopico oſtio Nili, à Canopo Menelai gubernatore vt ferunt dicta, inquit Plinius, quindecim millibus Alexandria diſtans.

Girald. de Diis gent.

Lib. XI. hiſt. Eccl. c. 26.

In præfat. 8. libri.

Sueton. in Othon. c. 12.

Cap. 1

Hiſt. nat. l. 5. cap. 31.

Quoniam autem de nummis Othonis ex ære frequens fuit apud antiquitatis ſtudioſos diſceptatio, horumce duorum exemplaria his appoſuimus quæ rem magis declararent: eorum copiam nobis fecit Illuſtriſſimus Seguinus: ille eſt cuius autoritas tanti apud me valet quanti quis exiſtimare poteſt. Summa probitate, eruditione inſigni, prudentiſſima in rebus antiquis vt in cœteris omnibus ſagacitate, ita is innotuit per orbem, vt quos antiquos iudicauit nummos ſuſpectos habere religio ſit: nec immeritò dictaturam obtinet, ſi quæ ſit in dignoſcendis nummis: quam eleganter hoſce explicauerit, tu ipſe videas in eius SELECTIS NVMISMATIS.

Aulus Vitellius naſcitur obſcuro genere, auo Caſſio Seuero ſutore veteramentario. Vir fuit enormi proceritate, facie rubida, ventre obeſo, tam ſordidæ gulæ fuit vt ne in ſacrificio vnquam aut itinere vllo temperauerit quin inter altaria ibidem ſtatim viſcus & farra pœne rapta è foco manducaret, circaque popinas viarum fumantia obſonia vel pridiana atque ſemeſa. Fuit ſatis comis mulionibus & viatoribus, vt manè ſin- Cap. 7. gulos num iam ientaſſent ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet. Veſpaſiani fratrem Sabinum compulit in Capitolium Cap. 15. quo ſuccenſo ipſum cum ſociis cremauit. Pannonici, Mœſiaci, Iudæi & Syriaci exercitus defecerunt ab ipſo ad Veſpaſianum: ipſe Cap. 17. Romæ in cellulam ianitoris confugit in palatio, vnde ab exercitu Veſpaſiani extractus eſt, iniecto cervicibus laqueo, reducta à capite coma, atque etiam mento mucrone gladii ſubiecto vt viſendam præberet faciem, tractus eſt in forum, quibusdam ſtercore & cœno inceſſentibus, tandem ad Gemonias ſcalas paruis ictibus excarnificatus & vnco tractus eſt in Tiberim.

Suet. in Vitel. cap. 2.



A. VITELLIVS GERM. IMP. AVG. P. M. TR. P. *Caput Vitellii: Auerſi typi infra explicantur.*

Suet. in Vitel. c. 7. & 8.

Vitellius à Galba in inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus 1. *eſt, quod Galba præ ſe tulit nullos minus metuendos quam qui de* 2. *ſolo victu cogitarent, ac poſſe provincialibus copiis profundam eius expleri gulam, vt cuiuis euidens ſit, contemtu magis, quam gratia electum. In caſtris degens ſubitò à militibus è cubiculo raptus Imperator eſt conſalutatus; circumlatusque per celeberrimos vicos ſtrictum Diui Iulii gladium tenens detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum ſibi à quodam &c. conſentiente deinde etiam ſuperioris prouinciæ exercitu qui prius à Galba ad Senatum defecerat cognomen* GERMANICI *delatum ab vniuerſis cupide recepit*, AVGVSTI *diſtulit* &c. Hæc Suetonius, quæ meo iudicio duos priores nummos explicant. FIDEM EXERCITVVM iunctæ dexteræ repræſentant, CONSENSVM EXERCITVVM Imperator Martis habitu. Apertius etiam exponit inſcriptio circum caput A. VITELLIVS IMP. GERMAN. cum Auguſti nomen quale in ſequentibus legitur nondum aſſumpſerat.

In Othone cap. 9.

Hanc VITELLII AVGVSTI VICTORIAM quæ in duobus ſequen- 3.
tibus nummis legitur ad eam referre non dubito quam ad Bebriacum 4.
per legatos nouiſſimo maximoque prælio, vt ait Suetonius, fraude conſequutus eſt, cum eam unam felicem me legiſſe meminerim.

Pacem miror in nummo eius qui arma viuo Othone ponere 5.
non potuit: niſi forte vir paludatus togato dexteram porrigens reconciliatum Othone ſublato Senatum exercitui ſignificat.

Sextum

6. Sextum nummum illuſtrat Suetonii locus, *Tunc ſolutum à latere pugionem, conſuli primum, deinde illo recuſante, magiſtratibus, ac mox Senatoribus ſingulis porrigens, nullo recipiente quaſi in æde Concordiæ poſiturus, abſceſſit: Sed quibusdam acclamantibus ipſum eſſe Concordiam, rediit; nec ſolum retinere ſe ferrum affirmauit: verum etiam* CONCORDIÆ *recipere cognomen.* ita vt ille A. VITELLIVS CONCORDIA diceretur, quemadmodum L. ANTONIVS Triumviri frater dictus erat PIETAS quod in nummis & Dione legitur. In Vitellio cap. 15. Fam. Rom. in gente Antonia.

7. Oſtendere videntur ſequentes nummi non titulorum minus
8. quam ciborum auidam fuiſſe hanc belluam; nec ſtultitiæ Vitellii
9. minus adulatos eſſe Romanos quam gulæ, cum in eum vnum ſapi-
10. entiſſimorum feliciſſimorumque Principum vt Auguſti, elogia congeſſerint.

Nullum hic, Lector, nummum quæras qui coloniarum gerat inſignia, quiue in Græca vrbe percuſſus ſit: tanta fuit imperii breuitas, tanta Imperatoris incuria, vt mirum videri poſſit aliquos hodieque ſupereſſe.



Suetonius cap.20.

Flauius Vespasianus vir fuit staturæ quadratæ membrisque compactis & firmis, vultu veluti nitentis, valetudinis prosperrimæ, quam abstinentia & frictionibus fouebat. Res grauiter administrauit in Syria, copias legiones & ciuitates in se conuertit, Hierosolymam oppugnauit. Auaritia in eo notata est quod exprobrauit ei bubulcus, qui negata sibi liberalitate suppliciter oranti proclamabat, vulpem pilum non mores mutare. Eos irrisit qui Flauiam originem ad Herculis comites referebant. Ingenia & artes maximè fouit; primus enim è fisco latinis & græcis Oratoribus annua salaria constituit. Præstantes poëtas & artifices coluit. Intestina creberrimo frigidæ aquæ vsu corruperat, vnde aluo vsque ad animi defectionem soluta, mortuus est æt. 69. imperii 9. Imperatorem stantem mori oportere dicebat. Prima quoque morbi accessione mores Romanorum irridens inquit, vt puto Deus fio.

Xiphil.

IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. *Caput Veſpaſiani.*
IVDEA CAPTA. S.C. *Prouincia lugens inter arma juxta palmam.*
IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. VIII. PP. *Caput Veſpaſiani*
VICISTI CAES. S.C. *Iudea lugens ſub palma.*

1. *Cum ad motum Syriæ comprimendum cum exercitu ampliore &* Sueton. cap. 4.
2. *non inſtrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur, opus eſſet, Veſpaſianus potiſſimum delectus eſt, vt & induſtria experta, nec metuendus vllo modo ob humilitatem generis ac nominis.* Inuenit igitur Nero ſolum Veſpaſianum neceſſitatibus Iudææ parem, & qui tanti belli magnitudinem ſuſcipere poſſet, virum ab adoleſcentia vſque ad ſenectutem bellis exercitatum, & qui populo Romano iam pridem pacaſſet occidentem Germanorum tumultu concuſſum, armisque ante illud tempus incognitam Britanniam vindicaſſet. *Additis igitur ad copias duabus legionibus, octo alis, cohortibus decem: atque inter legatos maiore filio aſſumpto, vt primum prouinciam attigit, proximas quoque conuertit in ſe. Poſt Neronem Galbamque Othone atque Vitellio de principatu certantibus, in ſpem imperii venit, iam pridem ſibi per oſtenta conceptam.* Titus in Iudea relictus totam deuaſtauit prouinciam, Hieroſolymam cepit, cuius facinoris in vtriuſque Imperatoris gloriam nummi ſimili typo ſunt percuſſi, quem in Tito fuſius explicabimus. *Acto de Iudæis triumpho, conſulatus octo veteri addidit,* inquit Suetonius. *Palma ideo Iudæam deſignat quod ea potiſſimum regio palmis abundet, & quod Iudæi in ſacris ſuis eius foliis vterentur.* In noui templi idea, quam per ἔκστασιν vidit Propheta Ezechiel, frequentiſſima fit palmæ mentio; ſculpta etiam erat palma in Sancto Sanctorum; ſed de palma ſatis.

Ioſeph. de bello Iudaico lib. 3. c. 1. Suetonius. Cap. eod. Cap. 5. Cap. 8. Leuit. 23. Villalpandus. 2. Paral. 3. v. 5. 3. Regum 6. v. 29. 35. Num. cap. 7. v. 36.

3. Eundem prorſus typum repræſentat tertius nummus: morem antiquum non retinet inſcriptio, quamquam nummus ita ſit indubitatus vt nullus magis. Solebant veteres in inſcribendis monumentis verbis ſimplicibus & rectis vti, ne translatis & figuratis verbis poſteri fallerentur. Itaque miror vnde talis inſcriptio cuiquam illius ſæculi obrepſerit. Cæterum ſatis aperta res eſt, aut Iudæa afflicta & in ſinu ſuo lugens ſe victam fatetur & victorem ſuum compellat, aut nummi inuentor de Iudæa victa Veſpaſiano gratulatur.

IMP. VESP. AVG. P.M.T.P. *Caput Vespasiani.* ANTIOCHIA. *Caput turritum.*

IMP. CAES. VESP. AVG. P.M.TR.P. COS. IIII. CENS. *Caput Vespasiani.* MVNICIPI. STOBENSIVM. *Templum.*

Antiochia præcipua Syriæ vrbs cum capite turrito in primo nummo designatur. *Prima Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis*, inquit Egesippus. Idem confirmat Iosephus his verbis, Vespasianus Antiochiam exercitu adducto quæ Syriæ metropolis est magnitudine simul aliaque felicitate sine dubio tertium inter omnes, quæ in Romano orbe sunt, locum obtinens,&c. Antiochiæ multæ sunt,illam tamen quæ in nummo sculpta est propter excidium Hierosolymitanum conterminam esse non dubito. Id monumentum autem fortassis Vespasiano consecrauit,quod pacatori suo debebat, is enim motus contra Iudæos compescuit, qui totam ciuitatem euertere poterant. Abunde narrat Iosephus, collapsam restituit, in ea posuit Cherubin ex ære, Seraphinque Salomonis donum quos Titus in templo Hierosolymitano ceperat. Macedoniam describens Plinius Municipii quod in secundo nummo describitur facit mentionem his verbis: *Oppidum Stobi ciuium Romanorum.* Eius etiam meminit T. Liuius, Pæoniæ aut Pelagoniæ illud ascribens. Pauli Iuris-consulti hæc sunt verba: *In prouincia Macedoniæ Dyrracheni, Cassandrenses, Philippenses, Dienses,* STOVENSES, *iuris Italici sunt.* Legio XXXII. vt legitur in antiqua inscriptione STOBENSIS nominabatur. Cur hæc ciuitas Vespasianum suo nummo celebrauerit,mihi obscurum est.

Lib.3.c.5.
De bello Iud.lib.3.c.3.
Strabo l.16.
De bell. Iud. lib.7.c.9.
Chronicon. Alexand.
Lib.4. c.10.
Lib.5.&c.45.
Dig.de Cens. lege 8.

ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC CΕΒΑCΤΟC *Caput Veſpaſiani laureatum.* ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ ΕΤΟΥC Η. Communitas Cypriorum, Anno VIII.

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. Theſſalonicenſium. *Aquila palmam gerens in corona querna, roſtro coronam.*

Plura dicta ſunt de Venere Paphia eiuſque celeberrimo templo quod in primo nummo ſignatum eſt, in Druſo pag. 81. Quod attinet ad Veſpaſiani nummum explicat Suetonius his verbis; *Adi-* In Tito c. 5.
toque Paphiæ Veneris oraculo, dum de nauigatione conſulit, etiam de imperij ſpe confirmatus eſt. De quo fortaſſis gratulantes Cyprii beneuolentiam Principis hocce monumento ſibi demereri cupiebant. Cur Theſſalonicenſes Macedoniæ populi ſuam ſymbolam Veſpaſiano contulerint, ignoro.



Rariſſimum nummum hic habes elegantiſſimo ænigmate inſignitum. Tigris vrnam cuſtodire videtur, aut aliquid in illam immittere, ſed quo conſilio non noui. Ex inſcriptione patet Nicomedienſes forte vel Nicæenſes hoc nummo fuiſſe veneratos, quibus Plancius Varus præfuiſſe videtur. Hunc eundem typum in Achate antiquitùs ſcalpto me OEniponti vidiſſe penes Cæſareum cimeliarchium Lectorem certiorem facio.

IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. *Caput Veſpaſiani.* TVTELA AVGVSTI. *Dea ſedens vtraque manu Titum & Domitianum ſtantes fouens.*

T. VESP. COS. . . . D.CAESAR AVG.F. COS. DESIG. IMP. *Capita aduerſa Titi & Domitiani.*

T. ET DOMITIANVS CAESARES PRIN. IVVENT. *Equites.*

FLauiæ gentis gloria hic cernitur. Curauit Veſpaſianus in ſuis auerſis nummis apponi filiorum ſuorum effigies,quos ſucceſſores ſibi, & orbi imperatores deſignabat. Eos primùm Deæ TVTELÆ committit quam antiqui cuſtodem & Genium arbitrabantur. Hæc vtrosque ambabus fouet manibus, ſeque tutò ſeruaturam demonſtrat, donec ipſos totius orbis dominos conſtituerit. Firmat conie- 1.
In Veſpaſ. cap. 5. cturam Suetonii locus: dum enim oſtenta narrat quibus Veſpaſianus in ſpem imperii veniret ſic ſcribit, *Non defuerunt,qui interpretarentur, quandoque proculcatam deſertamque Rempublicam ciuili aliqua perturbatione in* TVTELAM *eius, ac velut in gremium, deuenturam.*
In Eſaiam lib. 16. c. 58. Rem illuſtrat D. Hieronymus his verbis, *Nullus fuerit locus qui non idololatriæ ſordibus inquinatus ſit in tantum vt poſt fores domorum idola ponerent, quos domeſticos appellant Lares & tam publicè quam priuatim animalium ſuorum ſanguinem funderent. Hoc errore & peſtima conſuetudine multarum prouinciarum vrbes laborant, ipſaque Roma orbis domina in ſingulis inſulis domibusque* TVTELAE *ſimulacrum cereis venerans & lucernis,quam ad Tuitionem iſto appellant nomine.*

Poſtremi nummi prouectiores Principes exhibent capita aduerſa 2.
deſignatorum conſulum quos alter nummus equis inſidentes ac 3.
veluti ad expeditionem aliquam properantes, quæ etiam aliis in nummis inſcribitur. Reliquos dignitatum gradus partim ex argento partim in ære maiori cernas. Argenteus enim nummus eos in ſellis ſedentes & prætorio munere fungentes, æs autem maius pilam & ſcipionem tenentes quaſi imperio maturos exhibet.

ΦΛΑΟΥΙΑ ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. Caput Domitillæ. L. 5. anno ſexto. *Serpens equi currentis dorſo impoſitus.*

VXorem Veſpaſiani perrarus hic nummus exhibet, de qua ſic Suetonius, *Inter hæc Flauiam Domitillam duxit vxorem, Statilii Capellæ equitis Romani Sabratenſis ex Africa delegatam olim, latinæque conditionis, ſed mox ingenuam & ciuem Romanam recuperatorio iudicio pronuntiatam: patre aſſerente Flauio Liberale Ferenti genito, nec quidquam amplius quam Quæſtorio ſcriba. Ex hac liberos tulit, Titum, & Domitianum, ac Domitillam. Vxori ac filiæ ſuperſtes fuit: atque vtramque adhuc priuatus amiſit.* Vxoris imaginem (cuius memoriam Imperatori iucundam Græci nouerant) quaſi rediuiuæ, ex ære cuderunt dignitatis ſummæ quam illi fata inviderant participem facturi. Hoc vero ſymbolum ſerpentis & equi vitæ breuitatem Domitillæ deſignare videtur, ſerpente enim annus in ſe recurrens, equo currente celeritas exprimitur. In Veſp. c. 3.

Affirmare autem non auſim hanc vxorem fuiſſe Veſpaſiani, cum eius filia eodem nomine donata fuerit. Huius exſtat inſcriptio ad D. Clementis.

FLAVIA DOMITILLA
FILIA FLAVIAE DOMITILLAE
IMP. CAESARIS VESPASIANI NEPTIS
FECIT GLYCERAE L. ET LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQVE EORVM.

Gruteri inſcript. pag. 245.

Sueton. c. 2. Filius Veſpaſiani & Domitillæ, Titus natus eſt Romæ eo anno quo Caius occiſus eſt. Eloquentiſſimus fuit in pace, fortiſſimus in bello
Cap. 3. ſemper. In puero ſtatim animi corporisque dotes magis ac magis ſplenduerunt: Forma enim fuit egregia, memoria ſingulari, acceſſit docilitas ad omnes tam belli quam pacis artes. Latinæ & græcæ linguæ in orando vel fingendis
Cap. 8. poëmatibus promptus & facilis. Princeps fuit liberaliſſimus qui quemquam à ſermone Principis triſtem diſcedere non oportere aiebat. Amici diem perdidi, ſub cœnam exclamauit, quod toto die cuiquam nihil præſtitiſſet. In imperio quod rariſſimum eſt omni caruit inuidia. Solus Domitianus frater inſidiari ipſi non deſinebat quamuis ſecreto lacrymans precibus eum Titus oraſſet vt tandem mutuo erga ſe animo vellet eſſe. Veneno vt putant, extinctus
Cap. 10. eſt, multum conqueſtus eripi ſibi vitam immerenti, neque enim exſtare vllum ſuum factum pœnitendum; excepto duntaxat vno. Qui viuus amor & deliciæ generis humani fuerat inter Diuos poſt mortem relatus eſt.



T. Caes. Imp. Avg. p. tr. p. Cos vi. Censor. *Caput Titi.* Ivdea Capta s. c. *Iudæa lugens sub palma inter arma.*

Titus ad perdomandam Iudæam relictus, nouissima Hierosolymorum oppugnatione duodecim propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus, cepitque eam natali filiæ suæ, tanto militum gaudio ac fauore vt in gratulatione Imperatorem *eum consalutauerint, & subinde decedentem prouincia detinuerint.* hæc Suetonius. Capta vrbe in- censum est templum, existimantibus Iudæis non suum interitum sed victoriam salutem & felicitatem esse quod vnâ cum templo caderent. Barphoras qui apud eos principatum tenebat, is solus in triumpho supplicio est affectus. Iudæi à Tito iussi sunt quotannis didrachmum pendere Ioui Capitolino, ii scilicet qui patrias leges seruare vellent. His de causis vterque, Vespasianus nempe & Titus, Imperatoris nomen obtinuit, quamuis neuter Iudaicus cognominatus sit, sed alia multa vt par erat tam magna parta victoria atque inprimis arcus triumphales eis decreti sunt. Priores nummi qui etiam à Vespasiano signati sunt Iudæam lugentem sub palma referunt, qualem exhibuerat Ieremias Propheta post captam vrbem à Rege Persarum: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium: princeps prouinciarum facta est sub tributo: Omnes qui glorificabant eam spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius, ipsa autem gemens conuersa est retrorsum*, &c. Hoc ipsum & clarius demonstrat Christus dum crucem baiulans mulieribus plangentibus illum sequentibus, dixit, *Filiæ Ierusalem ne flete super me, sed super vosmetipsas flete & super filios vestros: quoniam ecce venient dies in quibus dicent, beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.*

Suetonius cap. 5

Xiphil.

In lament.

Lucas in Euang. cap. XXIII.

3. Tertius nummus his Suetonii verbis explicatur. Triumphauit cum patre. De eo abundè Iosephus. *Pro merito autem narrari multitudo eorum spectaculorum & magnificentia non potest, in omnibus quisque cogitauerit vel artium factis, vel diuitiarum opibus, vel naturæ nouitate: nam quæcunque aut mirabilia aut magnifica sunt hæc vniuersa illa die Romani Imperii magnitudinem probauere. Argenti aurique nec non eboris in omni specie operum multitudinem non vt*

Cap. X.

De bel. Iud. lib. VII. c. XVI.

Cap. XVII.

in pompa fieri ſolet, ſed vt ita dixerim omnia diffluere: veſtes ex rariſſimis generibus purpuræ portari, alias diligentiſſima pictura variatas arte Babylonia: gemmæ autem clariſſimæ, aliæ coronis aureis, aliæ aliis operibus incluſæ traductæ ſunt. Eminebant quæ apud Hieroſolymam in templo reperta ſunt, menſa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum ſimiliter &c. poſt hæc portabatur lex Iudæorum nouiſſima ſpoliorum. In hoc bello nonaginta ſeptem millia hominum in captivitatem ſunt redacti, undecies centum millia cæſi, quapropter triumphus magnificentiſſimus Romæ viſus eſt. Effoſſum fuit ſuperiori ſæculo marmor in Circo in quo titulus hic erat ſculptus.

Grnter. p. CCXLIV.

IMP. TITO CAESARI DIVI VESPASIANI F.
VESPASIANO AVG. PONTIFICI MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P.
PRINCIPI SVO S. P. Q. R.
QVOD PRAECEPTIS PATRIS CONSILIISQVE ET
AVSPICIS GENTEM IVDAEORVM DOMVIT ET
VRBEM HIEROSOLYMAM OMNIBVS ANTE SE
DVCIBVS REGIBVS GENTIBVSQVE AVT FRVSTRA
PETITAM AVT OMNINO INTENTATAM DELEVIT.



T. CAES. IMP. PON. TR. P. COS. II. CENS. *Caput Titi.* VICTORIA NAVALIS. S. C. *Victoria coronam dextra gerens, ſiniſtra palmam, prorę inſiſtens.*

NUllum nummum VICTORIA NAVALI inſignitum vidi, ſi Veſpaſiani & Titi excipias. hunc Triſtanus tribuit pugnæ maritimæ qua Iudæos Titus deuicit ad lacum Geneſareth poſt captam Tiberiadem, de qua ſic Apollonius, quamuis nuperus ſcriptor,

Iam de tot lembis nullum ſupereſſe videres,
Partem ignis, partem gurges abſumpſerat altus,
Romana plauſit volitans Victoria claſſi.

Lib. III. de exeud. Hieroſol.

Eius etiam meminit Ioſephus, dum in Veſpaſiani Titique triumpho ait, *roſtra nauium à militibus portata eſſe.* Alii poſt victoriam Germaniam naualem in Rheno adeptam, nnmmum cuſum eſſe arbitrantur. *Titus enim Tribunus militum in Germania & in Britannia meruit,* inquit Suetonius. *Veſpaſianus in Britannias tranſlatus tricies cum hoſte conflixit: duas validiſſimas gentes ſuperque* XX. *oppida & inſulam Vectem Britanniæ proximam in deditionem redegit, quare triumphalia ornamenta &c,* Vtriusque Imperatoris nummum eodem typo inſignitum hæc ſatis declarant. Ad eius memoriam fortaſſis refertur illud Suetonii, *Dedit & nauale prælium in veteri naumachia: ibique & gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.* Duo ſequentes nummi aliud declarare videntur dum VICTORIAM AVGVSTI celebrant & eius triumphum. Etenim eum demonſtrari certum eſt, quem adeptus eſt Titus cum Patre poſt Hieroſolymam captam. Elegantem nummum ex auro inter mille alios vidi Vindobonæ, in nobiliſſimo LEOPOLDI Auguſti Cæſaris cimeliarchio, in quo circum trophæum armis Iudaicis refertum legitur DE IVDAEIS.

Cap. IV. In Veſp. cap. IV.

In Tito cap. VII.

IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. *Caput Titi.* S. C. *Meta.*

Lapides coni imagine quadam prominentes à Romanis Metæ ſiue metulæ dicebantur. Plures in Vrbe exſtabant à variis extructæ. Meta ſudans in quarta Vrbis regione fuit extructa, cuius gloriam ſibi vindicauit Domitianus, ſi Paulo Diacono credamus, qui huius opera ſic commemorat, *Pantheum, Capitolium, Forum Tranſitorium &c. Veſpaſiani templum &c.* METAM SVDANTEM. Hæc tamen in nummo Titum conditorem veneratur. Meta hæc latericia erat, iuxta arcum Conſtantini: Sudans dicta eſt à Sex. Rufo quod ex ea aquas manaſſe dicitur, quibus populus ſitim extingueret:

P. Victor. Lib. IX. Marlianus.

in eius vertice Iouis ſimulachrum olim fuiſſe proditum eſt. In eius locum noſtris temporibus Innocentius Papa X. aliam quam è circo ſumpſerat erexit ſuæque familiæ ſymbolum columbam in vertice poſuit: non iniucundum erit eius nummum hac de re cuſum ſubiicere: Recentiores nummi ſuam habent elegantiam, quorum maximam copiam à Carolo Magno ad noſtra vsque tempora, Deo dante, publici iuris faciemus.

T. Caes. Imp. Tr. Pot. *Caput Titi.*
Antiochia. *Caput turritum.*

De Antiochia dictum abundè in Veſpaſiano, pag. 142. Sed quæ Titum reſpiciunt, eiusque fortaſſis nummum explicant, ſcribit Ioſephus his verbis: Ὁ δὲ τῆς Ἀντιοχέων δῆμος &c. hoc eſt, *Antiochenſis autem populus poſt quam Titum aduentare cognouit, manere quidem intra mœnia præ gaudio non ſuſtinebat: omnes autem obuiam ei pergere properabant & vſque ad triceſimum vel amplius ſtadium progreſſi non modo viri ſed etiam fœminæ cum pueris expectabant, & cum appropinquantem vidiſſent ex vtroque viæ latere ſtantes dextras cum ſalutatione tendebant, multisque fauoribus exultantes cum ipſo reuertebantur. crebro autem inter omnes alias laudes, precabantur vt Iudæos expelleret ciuitate,* &c. Caput turritum velut Genius vrbis perhibetur, cuius plurima in ſequentibus exempla declarabimus.

Bebell. Iud. lib. VII. cap. XIII.

Τ. ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. *Caput Titi. Auerſi typi infra explicantur.*

Græcos nummos refert hæc tabella, omnes in honorem Titi cuſos. Primi quidem eius victoriam de Iudæa deſignant: vtraque
1. lingua tantum exprimi triumphum Romanorum gloria poſtulabat.
2. Victoria clypeo palmæ appenſo quæ tum acta erat ſcribens, aut trophæum ex armis Iudæorum conſtructum externis gentibus auiditatem famæ Romanorum celebrabant. Iudæam perditam eſſe indicant.

Tertius nummus Neapolim Samariæ exponit: ſic enim lego
3. ΦΛΑΟΥΙΕΩΝ ΝΕΑΠΟΛΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. Samariæ Palæſtinæ pars in qua vrbs eiuſdem nominis, quam mutato nomine Sebaſtiam appellauit Herodes in honorem Auguſti, à quibuſdam mendosè Neapolis etiam dicitur, cum ab hac 8000. paſſibus diſtet. Flauia Neapolis alio nomine Sichem dicitur, quæ victoris Titi cognomen ſibi abſumpſerat. Corona in qua eſt inſcriptio, Imperatori forte poſt deuictam Iudæam ab Samaritanis fuit oblata,

Ioſeph. Ant. lib. XV. c. X.

——— tum enim more vetuſto
Inſuper Eoi Reges miſere coronas.

Apollonius de Excid. Hieroſ.

mentionem facit Scaliger nummi Domitiani cum hac epigraphe ΦΛΑΥΙΟΠΟΛΙΤΩΝ ΣΑΜΑΡΙΕΩΝ, ſed illum non vidimus.

in Animad. ad Euſebium

4. Eandem fortunam ſecuti Aſcalonitæ, ſuam etiam teſſeram victori Tito hoc in nummo tribuerunt, de iis & Semiramide nummo impreſſa dictum eſt in Auguſto pag. 46. hæc tamen adiungenda ſum arbitratus quæ Titum reſpiciunt & bellum Iudaicum. Aſcalon ciuitas eſt antiqua DCCXX. ſtadiorum ſpatio Hieroſolyma diſtans & Iudæis ſemper inuiſa. Ideo fortaſſis Titum in ſuis nummis celebrauit cuius opera hoſtes infenſiſſimi fuerant debellati, gratum hocce monumentum eius victoriæ ſuperaddens.

Ioſeph. de bell. Jud. l. III. c. 21.

ΦΛΑΥ.

ΦΛΑΥ. ΚΥΡΗΝΗ in quinto nummo ſcripta eſt, cuius caput elephantis proboscide decoratum eſt, ob illorum copiam. 5.

Suet. in Veſp. c. II. & IV. Veſpaſianus *Quæſtor Cretam & Cyrenas ſorte cepit quas integerrime, nec ſine magna dignitate adminiſtrauit.* In hac regione plures Iudæi ſunt interfecti poſt excidium Hieroſolymitanum per Catulum regionis

De bel. Iud. lib. VII. cap. vlt. Præfectum, vt narrat Ioſephus. Huius fortaſſis gratulantes Tito, aut beneficiorum a patente Veſpaſiano acceptorum memores Cyrenæi hunc nummum cudi iuſſerunt. Cyrenæ vrbs eſt primaria Cyrenaicæ regionis in Africa. Laſerpitifera interdum dicitur quod ſola Laſerpitium producat ſeu Sylphium, cuius ſuccus Cyrenaicus nuncupatus, *magnificum in vſu medicamentisque & ad pondus argentei denarii penſum* ſcribit Plinius, vnde & Cyrenæi Sylphii figuram

Hiſt. nat. lib. XIX. cap. III. in nummo expreſſerunt, de quo inter Cl. Dieuxiuoye & Doutè Medicos Pariſienſes nuper ſcripto docte ſed aciter diſceptatum eſt: cuius typum egregium hic publici iuris facio. Flauiæ cognomen in vtroque nummo conſiderandum venit quod à



Flauia gente, ex qua Veſpaſianus, honoris cauſa accepiſſe credibile eſt. Tota hæc regio ſterilis prorſus eſt, nec aliud hodie quam deſerti Barce nomen obtinet.

Victoria cum Palma & corona vt ſolet Tito gratulatur in ſequentibus nummis per Agrippam Regem qui in eo eſt deſignatus. 6. 7.

Lib. IIII. cap. V. ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ. *Is illi auxilium tulerat in bello Iudaico*, inquit Ioſephus. De illo ſic Xiphilinus: *Per id tempus Berenice maxime florebat ob eamque cauſam cum Agrippa fratre Romam venit.* Is prætoriis honoribus auctus eſt: ipſa habitauit in palatio cœpitque cum Tito coire. Spes erat eam Tito nuptum iri, iam enim omnia ita vt ſi eſſet vxor, gerebat: Sed Titus quum intelligeret Populum Romanum id moleſtè ferre eam repudiauit inuitus inuitam &c. Annus vigeſimus tertius in ſeptimo nummo hiſce characteribus notatus ETO. KΓ. regnum Agrippæ denotat.

De bel. Iud. lib. VII. c. XVIII. ΕΙΡΗΝΗ Pax quæ in octauo nummo cernitur Ioſephi verbis 8. dilucidè explicatur. *Poſt triumphos vero & Romani imperii firmiſſimum ſtatum, Veſpaſianus* PACI *templum ædificari decreuit; itaque mira celeritate & quod hominum cogitationem ſuperaret effectum eſt: magna enim largitate vſus, inſuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornauit. Omnia namque in illud fanum collecta ac depoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio per totum orbem qui ante nos fuerunt vagabantur. hic autem repoſuit etiam quæ Iudæorum fuerant inſtrumenta, his ſe magnificè ferens* &c.

D. Hieron. Dion. Chryſoſt. Tacit. l. XV. Plin. lib. XXXIII. cap. VIII. Statuas innumeras quibus Græ-

ciæ templa Nero ſpoliauerat in eo repoſuit : in eo frequentes de- Galen. lib. I. de pr[illegible] & [illegible] de [illegible] propriis.
cumbebant valetudinarii, quo priſtinam recuperarent ſanitatem : Illud autem templum Commodi tempore incendio exhauſtum eſſe, ſic ſcribit Herodianus ; nam cum neque imbres neque nubes tantumque exiguus terræ motus anteceſſiſſet, ſeu nocturni caſu fulminis, ſeu igni aliquo in ipſo terrarum motu veluti extrito, totum de improuiſo Pacis templum conſumptum incendio eſt, quod vnum ſcilicet opus, cunctorum tota vrbe maximum fuit atque pulcherrimum. Locus ille ædes nunc continet Deo ſacras ſub inuocatione SS. Coſmæ & Damiani. Gloriam patris per filii hic nummus celebrat.

9. Diana ſagittam è pharetra feriendæ belluæ detrahit. Epheſii frequentiſſimè eam in ſuis nummis repræſentarunt, qui fortaſſis hunc cudere : nullum enim aut ciuitatis aut populi nomen apparet: ad Cretenſes referri poteſt quibus ſolis ex omnibus Græcis gentilitium telum ſagittas fuiſſe ſcribit Pauſanias. Vnde frequenter vt in Lib. I.
nummo cernitur, eo habitu pingebatur quo à Græcis πολέμαχος, Lucian. in Dial. Lexiphanis.
τόξοτης, ἑκηβόλος, Bellatrix, Iaculatrix, & Sagittaria nuncupatur. de iis vide nummum Domitiani.

10. Decimus Veſpaſiani filios refert, Titum vt Imperatorem, & Domitianum vt Cæſarem. A Samiis cuſum eſſe numiſma inſcriptio docet. Ad id fortaſſis refertur quod ſcribit Suetonius, In Veſpaſ. cap. VIII.
Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum libertate adempta in Prouinciarum formam redegit Veſpaſianus, cuius fortè recuperandæ ſpe Tito & Domitiano adulabantur.

T. ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΣΕΒ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. Titus Imperator Cæſar Auguſtus Veſpaſiani filius : *Auerſi typi infra explicantur.*

Mos erat antiquus ſignare in nummis annos imperii : ſic Ægyptii Reges & Græci, ſic Romani Imperatores qui nobis illud hodie etiam præſtandi exempla dedere : Quod Pontifices, Reges, Principes in ſuis diplomatibus etiamnum imitantur.

1. Harpyiæ fabuloſæ Deæ ſunt Aello, Ocypete & Celæno, Iridis ſorores,

Virgil. Æncid.

Virgineus quibus eſt vultus fœdiſſima ventris
Proluuies, vncæque manus & pallida ſemper
Ora fame. ——

Vnam ex iis repræſentat hic nummus, cum anni deſignatione, litteræ enim apud Græcos numerum indicant, A. primum B. ſecundum Δ. tertium imperii annum demonſtrant. Vt dictum eſt in Auguſto pag. 51.

Secundus nummus Iſidem refert, cuius hiſtoriam & ſymbolum abundè in Galbæ nummo deſcripſimus. 2.

Pauſanias lib. 1.

Tertius & quartus nummus Serapidem demonſtrant, qui quamuis proprius & peculiaris eſſet Ægyptiorum Deus, nihilominus & in Græcia multis in locis cultus fuit, & in primis Athenis, Romæ etiam ei in circo Flaminio fanum fuit conditum, cuius nonnulla ſuperſunt veſtigia. Inde eſt quod eius imago in multis vrbium nummis adſcribebatur. Serapidis templorum omnium habent clariſſimum Alexandrini, antiquiſſimum Memphitici, quo neque exteris hominibus neque ſacerdotibus ipſis aditus patet, priusquam Apim bouem humarint. Interdum Pluto, Oſiris, Dionyſius, Ammon, Jupiter dicebatur. Calathum, inquit Macrobius, eius capiti affingunt & ſimulachro ſignum tricipitis animantis adiungunt, quale in quibusdam nummis cernitur. Libet inſuper Rufini verba ſubtexere quæ de Serapidis origine leguntur in hiſtoria. Alii, inquit, Iouem putant cuius capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura modoque cuncta indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Cum in Ægypto de firmitate imperii Veſpaſianus capturus auſpicium, ædem Serapidis, ſubmotis omnibus, ſolus intraſſet; ac propitiato multum Deo, tandem ſe convertiſſet, &c. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure ſedentem pro tribunali pariter adierunt orantes opem valetudinis demonſtratam à Serapide per quietem, reſtituturum oculos ſi inſpuiſſet, confirmaturum crus ſi dignaretur calce contingere: cum vix fides eſſet rem vllo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet; extremo hortantibus amicis palam pro concione vtrumque tentauit, nec euentus defuit. Veſpaſiano ingreſſo in Alexandriam Nilus inundauit vno die vltra quam conſueuerat amplius quatuor digitis, quod nunquam antea niſi ſemel factum eſſe dicebatur. Mortuum Imperatorem per nummos Ægyptii laudabant, qui eius miracula celebrabant, idque filio Imperatori gratiſſimum fore arbitrabantur: Serapidem etiam fortaſſis Tito obtulerunt quod hic Veſpaſiani Legatus qui Africam fortitus erat quamque integerrimè rexit nec ſine magna dignatione.

3. 4.

P. Victor. Euſebius. lib. 4. de præp. Euāg.

Pauſanias. lib. 1.

Tacit. lib. XX. hiſt.

Suet. in Veſp. cap. VII.

Xiphil. in Veſpaſ.

IVLIA IMP. T. AVG. F. AVGVSTA. *Caput Iuliæ.* VESTA. S. C. *Dea Sedens.*
CERES AVGVSTA. S. C. *Dea ſtans.*
CONCORDIA AVG. S. C. *Dea Sedens.*

Iulia Titi & Marciæ filia Sabino nupſit, quam is Domitiano patruo fuerit promiſſa. hic amore eius tandem captus adulterio & inceſtu corruptus ad mortem illam coëgit cum abortiuum eam abiicere perſuaſiſſet. Auerſi nummi Deas exhibent quas Imperatorum vxores ſibi tribuere ſolebant, pudicitiæ, abundantiæ & tranquillitati tum publicæ tum priuatæ innuendæ.

IOYAIA CEBACTH. Iulia Auguſta. ΘYATEIPHNΩN, Thyatirenorum. *Tripus.*

Similitudo faciei cum ſuperioribus hunc nummum tribuit Iuliæ Titi filiæ, quamuis eius cum Thyatira Lydiæ oppido nullam coniunctionem ſciam, præter illam obſequii erga dominantes. Id ex ſeptem eccleſiis Aſiæ in Apocalypſi Diui Ioannis memoratur. Macedonum coloniam faciunt Strabo & Tertullianus: Alia etiam Thyatira vna ex Æchinadibus. *Thyatira ciuitas Lydiæ quæ eſt prouincia Aſiæ, templo quondam Æſculapii famoſa, cuius ciuis erat illa Lydia purpuræ venditrix, quæ in Philippis fidem Chriſti ſuſcepit.* Ad Æſculapii filium Apollinem tripus videtur referri.

Prolemæus. Cap. 2. L. 15. lib. de pudicita. Plin. lib. 4. c. 12. D. Hieronymus.



Suet. c. 1. C. 18. Xiphilin. Cap. 14.

Domitianus natus eſt Romæ patre Veſpaſiano, matre Domitilla. Statura fuit procera vultu modeſto ruborisque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore, pulcher ac decens toto corpore maxime in iuuenta, poſtea caluitio & obeſitate ventris & crurum gracilitate deformis: homo audax & iracundus, inſidiator & vafer, temerarius & fraudulentus, inopia rapax, metu ſæuus: neminem vnquam verè & ex animo dilexit præter paucas mulieres. Patrem, fratrem & amicos ignominioſè tractauit, eos enim oderat, quod ei non conceſſiſſent omnia quæ poſtulauerat. Erat non ſolum impatiens laboris corporis, ſed etiam animo timido & imbelli, petulansque & libidinoſus non modo in mulieres, ſed & pueros. Omnia inſolenter egit & ad rapinas & cædes conuerſus, amicorum libertorum & vxoris conſpiratione in cubiculo ſuo trucidatur, æt. XLV. imperii XV. Cadauer eius Phyllis nutrix furata ſepeliuit in templo Fuluiæ gentis.



Vtriusque effigiem hic habes, Parentis & filii. hic per illum ſeſe commendare S.P.Q.R. voluiſſe veriſimile eſt. Vnum addam, cum multæ in nummis facies occurrunt eò rariores ſunt habendi.

IMP. CAES. DIVI VESP. F. DOMITIAN. AVG. GER. COS.
Caput Domitiani. Equus, Victoriæ, tropæa, clypei, quadriga.

Domitianus expeditionem in Galliam, Germaniasque, neque neceſſariam, & diſſuadentibus paternis amicis inchoauit: tantum vt fratri ſe & operibus & dignatione, adæquaret: Cur etiam id in nummis ſponte non tentauerit? *In Germaniam cum exercitu profectus hoſte nunquam viſo reuertit, deinde in Dacos & Decebalum, ſed bellum nulla ex parte attigit: magna militum parte turpiter amiſſa, vt victor Romam litteras miſit. De Cattis Dacisque poſt varia prælia duplicem triumphum egit.* Trophæa variè diſpoſita barbarorum quidem armis onuſta ſunt: ſed GERMANIA CAPTA, quæ legitur in nummo ex ære maiori cum ſimili trophæo & hæc etiam eadem mente in ære minori ſignata fuiſſe apertè demonſtrat. Ex tanto eiuſmodi triumphorum victoriarumque numero, hos tantum nummos cælari curaui, qui Domitiani hiſtoriam illuſtrant, omiſſis eius ambitionem demonſtrantibus; cupiditati enim gloriæ ſic ſeruiebat, vt nihil prætermiſerit. Primus quidem nummus equum æneum auro ſuperfuſum repræſentat, qui in honorem Domitiani erectus eſt prope Milliarium Aureum, quod ſtat in medio foro: ſub altero pede erat Rheni ſimulachrum Germaniam indicans de qua Domitianus triumphauerat.

Ænea captiui crinem tegit vngula Rheni. Papinius.

Suet. cap. 2.

IMP. &c. *Caput Domitiani.* COS XIIII. LVD. SÆC. FEC. *Sacrificium multiplex quale in ludis ſæcularibus fieri ſolebat.*

Cap. 4. HOs nummos exponit Suetonius his verbis, *Domitianus fecit & ludos ſæculares : computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, ſed quo olim Auguſtus ediderat*, quod etiam commemorat Sextus Aurelius. De his ludis è re noſtra eſſe arbitror pauliſper differere. Celeberrimi erant apud Romanos ludi ſæculares, ſic dicti non quod poſt centum annos fierent, ſed quod plerumque ſemel hominis ætate fierent ; vt multa alia quæ rara ſunt poſt
Val. Max. lib. 2. c. 1. ſæculum euenire loquentium conſuetudo vſurpat. Inſtituti primi ſæculares ludi poſt exactos Reges à P. Valerio Poplicola, qui primus Conſul fuit, exiſtimantur, cum enim morbus ciuitatem grauiſſimus inuaſiſſet, ita vt fœtus perfectus nullus à mulieribus ederetur, hic ex libris Sybillinis & Ditem placauit & ludis quibusdam qui oraculo tra-
Plin. l. 7. diti erant reuocatis, depulſo morbo, ciuitatem in ſpem meliorem
T. Liuius. adduxit. Diuus Auguſtus abolitos eos paulatim atque intermiſſos inſtaurauit magno apparatu. Huic hac de cauſa hymnum dicauit Horatius acclamantis formula,

Iam fides & pax honor pudorque
Priſcus & neglecta redire virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

Claudius quaſi anticipatos ab Auguſto nec legitimo tempori reſeruatos, ſextos edidit : in iis vox etiam irriſa præconis traditur, inuitantis more ſolemni ad ludos quos nec ſpectauiſſet quisquam, nec ſpectaturus eſſet, cum ſupereſſent adhuc qui ſpectauerant, & quidam hiſtrionum producti olim, tum quoque producerentur, vt Stephanio.

Septimos in nummis variis ſacrificiis deſcriptos Domitianus fecit Conſul XIV.

Reſtat vt de illorum ritu pauca perſtringam. Inſtantibus itaque ludis tota Italia præcones miſſitabantur, convocatum ad ludos qui nec ſpectati nec ſpectandi iterum forent : tum ætatis tempore paucis antequam ſpectacula edebantur diebus, Quindecim-Viri ſacris faciundis in Capitolio & Palatino templo pro ſuggeſtu confidentes, piamina diuidebant populo quæ erant tæda, ſulphur & bitumen. Coibat

autem

autem populus cum in loca ſupra dicta, tum in Dianæ templum, quod erat in Auentino, & cui triticum, faba, hordeumque dari mos. Tum ad inſtar Cereris initiorum pervigilia fiebant. Vbi vero iam aduenit feſtus dies, triduum trinoctiumque ſacris intenti in ripa ipſâ maximè Tiberis agitabant. Sacrificia vero Ioui, Iunoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereaque Parcis & quas vocant Ilithyas, tum Cereri & Diti & Proſerpinæ ſuſcipiebantur. Igitur ſecunda primæ noctis hora, Princeps ipſe tribus aris ad ripam fluminis extructis, totidem agnos & vna Quindecimviri immolabant, & ſanguine imbutis aris, cæſa victimarum corpora concremabant. Conſtructa autem ſcena in theatri morem, lumina & ignes accendi, & hymni concini ad hunc vſum compoſiti, & item ſpectacula edi ſolemniter ſolebant, data celebrantibus hac mercede tritico, faba, hordeo &c. Manè vero Capitolium aſcendere, ſacra ibi de more agitare, tum in theatrum conuenire ad ludos in honorem Apollinis & Dianæ faciundos conſueuerunt. Sequenti die nobiles matronas qua hora præcipitur ab oraculo conuenire in Capitolium, ſupplicare Deo, frequentare lectiſternia, canere hymnos ex ritu, mos habebat. Tertio denique die in templo Apollinis Palatini, ter noueni pueri prætextati, totidemque virgines, patrimi omnes matrimique, Græca Romanaque voce carmina & Pæanas concinebant, quibus imperium ſuum & incolumitatem populi Diis immortalibus commendabant. Ludi celebrabantur omnibus theatris, atque omne genus, & ſacrificia templis omnibus noctu pariter atque interdiu.

Ludorum ſæcularium appendix eſto vrna perelegans cuius ambitus figuris aliquot ex opere exſtantibus ornatus eſt. Hæ παλαιὸν hoc eſt ludum exhibent, vt ſimpliciſſimum ita antiquiſſimum palæſtræ genus. Hanc expreſſo exemplo publici iuris facio, iniquum enim mihi viſum eſſet opus integerrimum & pulcherrimum vni mihi reſeruare, quod & doctorum eruditioni, & artificum induſtriæ promouendæ nonnihil conferre poſſe, viſum eſt. Quod autem id monumentum ad ſolemnes ludos & res ſacras veterum pertineat, vel hoc eſto argumentum, quod Colluctatorum paria quæ diuerſa & multa efficta ſunt, vel ara vel labro luſtrali diſtincta ſunt. Prima mihi figura videtur ἀγωνοθέτης ſtans ſeminudus coronam dextra & palmas tenens, ſiniſtra vicinum par ad luctam capeſcendam impellens. Sequuntur Luctatores bini per intervalla diſpoſiti. Qui primi mihi videntur ii ſunt qui brachiis extentis & elatis ſeſe mutuo prenſare velle videntur, hoc enim ad ſupplantandum aduerſarium vel præcipuum eſt, expanſa manu aliquem ex eius artubus comprehendere,

quem poſtea raptare & circumducere & torquere poſſis. Itaque nulla mihi πάλης verior ἐτυμολογία videri ſolet quam quæ ἀπὸ τῦ παλαιστοῦ, hoc eſt, expanſa manu, deducitur: hîc ergo luĉta incipit. Primum hoc par à ſecundo labrum diuidit, in eo palma vel aſpergendæ aquæ



luſtrali vel potius victori donando, & corona. Secundi paris certamen propè iam confectum eſt: alter enim alterum apprenſo pede reſupinat fruſtra capillos victoris raptantem & editiori ceſpiti innixum caſui autem proximum. Sequitur tripus ſeu potius ara cui impoſita ſunt vel ſerta & coronæ vel coliphia ſpiſſi & grauis panificii genus, augendæ corpulentiæ cuius pondere in deiiciendo aduerſario vte-

ban-

bantur qui luctam hoc est, vt vocat Galenus καταβλητικὴν exercebant. Post aram, tertium par quasi iam inito certamine cernitur pari vtrinque marte susceptum, vt vter sit victurus, nescias. Cur alteri è luctatoribus caput sit opertum casside, non satis assequor, nec cur corpus pube tenus stricta veste veluti thorace sit indutum. Certè quod ad cassidem attinet quamquam non vtique manifestum sit cur capiti luctatoris sit imposita, quum luctator nudus esse debeat, tamen ea rei alioqui dubiæ satis plausibile signum esse videtur: nam quo sæculo sit celatum præclarum monumentum subindicat. Vix enim ac fortasse ne vix quidem talis capitis armatura cernitur ante vel post Traiani ætatem. Succedit aliud labrum vt apparet vacuum, nisi aquam intus latere suspiceris. Quartum prouecta & iam affecta pugna cernitur, sic vt primo aspectu agnoscas quinam sit futurus superior; alter enim alteri cerui cibus comprehenso totus imminet eximia conatus significatione & vultus ferocia. Inferior ita nutat vt reluctetur etiam & non tam cito lapsurus videatur. Hæc paulo fusius fortasse quam fert consuetudo mea & necessitas postulat, breuius certe quam venustissimum opus postulare videtur. Coniectura probabilis est fuisse fabricatum condendis Illustris alicuius Athletæ cineribus, quamquam enim certum sit columnæ Traiani impositam fuisse vrnam seruandis eius cineribus destinatam, ætas præterea conueniat, nec indigna plane tanti operis existimatione sit vrnæ illius mea

celatura, tamen non ausim tantum huic aut meæ fortunæ tribuere, vt eam esse arbitrer quæ olim huius columnæ summum occupabat.

Vrceolos addidi sacris olim vsibus vel domesticis vsurpatos. Ænei sunt. Vnius ansula quoniam multis figuris protuberat seorsim plana sculpta fuit. in ea multæ arietum caprarumque formæ. Imum

puer occupat quaſi mulgendæ capræ: Vt ſuſpicio ſit ſacerdotis Iouis aut Flaminis Dialis fuiſſe, nam capræ

Dictæo cœli Regem pauere ſub antro.

Nec graue erit fortaſſe Lectori ſi occaſione data capræ antiquæ cum Paniſco inſidente & vrgente typum illi exhibuero. Quam coniunctæ res ſint capræ, Fauni, Satyriſci, Paniſci & reliquum genus capripedum nemo non nouit. Longiori ſermone res non indiget: ipſa per ſe loquitur.

Alia etiam hic habes antiqua ſigna, quæ quamuis præcisè ad hanc rem non pertineant, tamen quod antiquitatem illuſtrent & hac de cauſa mei iuris fecerim intueri non pigebit.

Post paginam 162.



1. Occurrit primùm ea illuſtriſſima ſtatua ex ære, quæ Satyrum repræſentat cum juvene ludentem. Pudor huius mirus eſt, & qualem depingit Alciatus:

Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos,
Iſta verecundi ſigna pudoris erant. In Emblem.

Alterius cernitur & petulantia & libido: eam indicant oculi, os, nares, aures arrectæ, vno verbo facies tota. Arietis pellis ideo fortaſſis eſt appoſita, *quod Satyrus lingua Laconica*, ut ait Seruius, *arietem ſignificet.* Referri poteſt ad Sylvanum, pecorum & agrorum Deum, ita dictum, quòd in ſylvis verſaretur: Is Cypariſſum puerum amaſſe perhibetur, qui manſuetiſſimam habebat cervam, quam cum Sylvanus ignarus occidiſſet, puer eſt dolore extinctus. Eum Deus amator in cupreſſum arborem eius nominis vertit, & eam pro ſolatio portaſſe dicitur. Quidni etiam ad Pana Deum, qui veluti vniuerſi Deus cenſebatur. Illius Dei ſimulacrum caprina facie pingebant, rubro colore, hirtis cornibus, quæ huic ſigno mirificè conueniunt: *Pan Deus ruſticus*, inquit Seruius, *in naturæ ſimilitudinem formatus eſt, unde & πᾶν dicitur, id eſt omnis; habet porrò cornua in radiorum Solis & Lunæ cornuum ſimilitudinem: Rubet eius facies ad ætheris imitationem, ſuperior pars eſt hominis inferior hiſpida, propter arbores, virgulta, feras. Caprinos habet pedes, ut oſtendat terræ ſoliditatem.* Laſcivum & libidinoſum hunc ipſum Deum induxerunt *propter copiam ſpermaticarum rationum, & quæ commixtiones ipſarum fiunt:* inquit Gregor. Gyraldus, hinc ipſum dicunt conſequi Nymphas: *ſed & famoſos pueros*, ut eſt apud Theocritum, quare ἄγρφος Θεὸς dictus eſt. De illo ſic Sylvius: Lib. XV. De Dus gentium. lib. Panic 13.

Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte,
Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento:
Paſtorale Deo baculum, pellisque ſiniſtrum
Velat grata latus, teneræ de corpore damæ.

Satyros dictos volunt παρὰ τὴν σάθην, qua voce membrum virile Antiqui ſignificabant, quod perpetuò erectum habebant *ad declarandam omnem virtutem veneream*, ut ait Euſebius. Id inſtar veli folium operit, mirificè adornatum Pontificis Maximi Vrbani VIII. juſſu, ne quod Magnatibus traderetur, aliquid adhuc haberet impudicitiæ. Illa mihi ſtatua olim acceſſit beneficio Illuſtriſſimi Lomenii Briennæ Comitis, mihique gratulor, quod in cimeliarchio repoſuerim ampliſſimo, Illuſtris Eliæ Brackenhofferi inclytæ ciuitatis Argentoratenſis Quindecimviri. Is ille eſt, qui ſupra ſuæ ſortis viros antiquitates amat, nummos antiquos & recentes, & omnis generis cimelia. lib. 3. Præpar. Evang.

2. Ad illuſtrandam Satyrorum hiſtoriam, de quibus in hoc Opere frequens eſt mentio, ſcalpendam curavimus illam Satyram fœminam

ex argento, quam jam pridem Cl. Senator P. Petauius vulgauerat: quantum hæc delineatio aliam ſuperet, judicent, qui vtramque viderint, qui peritiam ſcalptoris eximii D. Chauveau cognoſcunt.

In Atticis. Scribit Pauſanias: *inſulas eſſe quasdam, quæ Satyrides vocantur, quas Satyri incolunt, & caudas haud multo equinis minores intra clunes habentes: &c.* Illam breuiorem quidem repræſentat hocce antiquiſſimum monumentum. Satyri autem ſuas habebant fœminas, ſicuti Deus Faunus ſeu Fatuellus ſuam vxorem Fatuam, qui à vaticinando & fando dicti, inconſideratè loquentibus Fatuorum nomen dederunt: Hæc traditur mulierum caſtiſſima, quare eam Romani Bonam Deam appellarunt, cuius templum in Auentino, in quo fœminæ tantùm ſacrificabant, ingreſſu maribus prohibito. Obſeruandum eſt maximè, *eius templi fores non manibus, ſed precibus ſolis aperiri poſſe*, quod mulierum propenſionem quodammodo declarat, Eas enim flecti potius precibus quam vi nemo eſt qui non noſcat.

3. Tertium ſignum cuius ſcalpturam copioſis laudibus apud me extulerunt præſtantiſſimi delineatores, Silenum repræſentat. *Provectioris ætatis Satyri dicebantur Sileni*, illosque ait Plutarchus, ἀπὸ τῆ σιλαίνειν,

Pauſanias. id eſt, ab inuidendo & oculis præcipuè cognominatos; quod in hoc

Lib. 3. de præpar. Evang. ſigno patet. Quod manu ſiniſtrâ retrò humeros tenet, caue ne claues exiſtimes in modum Herculis; baculus eſt ſiue pedum recurvum, propter annum, qui in ſe recurrit, quia hic totius naturæ eſt Deus.

4. Fauni, Satyri, & Panes cognominati ſunt ſemicapri & capripedes à formâ, quam geſtabant à fiſtula Cicuticines. *Sub hirci autem ſpecie cultus Pan fuit.* Legimus mulieres cum hircis coiiſſe: non

Herodotus. Suidas. Diodorus. mirum eſt, ſi puer Satyrus hirco inſideat ferulam tenens.

5. Quantùm valeat iſta Floræ ænea ſtatua, ſatis docet elegantiſſima delineatio: illam vltro indicant & nuditas & flores in calatho: *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet, Populum Romanum*

Lactantius lib. 1. cap. 20. *ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia: Quod quia Senatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudenda rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præeſſet &c.* Ludi autem Florales Calendis

Valer. Maxim. Majis celebrabantur, in quibus omnes nequitiæ, & laſciuiæ nudis mulieribus peragebantur. *Fuit ſimulacrum Floræ in ædæ Caſtoris & Pol-*

Plutarchus. *lucis à Praxitele ſummâ induſtriâ formatum, in cuius dextrâ flores, &c.*

6. Varijs modis Minerua ab Antiquis picta eſt, Phurnutus eam vultu

In Atticis, virili, & armis inſignem; Pauſanias ſimulacrum deſcribit aureum cum veſte ad talos demiſſa, Meduſæ capite eburneo ejus pectori inſerto:

Lib. 34. Plinius hanc ipſam ſtatuam à Praxitele effictam commemorat. Apu-

Lib. 10. lejus galeam ejus deſcribit. Ei adſunt vel noctua, vel cornix, vel draco. Quæ omnia huic ſigno mirè conueniunt, quod ab artis ſcalptoriæ peritiſſimis ſupra antiqua opera à ſe viſa laudatum audiui.

1. Colonias à Domitiano deductas quæ nobis ſuperſunt in nummis exhibet hæc tabula: Coloniam Auguſtam Philippenſem primus refert, de qua dictum eſt in Claudio pag. 99. Alicuius coloniæ Iuliæ
2. reſtitutionem in ſecundo nummo ſibi fortaſſis vindicare voluit ſuperbus Imperator; ſed quænam illa ſit, in hoc vt nec in cæteris Impe-
3. ratoribus, non licet interpretari. In tertio Genium Coloniæ Antiochenſis fortaſſis repræſentat figura ſacrificans, ſed quo animo id faciat non noui.

Triplex Domitiani nummus Coloniam Aroem Auguſtam Patrenſem celebrat cum diuerſiſſimis typis. Primus Neptuno eſt inſignitus Delphinum tenente: horum copiam in Ponto, & Græciæ littoribus eſſe maximam nemo non nouit: obliterati characteres aliquid deſignaſſe videntur, præter loci ſitum qui ad mare Ionium eſt: *Prope portum Patrenſis vrbis Neptuni ædes ſunt cum ſigno eius marmoreo*, inquit Pauſanias. De Legione vigeſima ſecunda quam ſæpius in Patrenſibus nummis vidimus dictum eſt pag. 98. Colonum agentem boues coloniam indicare res ſatis per ſe nota eſt, quæ vlteriori interpretatione non indigeat, ſiue ad coloniæ fundatores is referatur, ſiue ad Domitianum eorum habitum præferentem. Lib. 7. in Achaic.

Iam in Tito fuit explicatum pag. 152. quis fuerit Agrippa Iudææ Rex, quapropter denuo commemorare ſuperfluum. Domitianus in partem triumphi Iudaici venit, cùm equo albo inſidens patrem & fratrem triumphantes ſit comitatus: Huius etiam gloriæ participem demonſtrant hi nummi qui victoriam & Agrippam exhibent. Cœteri palmam & Canopum, hunc Ægypti, illam Iudææ ſymbolum, quaſi Imperatori ſeruientes & ſub eius ditione conſtitutas repræſentant. De Canopo vide Othonis nummum pag. 135.

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. Imperator Cæſar Domitianus Auguſtus Germanicus. *Caput Domitiani. Populorum nomina infra explicantur.*

Herodotus l. 4. & 5. Diod. Sicul. l. 16.

Perinthiorum numen Iupiter vel ſtans vel ſedens in duobus primis 1. nummis ſignatus eſt. Perinthus cognominata Mygdonia & 2. Heraclea, in Thracia ſita erat, ἐν τῇ Προποντίδι, hodie dicitur *Pera*. De illa paſſim.

Iouem Cretenſes vt ſuum Deum perpetuô coluere, qua- 3. re illum Cretenſem & Cretagenem nominauere, quod in Creta nutritus fuerit, ne à Saturno patre voraretur. Aquilam dextra tenet

Athenæus lib. 11.

qua venari iuuenis conſueuit. Fingunt Poetæ hanc illi nectar è rupibus, & columbas ex Oceano Ambroſiam deportaſſe: in cuius beneficii remunerationem illis impertiuit immortalitatem, iuſſitque vt æſtatis hyemisque eſſent prodromi, Pleiadum nomine.



4. Iouem etiam Claudiopolitanorum quartus nummus refert; hi Isauriæ seu Ciliciæ populi suum nomen ab Imperatore Claudio trahebant huius coloniæ conditore: cum priùs eorum vrbs Andrapa vocaretur. Ammian Marcel. l. 14

5. Trallianorum seu Trallienſium Deus in quinto ſignatus eſt. Apollo ſiniſtra lyram dextra laurum tenet. Ludorum Pythiorum qui Trallis celebrantur mentionem facit marmor antiquum inter Arundelliana à doctiſſimo Seldeno explicatum, in quo enumerantur Victoriæ C. Sept. Publii Citharœdi, Επίδαυρον Ασκλέπεια, Αθήνας Αδριάνεια, Σάρδεις Χρυσάνθινον, ΤΡΑΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ &c. quod rem noſtram mirifice illuſtrat. Trallis Lydiæ vrbs ad Mæandrum eſt ſita. Huius nummi meminit Ill. Falconerius in eleganti libello quem nuper edidit de Nummo Apamenſi.

6. Diana multimamma à Clariis vt & Epheſiis colebatur. Locorum vicininia id forte præſtabat. de illa dictum eſt in Triumuirorum nummo pag. 20.

7. Sub Agathone quidem cuſum eſſe ſeptimum nummum ex inſcriptione conſtat, ſed quis fuerit illa Agatho; quænam eius ciuitas lubenter ſcirem: certe nummi fabrica Græca quidem eſt, ſed longe inferior cælaturæ vulgaris Græciæ, quare nummum in ora Perſidis cuſum arbitrer.

8. Nicomedienſes vt Nicæenſes de principatu Bithyniæ ſæpe certauerant, utraque ſibi hunc honorem vindicante. Illos ſic differere facit Dio Chryſoſtomus, ἡμεῖς δ' οἰόμεθα ἐαν ἐπιγραφῶμέν πȣ πρῶτοι, το πρωτεῖον ἕξειν; hoc eſt, *Nos autem putamus ſicubi nos inſcribimus primos primas habituros partes.* Orat. 38. Id diſſidium ita erat frequens apud Græcos vt horum nomine redarguat Dio, ἑλληνικὰ ἀμφιτήματα. Anguis ſerpens Nicomediæ originem procul dubio refert in nummo: cum enim eius populi ciuitatem condere deſtinaſſent, ſubitô aquila caput victimæ ex igne rapit, illam anguis exiliens terruit, atque vltra fretum fugere coëgit; ſequitur, tunc populi illos veluti Deos & ciuitatis condendæ indices arbitrantes conſilium mutauere, ibique Nicomediam condidere. Libanius orat. 6.

9. Cur Cydutenſes templum in nummo Domitiani cuderint, ignoro: coniectura eſt in eius honorem fuiſſe conſtructum, cum Deum ſe & Dominum appellari coëgit. ΚΟΔΟΥΤΑΙ à Ptolomæo memorantur & Cydum vel Cudum à Mela his verbis, *Ab Iolide vltra Gangem ac Cudum recta ſunt littora, timidique populi & marinis opibus affatim dites.* Alterum nummum eiusdem oppidi in honorem Domitiani cuſum exponit Triſtanus, in quo Dea ſedens capite turrito ſpicas & papauerem tenet. Suet. c. 5. Lib. 7. c. 2. Lib. 3. c. 7.

10. De Macedonum clypeo Imperatoribus offerri ſolito, dictum eſt in Nerone pag. 120.

Caput minutum Domitiani, retro Caput Deæ. ΕΣΤ. ΑΡΑΔΙΩΝ. Aradiorum. *Bos currens.*

Pomp. Mela. l. 2. c. 7. Arădus in mari Phœnicio ſita ſic deſcribitur à Dionyſio,

Ἀγχὶ δ᾽ Φοινίκης Ἀραδὸς μεγάλῳ ἐνὶ πόντῳ.

Strabo. l. 16. In Phœnicio mari eſt Arados, inter quam & continentem quinquaginta cubitos alto mari vt autor eſt Mutianus, *à fonte dulcis aquæ tubo coriis facto vſque à vado trahitur*, inquit Plinius. *Ante Ioppe eſt Paria tota oppidum in qua obiectam belluæ Andromedam ferunt, & iam dicta Arados.* Tripolim Tyrii & Sidonii & Aradii obtinent. Geroſtratem Aradiorum Regem Alexandro Magno auream obtuliſſe coronam narrat Arrianus: Q. Curtius eorundem etiam mentionem facit. Ventidius pro M. Antonio eam quidem oppugnauit, ſed fruſtra: paulo poſt Soſius expugnauit & deleuit. Bos fertilitatem ſoli indicat, fortaſſisque colonorum miſſionem. Dea Domitianum quaſi ſuo ſinu fouens ornato capillitio Venus eſt fortaſſis quæ Aſtartis nomine his in locis ſumma veneratione colebatur. Fortuna temoni impoſita vel Iſis quo pertineat, præter generalem ergo iſtas Deas Syrorum & Ægyptiorum venerationem non ſatis perſpectum habeo.

Hiſt. nat. l. 5. c. 31.

Lib. 5. c. 20.

Lib. 2.

Dio. lib. 48. 49.

Synnada de qua dictum eſt pag. 3. hunc nummum cudi curauit in honorem Domitiani cum Iouis adſcripto peculiari nomine: is ΠΑΝΔΗΜΟΣ ſoſpitator ſeu ſeruator dicitur: an quia Domitianus nouam excitauerit ædem in capitolio Ioui cuſtodi, vt ait Suetonius.

In Domit. c. V.

ΚΑΙCΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. *Caput Domitiani.* ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑCΤΗ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΥ CΕΒ. *Caput Domitiæ.*

Contrectatis multorum vxoribus, Domitiam Longinam Ælio Lamiæ nuptam etiam in matrimonium abduxit Domitianus, ex qua in fecundo fuo conſulatu filium tulerat, alteroque anno conſalutauerat vt Auguſtam: eamdem Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiauit, intraque breue tempus impatiens diſſidii quaſi efflagitante populo reduxit. Hæc erat Domitii Corbulonis filia cuius viuentis gloria, mortui fama in æternum valebit. Venerat in odium mariti Domitia vxor, timebatque ne ſe interfici iuberet, deprehenſis tabulis quibus interficiendorum nomina erant inſcripta. Suet. in Dom. c. 1. cap. 3. cap. 7. cap. 13. Xiphilinus.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC CΕΒ. ΔΟΜΙΤΙΑ CΕΒ. *Facies aduerſæ Domitiani & Domitiæ* ΘΕΩΝ ΣΕΒΑΣΤΩΝ, Deorum Auguſtorum. *Templum.*

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ *Facies aduerſæ Domitiani & Domitiæ.* ΕΠΙ ΔΙΜΟΣΤΡΑΤΟΥ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ, ΣΜΥΡ. Sub Dimoſtrato Præfecto Smyrnæorum. *Figura ſtans dextra vrceolum, ſiniſtra clauam & exuuias leonis.*

Domitiani & Domitiæ auerſus nummus templum exhibet vtrique ſacrum ſub inuocatione Deorum Auguſtorum: Is Imperator eò deuenit inſaniæ vt Deus appellari voluerit. Pari arrogantia cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: Dominus & Deus noſter ſic fieri iubet, vnde inſtitutum poſthac vt ne ſcripto quidem ac ſermone cuiusquam appellaretur aliter: In reducenda poſt diuortium vxore edixit vocatam eam in puluinar ſuum; acclamari etiam in amphitheatro, epulari die, libenter Sueton. in Dom. c. 13.

ter audiit DOMINO ET DOMINÆ FELICITER. A quo Græciæ populo conſtructum fuerit illud templum, eroſus hac parte nummus conii-cere non ſinit.

Alter à Smyrnæis cuſus eſt ſub Dimoſtrato illorum Præfecto, Herculis ſpecie inſignitus eſt, vrceolus enim in dextra eſt; in ſiniſtra clua & exuuiæ leonis. ſed quid Baccho cum Hercule?

Domitiani nummorum facies auerſas hic habes, quos numerales vocant. In iis enim Græci characteres numeri locum obtinent iuxta illorum morem. Serapis & Iſis quales fuerint ſupra fuit explicatum. Aquila fulguri innixa Iouem deſignat cui Domitianum comparabant. Bos vittatus flore inter cornua inſignitus Apim Deum Ægyptium indicat. Equus currens cui draco eſt impoſitus etiam in Domitiani nummis reperitur, ſed quid ſit non ſatis ſcio. Anni Græcis characteribus ſunt notati.

ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput Domitiæ.* ΟΜΟΝΟΙΑ ΣΜΥΡ. ΕΦΕ. Communitas Smyrnæorum & Epheſiorum. *Diana Epheſia.*

Eadem inſcriptio: Duæ figuræ muliebres.

ΚΑΛΟΗΝΩΝ Caloenorum; *Diana Epheſia.*

ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΣΙΠ. Magnetenſium Sipilus: *Fluuius decumbens.*

Smyrnæos & Epheſios ſimul nummos cudiſſe exempla ſunto primi duo nummi. Tacitus narrat vndecim populos inuicem certaſſe, contendentes ſibi deberi gloriam ex ædificatione templi in honorem Auguſti & Liuiæ: Epheſios cauſa tandem ceſſiſſe qui ſoli cum Smyrnæis volente Romano ſenatu diſputabant. Ea fortaſſis ratione ducti, ſocietatem iniit vterque populus, quam ΟΜΟΝΟΙΑΝ nominabat. Diana Epheſia in primo ſignata eſt; de qua dictum eſt in Trium-virorum nummo pag. 20.

Alter duo ſigna exhibet, quæ cum Pauſania interpretor Hygææ fuiſſe & Mineruæ Soſpitæ quæ etiam Hygæa dicebatur, cum altera Æſculapii filia fuerit. Lib. 1.

Coloes meminit Strabo his verbis quæ quodammodo nummum explicant. Κολόη ὅπου ὁ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος μεγάλων ἀγιστείαν ἔχον: hoc eſt, *Prope Sardim in Lydia eſt Coloe, vbi & templum Dianæ maximè venerandum.* Caloe pro Coloe noſtram, vt arbitror, non impedit coniecturam. *Epheſiam autem Dianam vrbes prope cunctæ eodem celebrant cognomine, & præſertim viri omnes præ cæteris eam diis proſequuntur honoribus. hoc opinor cum Amazonum gloriæ tribuunt, à quibus fanum illud cum ſimulacro dedicatum fama vulgauit, tum operis priſci antiquitati. Tria præterea templi celebritatem augent; magnitudo primùm qua cætera omnia hominum opera anteit: Epheſiorum deinde ciuitatis ſplendor, & ipſa poſtremò Deæ claritas.* Lib. 13. Pauſan. lib. 4. Meſſen.

Reiectis Ioniæ & Macedoniæ Magneſiis, quartum nummum iis tribuere non dubito, qui in Lydia proximi Sardibus ſub Archiepiſcopatu Smyrnæenſi. Id probat mons Sipylus in nummulo nominatus, cuius quidem nomen & fluuii ſimul & oppidi fuit. Plinius Sipylum in Magneſia deſcribit, oppidum quod abſorptum eſt, & Magnetes quos à Sipylo nuncupat: conueniunt loca. Magnetes commemorat Pauſanias, *Sipyli incolas qui Mithridatis ducem Archelaum fines eorum vaſtantem vulneraſſent. De Te*, ſcribens Cicero ad Quintum fratrem, *à Magnetibus ab Sipylo mentio eſt honorifica facta.*

Lib. 2. c. 91.

L. 5. c. 29.

Lib. 1. In Epiſt.

Nerua poſt Domitiani cædem Romæ Imperator deſignatus eſt: Vir nobiliſſimus atque humaniſſimus, princeps iuſtus ac beneficus. Is ſtatim eos qui rei facti erant impietatis, abſoluit, exſulesque reſtituit; prohibuit ſæuitiam quæ in Chriſtianos exercebatur: Afflictas ciuitates releuauit, puellas puellosque parentibus natos egenis, ſumptu publico per vniuerſa Italiæ oppida ali iuſſit: Suſtulit ſpecioſa ſpectacula: vſque adeo bonus Princeps fuit, vt aliquando dicere auſus ſit ſe nihil feciſſe quo minus poſſit depoſito imperio priuatus tutò viuere: id quod præſtitit haud ita multo poſt: nam cum propter ſenectutem minime honoraretur, ſed contemptui eſſet, Capitolium conſcendens M. Vlpium Traianum Hiſpanum natione adoptat, cenſebat enim virtutem cuiuſque non patriam exiſtimari & ponderari debere, eundemque poſtea in Senatu Cæſarem deſignauit. Vir probus & honeſtus omniumque laude dignus, omnibus rebus in ordinem bonum redactis & conſtitutis, febre correptus moritur, æt. LXV. Imperauit annum vnum menſes IV.

Vide Fam. Romanas in gente COCCEIA.

Xiphilin.

Fruſtra virtutes Imperatorem in nummis celebrant, cum virtus eius ex factis abunde ſit cognita: ÆQVITAS quidem FORTVNA, LIBERTAS PVBLICA, CONCORDIA EXERCITVVM, quæ frequenter occurrunt, Romanorum beneuolentiam & felicitatem ſub hoc Imperatore teſtantur. Vtinam Græcos characteres tam exactè liceret interpretari. Inſcriptio circum caput nomen & dignitatem Imperatoris exponit. Facies auerſa Ioue ſedente Victoriolam dextra tenente inſignita eſt, ΔΙΑΠΑΝΔΗ ΜΟΝΣΥΝΑΣΙΣ à pluribus legitur; Ego autem ΔΙΑ Iouem interpretor, ΠΑΝΔΗ vero videtur prima pars vocis πάνδημον, quod Iouis ἐπίθετον. Forte Neruam Iouem ſuum Pandemum, id eſt, Soſpitatorem vocat aliquis populus quem ex cœterorum characterum detritione dignoſcere non licet; niſi ad eosdem Synnadenſes reuocemus, qui eiuſdem Iouis Πανδήμου nummum iam Domitiano ſacrauerant.



Nerua Traianus natione Hiſpanus erat: Æt. XLII. Agrippinæ Coloniæ dum Germaniæ præeſt à Nerua Imperator declaratur; vir iuſtus & robore præſtans. De Dacis, eorumque Rege Decebalo triumphauit; quo denuo deficiente Daciam repetit, vbi ex inſidiis propemodum extremum diſcrimen adiit, tamen deuictis Dacis coloniam eo deduxit, in Iſtro pontem lapideum ſtruxit, opus mirandum. Euphratem ponte iunxit. In foro ingentem columnam erexit pro ſepulchro. Bellum in Armenios & Parthos mouit, ductus gloriæ cupiditate: quibus deuictis, Optimus à Senatu appellatus eſt, & Parthicus, quemadmodum antea Dacicus. Ineunte vere Aſſyriam ingreditur, & Babylonem occupat. Poſt Cteſiphontem ingreditur, & Meſſenem cepit: inde venit ad Oceanum, in Indiam traiecturus ſi iuuenis fuiſſet, tamen id nauigauit: dum revehitur prouinciæ occupatæ deficiunt, quas per Legatos recuperat: inde Cteſiphontem reuerſus, Regem Parthis dedit. Profectus in Arabiam adoritur Agarenos, quos reliquit, & haud ita multo poſt in morbum incidit, quo ingraueſcente, iter in Italiam cepit, Hadriano in Syria cum exercitu relicto. Traianus morbi ſui cauſam venenum exiſtimauit, alii hæmorrhoidum ſuppreſſionem. Apoplexia quoque laborauit, vt parte aliqua corporis ſenſum amiſerit; ſed omnino aqua intercute correptus in Cilicia Selinuntem delatus obiit. Regnauit annis XIX. vixit annis LXIV.

Xiphil. in Traiano.

Humanitatis ſummæ perilluſtre exemplum exhibet hic nummus. Solebant Imperatores congiaria diſtribuere, certa quadam frumenti aut olei portione ſingulis diſtributa, quæ à congiis nomen habebat: numerum adaucturæ matres, filios & ſi parvulos deducebant, quibus vt cœteris, Imperatoris munus tribuebatur. Traianus verò præcauens periculis quibus aut incauti aut imbecilli infantes in tanta hominum multitudine exponebantur, abſentibus iis ſua munera eſt elargitus. *Quocirca*, inquit Plinius, *nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim quam quod congiarium das de tuo,* ALIMENTA *de tuo*, & alibi; *vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur, creſcerent de tuo qui creſcerent tibi quantum parentibus tuis quisque deberet* &c. *Hæc prima parvulorum ciuium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta, hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent. Pueris ac puellis*, inquit Spartianus, *quibus etiam Traianus alimenta detulerat incrementum liberalitatis adiecit. Romam deinde regreſſus*, inquit Xiphilinus, *multa fecit ad emendandam Rempublicam atque in bonorum gratiam, quorum imprimis curam geſſit: nam ciuitatibus Italiæ multa largitus eſt ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit.* Materfamilias filios ſuos Imperatori ſedenti quaſi gratias agentes offert in nummo. Eius ſupereſt inſcriptio antiqua

In Panegyrico.

In Hadriano.

Gruter. Inſcript. pag. 1084.

IMP. NERVAE TRAIAN. AVG. GERM.
P. MAX. TRIB. POTEST. COS. IIII. P. P.
NOMINE PVELLORVM PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX S. C. P.

1. Quod nunquam aut Persæ aut Macedones præstiterant, sub Traiano factum fuisse asserit primus hic nummus in quo legitur, ARABIA ADQVISITA. *Palmas Syriæ præfectus eam Arabiæ partem quæ ad Petram vergit, edomuit*, inquit Xiphilinus, *redegitque in ditionem populi Romani. Arabiam prouinciæ impositio nomine rectoreque attributo obtemperare legibus nostris Traianus compulit Imperator incolarum tumore sæpè contuso, cum glorioso marte Mediam vrgeret & Parthos.* Ammian. Marcellin. l. 14. c. 27

Nummus alter ARABIAM AVGVSTI PROVINCIAM vt
2. Daciam alter celebrat, quod Traianum Augustum primum suum Imperatorem hæc prouincia receperit, vt Bithynia Hadrianum: *leges barbarorum inde abrogatæ, ritus Romanorum recepti*, inquit Bardesanes Syrius. Camelus iuxta appositus Arabiam denotat, vt equus Mauritaniam, crocodilus Nilum, noctua Athenas. Strabo *Arabiam equis carere* ait, *quorum cameli implent officium*: Liuius Romanorum pugnam aduersus Antiochum scribens sic narrat; *Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ, & cameli quos Dromades vocant, his insidebant Arabes sagittarii gladios tenues, longosque quaterna cubita, gerentes vt ex tanta altitudine contingere hostem possent.* Aristoteles velociores camelos Arabes esse asserit equis Nyseanis. Attamen quoniam Amicus quidam meus non camelum sed struthionem hic scalptum esse pertinaciter asseruit, quod struthiones in Arabia occurrant, ideo nummum argenteum ex cimeliarchio nostro vulgauimus quò rem apertius declararemus. In Eusebio lib. 6. c. 10. Præparat. Euang. Lib. 16. Hist. anim. lib. 9. c. vlt.



Arabiam accuratius denotant quæ in manibus figuræ stantis cernuntur. Ramus arboris thus ferentis in dextra est, de qua sic Theophrastus, Γίνεται μὲν ὖν ὁ Λίβανος &c. hoc est, *Gignitur ergo thus & myrrha & casia & cinnamomum regione Arabum media circa Saba* &c. Arborem thuris non magnam sed quinis fere cubitis attolli, permultosque ramos gerere ferunt. Folium pyri nisi quod multo minus & colore plane herbidum modo rutæ: corticem leuem omni ex parte, lauri modo, quæ omnia prior nummus exponit. Rem Hist. plant. lib. 12. c. 14.

Hiſt. nat. lib. 12. c. 14. cap. 22. conficit Plinius, his verbis, *Thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem vniuerſæ* &c. *Thus collectum Sabotam camelis conuehitur, porta ad id vna patente, digredi via capitale leges fecere: ibi decimas Deo quem vocant Sabin menſura non pondere ſacerdotes accipiunt, nec ante mercari licet* &c. In ſiniſtra Arabiæ ſtantis calamus eſt odoratus quem *præſtantiſſimum in Arabia trans Libanum naſci* narrat Plinius, in qua *propter eum aſpirationem agri odoratiſſimam eſſe inter omnes conſtare* ſcribit Theophraſtus. Ad id fortaſſis refertur quod narrat Galenus, *cinnamomi virgulas absque ramis & foliis in ſcriniis Imperatorum Traiani & Hadriani aſſeruari, quas & ob vſum & ob elegantiam & ob opus maximi faciebant.*

Lib. 9. c. 7.

Lib. de antidotis.



Quem optimum Principem Senatus populusque Romanus iudicauerat hic triumphans variis modis cernitur. Poſt deuictos Dacos eorumque Regem Decebalum, innumera victoriarum monumenta vbique extructa fuere. Trophæa, arcus, ſtatuæ, columnæ, nummi, omnisque generis ſigna adhuc exſtant. Primus huius tabellæ nummus Traianum exhibet equitem, Decebalum calcantem: proximi duo trophæa in quorum poſtremo, vnum amplectitur Imperator ad alterum manum tendens: quo quidem ſignificatur breuiſſimo tempore duas fuiſſe partas victorias, 1. 2. 3.

Virgilius. *Et duo rapta manu diuerſo ex hoſte trophæa.*

Pax in quarto cernitur ſtans more ſolito, cornucopiam ſiniſtra tenens quæ bonorum omnium prouentum ſignificat: arma in globum congeſta dextra, face admota comburit, velut humanæ fœlicitatis impedimenta, quæ quidem omnia imperii tranquillitatem indicant. Poſtremus tandem triumphum demonſtrat, qualis frequens in Imperatorum nummis occurrit: de illo ſic Plinius; *Accipiet ergo aliquando Capitolium non inanes currus, non falſæ ſimulachra victoriæ, ſed Imperatore veram ac ſolidam gloriam reportante, pacem, tranquillitatem & tam confeſſa hoſtium obſequia, vt vincendus nemo fuerit. Pulchrius hoc omnibus triumphis* &c. Traianus itaque de Dacis triumphauit, & Dacicus cognominatus eſt; Hunc nummum arbitror mortuo iam Traiano Hadrianum cûdi iuſſiſſe. Coniecturam Spartianus ſuppeditat, his verbis: *Quum triumphum Hadriano ſenatus qui* 4. 5.

In Panegyrico.

Xiphil. in Traiano.

Traiano debitus erat, detuliſſet, recuſauit ipſe, atque imaginem Traiani curru triumphali vexit, vt Optimus Imperator, ne poſt mortem quidem triumphi amitteret dignitatem. Redeunti enim Traiano ex India, inquit Xiphilinus, parabant ciues longius obuiam procedere, ſed is nunquam in vrbem reuerſus eſt. De his ſupereſt egregia hæc inſcriptio antiqua. Gruter. pag. 246. ex Panvinio.

IMP. CAESAR DIVI NERVAE F.
NERVA TRAIANVS AVGVSTVS
GERMANICVS DACICVS PONTIF. MAXIMVS
TRIB. POT. IIII. COS IV.
VICTO DECEBALO.

1. Magnificentiſſima Traiani opera exponit hæc tabella: primum quidem, quod huc vſque Antiquarii pontem interpretati ſunt per quem nempe trans Danubium Romani tuto deduci potuerant, alio reuocandum eſſe cenſerem. Norunt qui portum Anconæ viderunt Piceni ciuitatis primariæ, hanc illi formam eſſe vtrinque turribus ornatam, in modum amphitheatri concauam, in cuius medio nauis cernitur, citra quam catena tutiori reddendo portui. coniecturam firmat arcus Traiani adhuc integer in Anconæ portu,

PLOTINAE AVG. CONIVGI AVG.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO OPTIMO AVG. GERMANIC. DACICO PONT. MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. VIII. COS. VI. PP. PROVIDENTISSIMO PRINCIPI SENATVS P. Q. R. QVOD ACCESSVM ITALIÆ HOC ETIAM ADDITO EX PECVNIA SVA PORTV TVTIOREM NAVIGANTIBVS REDDIDERIT.

DIVAE MARCIANAE AVG. SORORI AVG.

Gruter. Inſcript. p. 247.

Nouimus quidem Traianum fundatorem fuiſſe pontis ſuper Danubium, ſed an id cum nummo conueniat videant acutiores, ego certe non video.

Templum ſumptuoſiſſimum repræſentat alter nummus, colu- 2.
mnis, porticibus, figuris ornatum. Sed quale ſit illud inter tot à Traiano ædificata non facile eſt affirmare.

Tertium nummum in quo figura muliebris humi procumbens, 3.
rotam dextra tenet, ſatis explicat inſcriptio, VIA TRAIANA. Ne ta-
Lib. 9. c. 8. meth. med. men eius breuitas obſcurum opus relinquat, Galeni noſtri verba rem totam definient; *Veluti nunc quoque videmus quasdam veterum in terris viarum, quibus pars quapiam eſt lutoſa, vel lapidibus ſentibus que impedita, vel moleſtè ardua, vel periculoſe prona, vel feris obſeſſa, vel propter magnitudinem fluminum invia, vel longa, vel aſpera: itaque cum ſic ſe haberent omnes in Italia viæ, eas Traianus ille refecit. Quæ quidem earum humidæ ac lutoſæ partes erant, lapidibus ſternens, aut editis aggeſtionibus exaltans, quæ ſenticoſæ & aſperæ erant, eas expurgans, ac flumina quæ tranſiri non poſſent, pontibus jungens: vbi longior quam opus erat via videbatur, aliam breuiorem exſcindens: ſicubi vero propter arduum collem difficilis erat, ab illa transferens ac per habitata ducens, tum aſperas complanans.* Omnium viarum maxima & celeberrima Appia dicebatur, quæ ideo *Regina viarum* dicta eſt, quæ ab Vrbe ac porta Capena initium ſumebat ab Appio Claudio Cenſore ad Capuam vſque munita. Brunduſium vſque ſtratam quidam pro-
Tacitus. diderunt, quare ſunt qui à Iulio Cæſare, cui eius viæ cura commiſſa fuit, Brunduſium vſque Capua munitam tradant. Ea fuit latitudi-
Dio. ne vt plauſtra duo ex aduerſo inuicem occurentia liberè exciperet, longitudine paſſuum CCCXXXM. Hanc nouiſſimè Traianus reſtituit, deſiccatiſque paludibus, exciſis collibus, aggeratis vallibus ac pontibus extructis permeabilem fecit, & de ſuo nomine Traianam appellauit. Viarum Traianarum trium eſt mentio in marmore antiquo quod Auximi ſupereſt.

Quartus peculiari ſymbolo AQVAM TRAIANAM repræſentat, ea 4.
quæ inter 20. vrbis Aquas à P. Victore commemoratur: *Aquæ Martiæ partem Traianus in Auentinum deriuauerat vnde Traiana dicta*
Topogr. Romæ. c. 4. *eſt.* hanc laudat hæc inſcriptio.

AQVA TRAIAN. Q. ANICIVS Q. F. ANTONIAN.
CVR. THERMARVM VARIANARVM.

Aliam aquam Traianam in Hiſpania fuiſſe, docet marmor antiquum, quod ad nummum noſtrum facere non arbitror.

Quintus columnam ſuperbiſſimam repræſentat, quæ adhuc 5.
hodie ab authore Traiana dicitur. Opus mirabile & omnium totius

antiquitatis integerrimum, cuius *ſingularem ſub omni cœlo fuiſſe ſtructuram & vel numinum aſſenſione mirabilem*, ſcribit Amm. Marcellinus. *In foro ingentem columnam ſtatuit*, inquit Dionis abbreviator, *ſiue ut ea pro ſepulchro eſſet, ſiue in oſtentationem eius operis quod ille circa forum egit:* In ea etiam Traiani oſſa ſepulta eſſe idem aſſerit. Structa eſt lapidibus XXIIII. tantæ vaſtitatis, vt opus videatur non hominum, ſed gigantum. alta CXXVIII. pedibus. In eius circuitu res geſtæ ab Imperatore, bellum Dacicum aliæque expeditiones elegantiſſimè ſculptæ ſunt, quarum imaginibus non Roma tantum, ſed totus orbis gaudet hodie ac fruitur, impenſis Chriſtianiſſimi Franciſci I. Gallorum Regis, rerum antiquarum percurioſi, eruditorumque omnis generis Mæcenatis, libello 130. figuras in ære cœlatas continente, hac de re edito. Audiui Pictorem illum Illuſtriſſimum RAPHAELEM Vrbinatem ex eius figuris, eam quem adeptus erat ſuæ artis elegantiam excerpſiſſe. Superſunt enim integræ abſque vllo fere detrimento: cum hac inſcriptione,

Xiphil. in Traiano.

In Hadriano.

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
IMP. CAESARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ
TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONTIF.
MAXIMO TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P.P.
AD DECLARANDVM QVANTAE ALTITVDINIS
MONS ET LOCVS TAATIS OPERIBVS SIT EGESTVS

Gruter. inſcript. pag. 247.



De Colonia Auguſta Felice Beryto abundè dictum in Auguſto pag. 39. Quæ Traianum reſpiciunt, veniunt examinanda. *Gloriæ auiditas bellique ſtudium*, vt loquitur Xiphilinus, *illum in Orientem compulit, Parthos, Arabes, vicinoſque populos, Romanis ſubiicere meditantem.* Terra marique omnia expediuit, militum robore, nauium copia, quam ſubminiſtraſſe Berytum veriſimile eſt, quod idem fecerat temporibus Auguſti, ad quod etiam typi ſimilitudo refertur. Boues ſoli fertilitatem, aquilæ legionum in laurea quaſi eò deductam aut amplificatam à Traiano coloniam indicant.

In Traiano.

De templo Veneris Paphiæ, quod in insula Cypro celeberrimum erat abunde dictum est in nummo Drusi pag. 80. Hoc monumentum fortassis Traiano dicauit Cypri communitas, suum erga illum amorem patefaciens & prolis Vlpiæ desiderium, quam à Venere generationis parente summopere postulabant. Fortassis etiam ob subactos in Cypro Iudæos ope Lucii quem eô Traianus miserat, quod ii in Ægypto Cyproque ducenta quadraginta hominum millia trucidauerant: ex quo fit vt Iudæo in Cyprum venire non liceat, quod si forte vi tempestatis appulerit, interficitur: gratam huius beneficii recordationem insulares Cyprii hoc nummo testantur.

Xiphil. in Traiano.

Iupiter Casius in monte colebatur de quo Lucanus,

Et Casio præferre Ioui · · · · ·

Solin. cap. XLVII.

Stephanus. Strabo. l. 16. Plin. l. 5. c. 12. & 22. Lact. Firmian. Libanius in Antioch.

Qui prope Pelusium est ad ostium Nili, in cuius colle magni Pompeii tumulus: hæc tamen nummum non attingunt: quæ enim ei inscripta sunt ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ, ad montem Casium in Seleucide referuntur: Seleucis autem pars est Syriæ quæ τετράπολις ob vrbes suas quatuor dicitur, Antiochiam, Apameam, Laodiceam & Seleuciam, quarum hæc rem nostram conficit. Dicebatur enim Seleucia in Pieria Syriæ sicut nummus exponit ΠΙΕΡΙΑΣ CYPIAC: illam expugnato Tigrane liberam Pompeius reddiderat. *In promontorio autem,* inquit Plinius, *Seleucia libera Pieria appellata, cuius latitudo ad oppidum in Euphrate Zeugma* CLXXV. *M. P.* Antiochus Seleuci filius eodem loco restituit Seleuciam, ait idem Plinius. Eius mons non Iouis templum tantummodo fundamentum censebatur, sed Iupiter ipse ab incolis viciniſque regionibus cultus, vnde ἐπάκριος Ζεὺς quasi montanus dicebatur, & mater eius Rhea petrosa & montana qualem

Lib. 5. c. 21.

Lib. 6. c. 16.

lem nominat Theodoretus, Ῥέαν πετρώδη καὶ ἄρρενον. *Quomodo autem*, inquit Cicero ad Trebatium, *tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum* Lib. 7. epist. *scias Iouem iratum esse nemini posse*; quod apud Romanos sanctissimum erat iusiurandum. *Quid igitur*, inquit Apuleius, *iurabo per* Erasmus in Adagiis. *Iouem lapidem?* vnde Iupiter Lapis, siue lapideus dictus est. Aberrauit fortasse Ptolemæus, quod sæpius illi contingit, in huius Casii montis designatione: illum enim in Mesopotamia exponit qui in Syria est versus Euphratem. Traiani munera post Dacicam expeditionem in Parthos properantis exponit Spartiani illustrator Salmasius, dum Vri cornu, pelues argenteæ, crateres, aliaque magnifica Ioui Casio oblata sunt, de quibus epigramma confecit imperator Hadrianus.

Ζηνὶ τόδ' Ἀνεάδης Κασίῳ Τραιανὸς ἄγαλμα &c.

Vnde Seleucensium gratam recordationem interpretari non erit difficile: Spartianus narrat Hadrianum ad verticem Casii montis ascendisse Ioui sacrificaturum. *In eius vertice talis specula est, vt lucem* Solinus cap. XLIX. *prius videas quam auspicetur dies.* Cæterum, templum in quo mons super quod Aquila Iouis esse censetur, quod idem est ac templum in monte, cuius inæqualitates mali Punici formam referunt, vt loquitur Achilles Tatius, tereti ambitu in sublime porrectum est: coronam Lib. 3. Amm. Marcell. lib. 22. refert apex, qui etiamnum in nummo cernitur.

Communitas Cretensium hos nummos in honorem Traiani cudi curauit; eius prædecessoris Neruæ origine Cretensis memoriam
1. laudantes & Plotinam patria Cretensem Imperatoris vxorem. Iupiter
2. Europam rapit in primo, sedet in altero, aquilam habens iuxta pedes: hoc Rex Dei habitu, illo famosus ille legislator Minos celebrabatur Iouis ex Europa filius, quibus supra omnia Creta gloriabatur: quos ideo deuinciendis Romanis Imperatoribus perpetuo eorum imaginibus suis in nummis iungebant. De Cretensium erga Iouem cultu dictum est supra in Domitiani nummo, pag. 164.

3. Tertius Æsculapium & Hygæam repræsentat, Medicum Sanitatis parentem. De iis plura passim.

Europa boui insidens quo habitu à Ioue rapta est, in primo nummo signatur. *Est & aliud templum in Phœnicia quod Sidonii tenent Astartæ vt ipsi quidem dicunt. Vtque mihi aliquis ex sacerdotibus narrauit*, inquit Lucianus, *Europæ illud est, Cadmi sororis: quam, cum esset Agenoris Regis filia, nec amplius appareret, Phœnices templo honorarunt, & sacrum de ipsa sermonem evulgarunt, nimirum Iouem eius amore captum, quod esset pulchra, formam in taurum mutata eam rapuisse, & in Cretam deportasse: atque hæc quidem etiam à cæteris Phœnicibus audiui, & nummus quo Sidonii vtuntur, habet Europam tauro, Ioui videlicet insidentem:* hæc Lucianus. 1. Lucianus. de Dea Syria.

Alter nummus mulierem in naui dexteram protendentem, 2. sinistra vestem circa femen attollentem repræsentat, quam Didonem Sidoniam Principem interpretantur. Quæ siue, vt narrat Virgilius Æneam deperiuerit, siue quæ trecentis annis ab illo vixerit, Carthaginem fundauit, quasi gradiens exteras terras quærere tentat. Hæc Sichæo Herculis Sacerdoti nupserat, quem Pygmalion eius thesauris inhians necari iussit; Vidua, opum quod supererat, pluresque tum viros tum fœminas in naues suas transportauit, occidentem versus pergere iussit. Characteres lubet interpretari DIDONE SIDONIA CLASSIS DVCE.

ΑΥΤΟΡΚ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. Imperat. Cæsar Nerua Traianus Augustus Germanicus. *Caput Traiani.* ΚΟΙΝΟΝ ΣΥΡΙΑC. Communitas Syriæ. *Caput turritum.*

ΘΕΑC ΣΥΡΙΑC ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. Deæ Syriæ Hierapolitanorum, *in laurea.*

Communitas Syriæ Opim in terris, Rheam in cœlis, Cybelem quæ vtraque est, venerabatur. testantur inscriptiones antiquæ,

DEÆ SYRIAE SACR.
VOTO SVSCEPTO PRO
SALVTE . . .

D. M. SYRIAE SACRVM.
L. MAIANIVS HOMER.
CVM MAIANA HOMERIDE FIL.
V. SP. L. D. D. D.

Has explicat Diodorus Siculus qui Cybelem Deam Magnam & Syriam interpretatur. Nihil iucundius fore Imperatori arbitrantes Syri quam ſuam Deam illi offerre, hanc in ſuo nummo qui primus cælatus eſt ſolemniter pro more ornatam obtulerunt. Lib. 34. Eclog. 2.

Alterum explicat Lucianus. Ἔστιν δὲ Συρίη πόλις &c. hoc. eſt, *In Syria non procul ab Euphrate fluuio eſt ciuitas quæ vocatur ſacra, eſtque ſacra Iunoni Aſſyriæ; ſed nomen hoc vrbi ſimul atque fuit condita, non inditum fuiſſe videtur, imo aliud illi erat antiquitus, cum vero Magna Sacra ibi celebrarentur, hoc cognomentum accepit, ideoque à Græcis ἱερὰ πόλις: & in ſequentibus cum multa ſint magna & antiqua templa in Syria, nullum tamen maius eo eſt quod in ſacra ciuitate, ἐν τῇ ἱερῇ πόλει habetur, neque etiam ædes alia ſanctior, nec terra magis ſacra.* Plura leguntur de Hierapoli in Sacri Senatus nummis pag. 8. De Dea Syria. De Dea Syria.

Sepphoris vrbs eſt opulenta & totius Galilææ primaria, in meditullio regionis tutiſſimo loco ſita, arce, portis, mœnibus, murisque firmiſſimis munita & habens circa ſe vicos plurimos. A Sephore Moabitarum Rege, de quo in Numeris & Ioſue, fortaſſis nominata fuit, aut à Sepphora Moyſis vxore, de qua in Exodo. Palmarum in tota regione fecunditas hanc quæ in nummo videtur fieri fecit; niſi hac etiam Traiani victoriæ contra Arabes celebrantur. Adrichomius de terra Sancta.

ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC ΑΡΙCΤΟC CΕΒ. ΓΕΡΜΑΝ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. *Caput Traiani.* ΚΥΡΡΗCΤΩΝΑ. Cyrrheſtenſium *in laurea*, ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ Γ. Beroenſium *in laurea.*

ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ Κ. Ε. Flauienſium Chalcidenſium. *in laurea.* ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ, Caryſtiorum. *Caput Iouis.*

Coronas ex auro Imperatoribus Romanis Græciæ populos ſæpius miſiſſe, palam notum eſt. Exempla hic appoſuimus plurima. Populorum nomina in mediis coronis leguntur quaſi offerentium. Cyrum vrbs eſt Syriæ-cauæ prope quam Ventidius Parthos vicit: Lib. debello Parthico. ἐν τῇ Κυῤῥηστικῇ inquit Appianus. Cyrrheſtæ ſunt quidam Macedoniæ populi quorum Plinius mentionem facit: Iis nummum Κυῤῥηστῶν tribuit Golzius.

Vicinæ vrbes Beroæa & Chalcis quæ etiam ſunt in Cæle-Syria prope Strabo. l. 16. Palmyrenos, hac laurea Traianum ſuum victorem teſtantur. Beroæa Plin. l. 6. cap. 28. à Seleuco condita hodie nuncupatur *Alep.* Chalcis variis bellis diruta à Tito Imperatore Flauia dicta eſt, vt multæ aliæ quæ aut coloniæ ab ipſo factæ ſunt, aut inſtauratæ, aut priuilegiis donatæ. Eſt etiam alia Chalcis primaria Eubœæ vulgo *Negroponte*, Caryſto proxima quam refert tertius nummus, quæ etiam Chalcis habita eſt apud priſcos vt Callidemus autor eſt *ære ibi primum reperto*, inquit l. 2. c. 7. Solinus. Vtramque *opulentiſsimam* nominat Mela Hæc in Euboico mari inſula & oppidum à Caryſto Chironis filio nomen Solin. c. XVII. habet, & ab Ægæone gigante Ægæa dicta eſt. *Vnde Briareo rem diuinam faciunt Chalcidenſes, ſicut Ægæoni Caryſtii, Titanas vtrique venerantes, qui ibi regnauerant.* Celebris hic olim erat latumia ex qua nobiliſſimum marmor effodiebatur, vnde Caryſtiæ columnæ Strabo. Plinius. excindebantur. Caryſti etiam lapis naſcebatur ῥᾳδιομένη *quem lanæ inſtar pectere & nere poterant, ex illoque parabantur mantilia egregiè contexta, quæ vbi ſordibus inquinata, erant, in flammam proiecta non ſecus emundantur, quam ſi maculas elueres.* Neque diu eſt quod Lib. de Oracc. defectu. Caryſtia rupes deſiit, ſimul cum marmore &c. inquit Plutarchus. Quod Græci Ασβεστον lapidemque Caryſtium vocabant, id fortaſſis Amiantum intelligimus.

Frequenter occurrunt in nummis characteres quibus dignitates designantur, Consulatus præcipuè & Tribunitia potestas, cæteris maiores: has etiam in longinquis regionibus populi venerabantur. horum enim numorum scalptura & typus Africam denotant.

1. Caput Elephantis ornatum proboscide Cyrenaicam indicat regionem, vt & Iouis cornigeri quem Ammonem incolæ nuncupant.

2. Iisdem etiam Africam totam repræsentari palam nummi testantur: hos autem ideo cusos arbitor quibus non modo generali cultu suam Imperatoribus reuerentiam populi testarentur, sed peculiariter eam quam ob summum ab Traiano acceptum beneficium Ægyptii debebant. Is enim propter deficientem Nili inundationem Ægypti sterilitati annonæ abundantiâ opem tulerat: de quo sic Plinius. *Igitur inundatione id est vbertate regio fraudata,* (Ægyptus) *sic opem Cæsaris inuocauit vt solet amnem suum, nec longius illi aduersorum fuit spatium quam dum nunciat. Tam velox, Cæsar, potentia tua est tamque in omnia pariter intenta bonitas & accincta, vt tristius aliquid saculo tuo passis ad remedium salutemque sufficiat, vt scias* &c. In Panegyrico.

3. Triumphi supra memorati pag. 177. recordationem sibi gratam esse significant illi Græciæ populi qui tertium nummum cuderunt. Eos vel Syros vel Ægyptios ob nummi characteres fuisse suspicor.

1. Perinthiorum Fortunam refert primus nummus, qua fortassis frui se per Traianum asserebant. De iis dictum est in Domitiano pag. 163.

2. Nacrasa vrbs est Lydiæ cuius meminit Ptolomæus. Nummum Seueri subiiciemus, in quo Æsculapius stat, circum quem ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ. num eamdem vrbem indicent nummi dubito, potuit quidem N. subduci ob detrimentum.

Iulienſes & Laodicenſes nummum ſimul cudiſſe probat hæc 3.
inſcriptio. Id moris erat, Græcas ciuitates non ſeorſim tantum, ſed & coniunctim ſuos Imperatores in nummis venerari. Communitates tunc vocabant quæ frequenter leguntur in inſcriptionibus antiquis & nummis, hoc verbo ΟΜΟΝΟΙΑ. Placet etiam vni Laodiceæ nummum tribuere quæ Iulia dicta fuerit ob aliquod acceptum beneficium : ſic plures aliæ vrbes Iuliæ dictæ ſunt.

De Niçomedia abundè dictum eſt in Domitiano. pag. 164. Epi- 4.
graphe hic obſeruanda venit, Nicomedia enim ſe metropolim, & primariam Ponti & Bithyniæ in hoc nummo iactitat, cum Nicæa eumdem ſibi honorem vindicet, quare acris fuit inter has ciuitates contentio.

Tiberienſes hos eſſe ex temone & prora nauis ſuſpicor qui Gali- 5.
læam iuxta mare accolunt. Τιβεριὰς paſſim legitur in ſacris litteris. Tiberia quædam à Tiberio in Thracia conſtructa eſt.



Inuſitatus & inſolitus typus exhibetur à Byzantiis in primo nummo 1.
qui Traianum non tantum vt Imperatorem, verum etiam vt ſuum peculiarem magiſtratum venerabantur : id forte tot priuilegia à Plinio commemorata effecere : ſed cur galea criſtata ? Antiqui Au- Lib. X. Epiſt. ad diuersis locis.
tores id videntur explicaſſe fuſius, cum recens quidam Traianum M. Zverius Boxhornius de vita & moribus Traiani.
ſuum caput ornaſſe ſcribit non diademate, ſed galea : Heroem ſuum Byzantem interdum galeatum in nummis expreſſere Byzantii, cur eodem habitu Imp. Romanum non deſignarent? Goltz. in Græcia.

Vicini Chalcedonenſes ſecundum nummum cudere, grati erga 2.
Traianum animi ob ſua firmata auctaque priuilegia teſtificationem præbentes. Eos ab oraculo Pythio cæcos appellatos fuiſſe, tradit Tacitus, quod priores Byzantiis ad Boſphorum Thracium aduecti, minus prouiſa locorum vtilitate peiora elegiſſent, vbi vrbem conderent. Apollinem ſupra cæteros Deos venerabantur in eius honorem ædificauerant. Καὶ ἀφικόμενοι ἐς τὸ χαλκηδόνα ἐν ᾧ Ἀπόλλωνος ἱερῷ ὅπερ ἀρχαιότατόν ἐστι χαλκηδονίοις &c. Teſtantur plures nummi apud Goltzium, Deum lauro coronatum Apollinem ſcilicet & tripodem & lyram in Chalcedonenſium nummis referentes. Apollo rapitur ad cœlum Lucian. in dialog. Alexand.
cygno inſidens, de quo ſic Mart. Capella, *ſed ſcandente Phœbo muſa-* Lib. I.

rum

Muſarum pediſequus adhærensque comitatus candenti canoraque alite vehebatur. Cygnos currum Apollinis, cui ſacræ ſunt aues, vehere finxerunt Poetæ, fortaſſis ob harmoniam quam paulo ante obitum edunt. Cæterum ΧΑΛΚΙΔΟΝΙΩΝ paſſim apud autores legitur, in nummis vero vt apud Strabonem ſolum, ſemper ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ aut ΚΑΛΧΗΔΟΝΙΩΝ. Eumdem typum exhibet Triſtanus in Tranquillinæ nummo: Cygno pauonem ſubſtituit Strada in Plotina: eodem conſilio fortaſſis quo in conſecrationibus Imperatorum aquilæ ſemper occurrunt, Auguſtarum vero pauones

3. Dianam Epheſiorum & Ierapolitanorum referunt duo ſequentes nummi, de qua paſſim in ſuperioribus & præcipuè pag. 6.

4. Quintum nummum Mileſii condidere: de his vide Caligulæ nummum pag. 94. Inſcriptionem nobis eripit eroſio nummi in qua integrum ſupereſt φιλομήτορος nomen, quod mihi ad explicandum nummum non ſufficit.

1. De Tripolitanorum & Aradiorum coniunctione dictum eſt in Domitiani nummis pag. 165. quare Tripolim eam eſſe Syriæ certum eſt. Tripolitani autem Imperatorem ſibi ipſi trophæa ſtruentem maluerunt in auerſo nummo repræſentare quam eius caput, cuius loco ſuæ vrbis Genium exhibent, quod fermè huic nummo peculiare eſt.

2. Caſtorem & Pollucem exhibet alter nummus, quos ideo vrbes ferè omnes maritimas veneratas eſſe dictum eſt, quod hi ventos & æquora placare prædicabantur: de his dictum eſt pag. 7.

Equidem Traianum exhibent Phœnices, cum in Arabiam properaret. Tanta fuit illius Imperatoris virtus bellica, vt ipſi Alexandro comparari potuerit. mirum itaque non eſt, omnes

fere orbis populos illum in ſuis nummis celebraſſe. Hæc prouincia nomen videtur accepiſſe à palmis quibus ſola abundat, Græcis enim Φοίνιξ dicitur. Nummum in Antonini Pii honorem fabricauit in quo Palma cernitur retro ſtantem figuram quod ſuum eſt ſymbolum.

De Pergamo iam abunde dictum eſt pag. 53. in detrito nummo non ſatis licet proſpicere quænam ſint figuræ in templo, an Iouis an Æſculapii? vtrumque enim colebant Pergameni. Inſcriptionis pars prior quæ abolita eſt, fortaſſis dignitatibus Traiani ritè reſtitueretur, apparent enim veſtigia quædam quæ eas indicant, ſic ergo legerem ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ ΚΑΙCαρ. quæ ſi characteribus manifeſtis iungantur ſic ſonant. IMPERATOR CAESAR TRAIANVS PERGAMENORVM.

Plotina *ſanctiſſima fœmina*, vt loquitur Plinius, Traiani vxor fuit. Palatium aſcendens ex gradibus ad populum conuerſa, Talis, inquit, huc ingredior qualem me etiam egredi opto. Exactiones improbans, fiſcum lienem vocabat, quod eo creſcente reliqui artus contabeſcant. Hæc vna fortaſſis ex Principibus modeſtè & ſanctè in ſumma poteſtate ita ſe geſſit, vt de ea nullus iure conqueri potuerit. *Tibi vxor in decus & gloriam cedit*, inquit Plinius Traiano, *Quid enim illa ſanctius? quid antiquius? nonne ſi Pontifici maximo eligenda ſit coniux, aut hanc, aut ſimilem, vbi autem ſimilis, elegerit? &c. Eadem quam modica cultu? quam parca comitatu? quam ciuilis ingreſſu?* &c. Harum virtutum admiratores Perinthii nummum cudere, viri & vxoris facie inſignitum.

Lib. 9. epiſt. ad Roman.

Aur. Victor.

Xiphil.

In Panegyrico.

Eidem

Eidem officio non defuere Byzantii, qui pisces suos Plotinæ obtulerunt. Pelamydes esse & forma & Strabo, & Hesychius docent. Strabo *Est cornu Byzantio muro coniunctum, Sinus versus occidentem ad sexaginta stadia penetrans, similis cornui ceruino, quod in multos sinus quasi in ramos finditur, in quos incidens Pelamys facile capitur, cum ob copiam, tum ob vim fluctus intro compellentis & angustiam sinuum, ob quam etiam manibus potest comprehendi.* Εστι δὲ τὸ Κέρας &c. Hæc oraculum Apollinis explicant ab Hesychio Milesio commemoratum,

Ολβιοι οἱ κείνην ἱερὴν πόλιν οἰκήσουσιν
Ακτὴν Θρηικίην τ' ἐνύγρον παρά τε στόμα πόντου,
Ενθα δύο σκύλακες πολιὴν λάτίουσι θάλασσαν
Ἐνθ' ἰχθὺς ἔλαφός τε νομὸν βόσκονται ἐς αὐτόν.

hoc est, *Felices qui habitabunt sacram hanc vrbem littusque Thracium prope Ponti ostia, vbi lambunt mare duo canes, & in eodem pascuo ceruus piscisque vescuntur. Cydarus enim & Borbyses fluuioli hunc in locum defluunt.* Pelamys piscis etiam ceruus dicitur à loci figura cornu referente, in quem fluctuum violentia, delatus nutritur & saginatur. Byzantii Imperatorem optimum per optimam vxorem sibi demereri conabantur. Gillius de Bosphor. Thr.

De Amastrianis dictum est in Homeri nummis pag. 10. Eorum cum Plotina vllam legisse coniunctionem non memini: sufficit ad nummi dilucidationem omnes imperio Romano parentes populos Traiano blanditos esse quem sibi interdum per optimam vxorem deuincire conati sunt.

Filius Traiani per adoptionem fuit Hadrianus, idque Plotinæ artibus: Vir erat procerus ſtatura, forma comptus, promiſſa barba quam primus Imperatorum nutriuit, vt vulnera quæ in facie erant, naturalia tegeret, flexo ad pectinem capillo. Memoriæ & omnis pæne artificii incredibilis, ingenii lucidi & laſciui, & ad oſtentationem ſui inſolentis. Princeps alioquin humaniſſimus. Bellum nullum mouit ſed mota compoſuit: nullius bona pro iniuria proſcripſit. Priuatis debitoribus in vrbe & Italia in prouinciis etiam ex reliquiis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro Diui Traiani quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis. Ob ſanguinis effuſionem contabuit & in hydropem incidit. Moribundus exclamauit Πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν. Vixit annos LXII. imperauit XX. ſepultus eſt ad Pontem Ælium in ſepulchro à ſe condito, quod & Moles Hadriani dicitur nunc verò Caſtrum Sancti Angeli.

HADRIANVS AVGVSTVS. *Caput Hadriani. Auerſi typi infra explicantur.*

Superbiſſima hæc ſunt monumenta rerum ab Hadriano geſtarum variis in regionibus. Nullus unquam Imperator tantis deditus ſtudiis aut felicius peregrinatus eſt, aut magnificentius populos ditauit. Singulæ quas peragrabat prouinciæ ſuum erga Principem beneficentiſſimum amorem in nummis omnis generis & modi ſignabant. De his quæ in ære mediocri occurrunt breuiter nobis dicendum.

1. Primus quidem alter & tertius Mauretaniam indicat. Hanc
2. inter & Imperatorem ſtat ara quam hæc ſua patera aſpergit, Princi-
3. pis libans ſaluti & ADVENTVI. Eius vota benigne audit Imperator, ſuoque habitu gratum ſibi eſſe hoc ſacrificium teſtatur. Cum hæc prouincia velociſſimis equis ſit fecundiſſima, hos ideo nummis Spartian. inſculpſit. *Luſium Quietum ſublatis gentibus Mauris quas regebat, quia ſuſpectus imperio fuerat, exarmauit Hadrianus, Martio Turbone Iudæis compreſſis ad deprimendum tumultum Mauretaniæ deſtinato. Germanis Regem conſtituit, motus Maurorum compreſſit & a Senatu ſupplicationes emeruit* &c. In quorum fortaſſis facinorum memoriam hi nummi fuere ſignati.

Ægyptos

Ægyptus cubat in quarto nummo ſiſtrum dextra tenens, ſiniſtra calatho floribus pleno innixa. Ibis ſacra eius auis iuxta pedes veluti obſequens ſtat in baſi: quæ omnia & fertilitatem Ægypti, vt in triumvirorum nummo dictum eſt, & religionem, indicant. Siſtrum crepitaculum æneum quo Aegyptii ſacerdotes in Iſidis ſacris vti ſolent ἀπὸ τοῦ σείειν hoc eſt à quatiendo, propterea quod concuſſum, argutum ſonorumque ederet tinnitum, 4.

Virgil. VIII. Æneid.

Patrio vocat agmina ſiſtro.
Quid nos ſacra iuuant, quid nunc Ægyptia proſunt
Siſtra?

Ouid. 3. Amor. Plin. lib. X. c. XXVIII.

Inuocant & Aegyptii Ibes ſuas contra ſerpentum, aduentum, vt Elei Myiagron Deum muſcarum multitudine peſtilentiam adferente, quæ protinus intereunt qua litatum eſt illi die. Hadrianus per Iudæam in Aegyptum tranſiuit vbi Pompeio parentauit, carmenque hoc addidit, dum diſiectum monumentum inſtaurauit, &c.

Dio

Alexandria in quinto ſpicas habet adiunctas fertilitati indicandæ: Aegyptus enim, cuius caput eſt, & Siciliam & Italiam & Græciam, totasque pene maris mediterranei accolas ſuis nutrit meſſibus. 5.

Nilum qualem demonſtrat Philoſtratus, ſextus nummus exhibet: ſenex decora facie, cornucopiæ ſiniſtra tenens, Ægyptum alluendi ditandique impreſſam ſibi vim denotat. Crocodilus veluti blandiens adſtat. Nilum in itinere ſuo Hadrianus nauigauit. 6.

In ſeptimo, Africa elephantis ornata proboſcide ſcorpionem vt ſolet & copiæ cornu tenet. Calathus ad pedes floribus & fructibus refertus eſt. Africæ monſtra fertilitatemque eius hæc indicant. 7.

Claudian.

Tunc ſpicis & dente comas illuſtris eburno
Et calido rubicunda die ſic Africa fatur.

Cappadociam miles refert in octauo nummo vexillum ſiniſtra tenens, Deam putat Ant. Auguſtinus. 8.

In Dialog.

Dacia ſub habitu militis in rupe ſedentis dextra aquilam legionariam, ſiniſtra palmam tenentis ideo in ſequenti nummo ſignata eſt, quod Hadrianus & pugnæ & victoriæ Dacicæ fuerit particeps. Poſt quæſturam acta Senatus curauit, atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius proſequutus eſt. Secunda expeditione Dacica, Traianus eum primæ legioni Mineruiæ præpoſuit, ſecumque duxit, quandoquidem multa egregia eius facta claruerant: quorum memoriam renouat eius figura, quæ exſtat in columna Traiana, & hæc inſcriptio antiqua. 9.

Æl. Spart.

IMP. CAES. DIVI NERVAE TRAIANO HADRIANO
PONT. MAX. COS. III. PP.
CVIVS VIRTVTE DACIA IMPERIO ADDITA FELIX EST.

10. Hiſpaniam decumbentem cui ſuum nomen dederat non deſerit cuniculus, hic enim apud Hebræos dicitur שפן Saphan, vnde Σπανία à Græcis & Phœnicicibus quaſi *cuniculoſa* Hiſpania dicta eſt. Meminit Medicinæ Princeps Galenus his verbis: *Non igitur opus erit amplius pluribus exſequi animalia omnia quæ apud ſingulas gentes propriè naſcuntur, cuius generis eſt animalculum in Iberia, quod lepori ſimile eſt, cuniculum vocant.* M. Varro autor eſt *à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum.* Hiſpaniæ cuniculos appellat fœcunditatis innumeræ, famemque Balearibus ſingulis populatis meſſibus afferentes. Certum eſt Balearicos aduerſus prouentum eorum auxilium militare à D. Auguſto petiſſe. In Ebuſo cuniculi, non ſunt, ſcatent in Hiſpania, Balearibusque. Cuniculoſam Hiſpaniam nominat Catullus, *Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.* Oliuæ ramus non tantum pacem prouinciæ demonſtrat, ſed & abundantiam illius ſtirpis in Hiſpania, vnde Claudianus,

Bochart de animal. ſacr. ſcript. l. III. c. XXXIII

Lib. III. de alim. facult. cap. 1.

Plin. l. VIII. c. XXIX.

Plin. l. VIII. cap. LV.

Plin. lib. 8. cap. 51.

— — *Flauis dum prima Mineruæ*
Nexa caput foliis, fuluaque intexta micantem
Veſte Tagum, tales profert Hiſpania voces.

Lib. II & laud. Stilic.

11. Britannia quam ante Iulium Cæſarem non nouerant aut neglexerunt Romani, eorum armis tandem ceſſit, quorum Duces ideo dicti ſunt Britannici. Sub Hadriano Britanni teneri ſub ditione Romana non poterant, ergo conuerſis regio more militibus Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per LXXX. millia paſſuum primus duxit qui barbaros Romanosque diuideret. Cui expeditioni adiungendus venit alter nummus maioris modi, in quo EXERCITVS BRITANNICVS per Imperatorem & milites deſignatur, alterque Imperatori dicatus RESTITVTORI BRITANNIÆ. Haſta clypeus prouinciæ arma demonſtrat.

Strabo.

12. Roma denique gratulatur ſuo Principi quem omnium prouinciarum, populorum, urbium nouerat benefactorem. Pluribus modis pingitur. Hunc habitum militis dextra Palladium, ſiniſtra haſtam puram tenentis conuenientiorem arbitror, nomenque Græcum explicans. ΡΩΜΗ enim robur ſonat: vt dictum eſt ex Solino, pag. 19.

Solinus.

HADRIANVS AVGVSTVS Cos. III. P. P. *Caput Hadriani. Auersi typi infra explicantur.*

QUod de nullo vnquam Principe dictum fuerat, de Hadriano in nummis ſcriptum eſt. Reſtituit nempe prouincias ferè ſingulas imperii Romani; & interdum orbis terrarum ſuam in nummis demonſtrat reſtitutionem.

Hiſpania quam peragrauerat ſuam in duobus primis refert teſ- 1.
ſeram per oliuæ Ramum & cuniculum vtrumque à copia, ſupra ex- 2.
plicatum. *Poſt hæc Hiſpanias petit*, inquit Spartianus, *& Tarra-*
In vita Hadriani. *cone hyemauit, vbi ſumptu ſuo ædem Auguſti reſtituit. Omnibus Hiſpanis Tarraconem in conuentum vocatis, delectumque ioculariter vt verba ipſa ponit Marius Maximus, detrectantibus Italicis vehementiſſimè, cæteris prudenter & cautè conſuluit.*

Reſtitutæ Africæ in tertio nummo exſtat monumentum. *Inde* 3.
Ibidem. *Romam venit*, inquit idem Spartianus, *atque ex ea in Africam transiit, ac multum beneficiorum prouinciis Africanis tribuit.* Fortaſſis quod eſſet ipſe Africanus, aut quod eius in Africam aduentus pluuia celebratus fuerit, cum ſuperioris quinquennii ſiccitate Afrorum agri ſqualllerent.

Idem. ib. Achaïam eodem habitu ſuà manu ſubleuat Imperator. *Is* 4.
poſtquam per Aſiam & inſulas ad Achaïam nauigauit, & Eleuſinia ſacra exemplo Herculis Philippique ſuſcepit, multa in Athenienſes contulit & pro agonotheta reſedit. Et in Achaia quidem etiam illud obſeruatum ferunt, quod cum in ſacris multi cultros haberent, cum
Pauſanias lib. V. *Hadriano nullus armatus ingreſſus eſt.* Beneficiorum Imperatoris Hadriani erga prouinciam teſtis ſit eius ſtatua è marmore Pario, quam in templo Iouis, Achæi collocari iuſſerunt. Nummum illu-
In Tacit. lib. I. ſtrat Lipſius, Achaïam pro tota Græcia deſignatam eſſe tradens tempore Hadriani, de quo ſic Pauſanias, *Hic tum de omnibus nationibus Imperio Romano ſubditis, tum de Græcis optimè meritus.*

1. De colonia Corintho iam dictum in Iulio, pag. 81. & Augusto pag. 41. quod hic reponere superfluum. Grata Corinthus Hadriano suis nummis rependit honores eius magnificentiæ debitos. *Is balnea Corinthiis aliaque sua impensa exædificauit*, vt ait Pausanias. Λουτρὰ δὲ ἔστι μὲν πολλαχοῦ Κορινθίοις καὶ ἄλλα τὰ μὲν ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τὸ δὲ Βασιλέως Ἀδριανοῦ κατασκευάσαντος. Paulo post, Κρῆναι δὲ πολλαὶ &c. hoc est, *Aquæductus multi in diuersis vrbis regionibus (luculenta enim Corinthiis perennium aquarum copia suppeditat) & is quem ducta è Stemphylo aqua erigendum curauit Hadrianus.* In agro Stymphaliorum fons est è quo Hadrianus aquam Corinthiis intra mœnia deduxit. Alibi etiam Ἀναθήματα δὲ τὰ ἄξια &c. hoc est, *Dona quidem digna quæ historiæ mandentur, in eo templo sunt, pauo ex auro & fulgidis lapidibus, quem dedicauit Hadrianus Imperator.* Quæ omnia Hadriani beneuolentiam erga Corinthum testantur. Inter tot Corinthi templa, quale sit illud in primo nummo signatum non facile est con-
2. iicere. De Bellerophonte satis in superioribus.
3. Quid tertius nummus exhibeat præter Dianam venatricem docebit alter integrior.

Lib. 2. c. 46

Pausanias lib. 8. in Arcad.

Pausanias lib. 2. cap. 59.

1. Colonia Ælia Hadriana Augusta in veteri inscriptione & fortassis in nummo legitur: ea est Zama regia Iubæ in Africa.

Et Zama & vberior Rutulorum sanguine Tapsus. Sillius lib. 3.

Iuxta quam Africanus maior Annibalem insigni clade affecit, inquit T. Liuius. Iuppiter sedens in medio templo dispositis hinc inde stantibus figuris, quid significet, mihi obscurum est. Duarum quidem statuarum meminit Pausanias, his verbis, *Ibidem Iupiter stat cognomento Eleutherius, & Imperator Hadrianus, vir cum de aliis*

L. 10. bel. Punic.

Lib. 1.

quibus imperabat gentibus, tum de Athenienſibus optimè meritus, apud quos Iouis Olympii ædem & aram ſibi dedicauit. Probabilius tamen eſt COLONIAM AELIAM CAPITOLIAM in nummo indicari, quæ caput erat Iudææ, Hieroſolyma dicta. Cum enim Iudæi ſeditionem in toto orbe excitaſſent Traiani & Hadriani temporibus, ab hoc per Martium Turbonem compreſſi fuere: Hadrianus poſtea illam inſtaurauit, quam inde Ælium à ſe nuncupauit, Capitolinam à Ioue Capitolino ibi conſecrato.

Spartian. in Hadriano.

Dio.

2. De COLONIA BERYTHO abunde dictum in Auguſto pag. 39. Hoc monimentum Hadriano vt aliis benefactoribus conſecrauit hæc ciuitas ob aliquod peculiare beneficium quod innuere videtur lex 1. §. Sed & Ber. Dig. de Cenſibus, *Sed & Berytenſis colonia in eadem prouincia, Auguſti beneficiis gratioſa*, & vt D. Hadrianus in quadam oratione ait, *Auguſtana colonia quæ ius Italicum habet.*

3. Quamuis Pella alia ſit in Achaia, alia in Cœleſyria & in Theſſalia; coniectura tamen eſt COLONIAM IVLIAM AVGVSTAM PELLAM Macedoniæ vrbem, Philippi Græciæ domitoris, & Alexandri Magni natalibus celebrem in hoc nummo ſignatam eſſe, de qua ſic Iuuenalis,

Pomp. Mela Lib. 2. cap. 3.

Sat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Lib. 16. Lib. 4. c. 10. Lib. 42. 44. & 45.

Hanc Strabo Macedoniæ *metropolim*, Plinius *coloniam* nominat; *veteremque Macedonum regiam* T. Liuius, cuius ſitum abunde explicat in ſequentibus.

4. Cæſarearum numerus obſtat huius nummi explicationi. Multas enim peragrauit Hadrianus, ſed quæ ex his nummum cuderit, in quo figura turrita caput dextra tenens, captiuum dextro pede calcat, ignoro. niſi fortè Romam ipſam barbarico opere deſignet. characteres ſic interpretor Colonia FLAVIA CAESAREA quæ vrbs eſt Palæſtinæ, quam etiam hodie Cæſaream nuncupant. De hac fuſius in Antonini nummo dicetur.



Solebant Orientales ſingulis annis noua munera Imperatoribus offerre, ſuosque Deos aut fructus aut rarum quid aliud illis conſecrare: id refert hæc tabula, quæ Ægyptiorum præcipuè & Græ-
1. corum vota in nummis refert. Primus quidem Canopum repræſentat, de quo in Othone abunde dictum eſt pag. 135.
2. Alter calathum fructibus & floribus plenum, indicandæ nempe horum fœcunditati: vterque anno primo imperii Hadriani cuſus eſt.
3. Tertius annum quartum deſignat, cum ſerpente giris multiplicibus. caduceus retro & ſpica coram eſt appoſita innuendæ videlicet vbicunque paci & vbertati. Serpens imperii apud Aegyptios ſymbolum vtramque tueri videtur.
4. Quartus capite Iouis ſignatus eſt anno nono; alicuius fortaſſis templi in eius honorem extructi ab Hadriano, græca quædam ciuitas monumentum poſuit.
5. In quinto Serapis ſtat, de quo vide nummos Titi pag. 153.
6. Cur tigris in ſexto nummo ſit ſignatus, aut à qua Græciæ ciuitate anno vndecimo, ignoro; niſi forte ob aliquod inter venandum faci-

nus, quo potiſſimum delectabatur Hadrianus, vt de leone quem propria manu interemiſſe paſſim legitur apud autores, aut propter Bacchi cultum.

Caput Solis ſeu Orientis eodem anno percuſſum, diuinitatis ſymbolum erat apud antiquos, cuius Græci Hadrianum participem prædicabant. 7.

Quid ſignificet figura in ſequenti nummo expreſſa non facile eſt coniicere, paludata enim eſt quæ calatho ſuo capiti impoſito Serapidem mentitur: Auiculam, ni fallor, dextra tenet, ſiniſtra haſtam, illam doctioribus diſcutiendam relinquo. 8.

Ceres ſtat in duobus ſequentibus cum tace & ſpicis quæ Imperatorem etiam venerari videtur: hanc populi Hadriano obiicie- 9.
bant, pro tot erga eos collatis beneficiis, & præcipuè frumenti 10.
copia.

Victoriam aliquam Hadriani celebrat vndecimus nummus, 11.
corona & palma, vt ſolet, ornatam: inſcripti characteres annum ſextum & decimum denotant, vt in ſequenti, Iſide Orum nutriente 12.
inſculpto: τῆς ἀθανασίας φάρμακον *immortalitatis pharmacum* illa ſuo
Bibli. Hiſt. lib. I. lacte præbet, vt ait Diodorus Siculus; unde τιτθὸν nutrix dicebatur: retro præfericulum eſt appoſitum innuendæ aquæ cui omnia ſuam debent originem, maximèque in Ægypto.

Decimus tertius ſedentem exhibet Serapidem. 13.

Decimus quartus Iſidem ſiſtrum dextra gerentem exprimit, de 14
qua vide nummum Græcum Titi pag. 153.

Decimus quintus Serapidem ſedentem. 15.

Decimus ſextus anno decimo ſeptimo ſignatus turrim exhibet 16.
ſuper quâ turricula cernitur: hanc vidi ab Antiquariis peritis referri ad Alexandrinum Pharum nauigatoribus pervtilem; quod ſi ita ſit perrarum numiſma & elegantiſſimum arbitror.

Solin. cap. XLV. Apis bellua diuina Ægyptiorum in decimo ſeptimo cernitur, 17.
Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur, Apin vocant, &c. inquit
Hiſt. nat. lib. VIII. Plinius; de eo plura dicta ſunt in ſuperioribus.
cap. XLVI. Sequens Nilum repræſentat cubantem cum cornucopiæ & 18.
& ramo, cui crocodilus pro more blanditur.

Decimus nonus anno vigeſimo ſecundo percuſſus Deam Pro- 19.
Cicero de nat. Deor. uidentiam ſtantem exhibet, hæc vt anus fatidica interdum pingebatur, quæ mundum & mundi partes adminiſtrare tradebatur vt optima & frugi materfamilias.

Poſtremus denique nummus quo anno fuerit ſignatus non 20.
liquet propter duplicem K. K. Ara cum ſolitis ornamentis veluti Deo ſuo iuſta perſoluere parata cernitur.

Duplex priori tabellæ adhiberi poteſt nummus, vterque Ægyptiacus. Prior Canopo eſt inſignitus, de quo in Othonis nummo dictum eſt pag. 135. Harpocrates in altero ſcalptus eſt: eum deſcribit Plutarchus *non puerum fuiſſe ſed Deum, iuuenilis adhuc imperfectæ & inarticulatæ orationis præſidem ac moderatorem: ex quo digito ori admoto illum effingebant, vt pote ſilentii & taciturnitatis ſymbolum.*

Quique premit vocem digitoque ſilentia ſuadet. Ouid. met.

Proboſcis qua ornatus eſt Africam deſignat in qua primùm & ſummopere colebatur.



Coronam refert hic nummulus in qua littera A Antinoum procul dubio ſignificat, à quo corona hæc dicta eſt Antinoia ab Athenæo deſcripta. Ex Loto parari iuſſit Hadrianus Alexandriæ in honorem ſui Antinoi, de quo ſuo loco dicetur. Illam poëta Pancrates natam eſſe fabulatur ex ſanguine leonis quem ſua manu Hadrianus occiderat, cuius colore Lotus purpurea intelligitur, atque hæc ἀντινοιαστικὼς vocatur στέφανωμα: huius coronæ meminit Gruterus; quatuor pinxit, in vnuſcuiusque medio nomen ſcripſit, quarum vna ἀντινόϛα inſcribitur. Eius etiam meminit Tertullianus, his verbis: *Nunquid & agoniſticæ cauſæ diſputabantur quas ſtatim tituli ſui damnant, & ſacras & funebres ſcilicet, hoc enim ſupereſt vt Olympius Iupiter & Nemæus Hercules & miſellus Archemorus & Antinous infelix in Chriſtiano coronentur, vt ipſe ſpectaculum fiat.* Lib. 15. Pag. 317.

Sub Bacchi habitu exprimitur Antinous, cuius imaginem gratiſſimam fore Hadriano arbitrabantur Philadelphenſes qui Syriam 1.
Lib.5.cap.18. cauam incolunt: hanc enim indicat perrarus nummus, quam *fertilem* Plinius nuncupauit. Rem accuratè deſignat Pauſanias cum *ſe*
In Aread. *plurimas Bacchi ſtatuas vidiſſe aſſerit quarum* τραγόμαις *impoſitum erat Antinoi caput*. Thyrſus quo coronatur, tygridis pedes ad Bacchum pertinent.

Petra vrbs præcipua Arabiæ inde dictæ Petreæ hunc nummum 2.
Hadriano dicauit quem potentiſſimum Imperatorem nouerat. Mulier in rupe ſedens ſitum non tantum prouinciæ ſed vrbis denotat,
Lib. 6, c. 28. quam Plinius *circumdatam montibus inacceſsis amne interfluente* ſcri-
Ibid. bit: *Arabes mitratos eſſe aut intonſo crine*, ſcribit Plinius, quare mitram capiti muliebri impoſitam eſſe dicunt. Nummus tamen quem integerrimum habeo turrim denotat quemadmodum Genii vrbium ſignari ſolent.

Vicini Gazeenſes tertium nummum in honorem Hadriani cude- 3.
re, in quo Pax & Abundantia videntur iunctis manibus innuere imperii tranquillitatem.

Quarundam Ciuitatum Græcarum vota exponit hæc tabella. 1.
Delphi liberum oppidum Phocidis in Achaia ſub Parnaſſo monte
Plin. lib. 4. cap. 3. *clariſsimum in terris oraculo Apollinis* in primo nummo exprimitur. Vmbilicus terræ dicitur τῆς γῆς ὀμφαλὸς ſuum Deum per lyram ſignificat rupi impoſitum.

Strabo. Elea Ἠλεία Peloponneſi regiuncula Cauconia etiam dicta eſt 2.
iuxta Arcadiam. Aquila roſtro coronam gerens frequenter in nummis occurrit, quæ Imperatorem veluti coronare videtur, ad id

à Ioue

à Ioue mandata, cuius fulguri insistit. Eleos autem à Ioue suam deducere originem per Protogeniam Deucalionis filiam, narrat Pausanias. Lib. 5. in Æliacis.

3. De Antiochia abundè dictum in nummis Vespasiani, & Titi.

4. In quarto nummo Imperator sedens nauigio moderatur: FELICITATEM fortassis indicat, quam pari fere typo describit alter nummus latinis characteribus inscriptus.

ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ . . . . . Cilbianorum. *Hygieia & Æsculapius stantes.* ΠΕΡΓΑμηνων ΕΠΙΚΕΦΑΛΙΩΝΟΣ. Pergamenorum sub Cephalione; *Telesphorus.*

ΦΛΑβιας CAMOσατης ΜΗΤΡΟπολεως ΚΟΜαγλωνης. *in corona.*

ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ ΗΚΣ. Sidoniæ Deæ. *Currus.*

1. Cilbiani campi & Cilbiani populi à Plinio memorantur. Cilbium olim sub conuentu nunc archiepiscopatu Ephesino in Lydia ad Caystrum Fluuium, cygnæum dictum à cygnorum copia. Cilbium in libris conciliorum *Valentinianopolis* nominatur. Alterius populi nummo inscripti nomen desideratur: erosi characteres coniecturæ locum vix faciunt. De Æsculapio & Hygeia passim. Lib. 5. c. 29. Strabo. Propertius.

2. Telesphorus, qui in secundo nummo scalptus est, vt Deus à Pergamenis cultus fuit, ex oraculo sic nuncupatus: non desunt qui Telesphorum vatem interpretentur perfectum aut ἐνγαστρίμυθον, id est, ventriloquum. Lingonicum bardocucullum nominat Martialis eiusmodi vestem à capite ad genua deuolutam. Pausanias lib. 2. Lib. 14. Epig. 128.

3. Flauiam Samosatam metropolim Comagenes lego in tertio nummo, quæ exciſa, deinde reparata, *Scempſat* hodie vocatur ad Euphratem. Patria fuit Luciani qui sub Traiano vixit: De ea sic Plinius: *In Comagenes vrbe Samosatis ſtagnum eſt, emittens limum maltham vocant flagrantem.* Comagene quæ interdum duplici M M scribitur in Syria est propè Armeniam maiorem & Adiabenem, non procul ab Euphrate. Flauia dicta est à Flauio Vespasiano qui *Tracheam Ciliciam & Comagenem ditionis regiæ vſque ad id tempus in prouinciæ formam redegit*, inquit Suetonius. Hiſt. nat. lib. 2. c. 104. In Vespaſ. lib. 8.

4. Sidon cuius symbolum in quarto nummo est, vrbs est Phœniciæ maritima, cui Venus Astartes nomine dominabatur, ideoque

Lib. 5. c. 19. Sidonia Dea in nummis dicta est. *Sidon artifex vitri Thebarumque Bœotiarum parens*, inquit Plinius, *Ex massis vitrum rursus*
Id. lib. 1. cap. 26. *funditur in officinis, tingiturque: & aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cœlatur, Sidone quondam iis officinis nobili, siquidem etiam specula excogitauerat.* Hunc currum fuisse Cybeles omnes autumant Antiquarii.

ΑΔΡΙΑΝΟΝ ΚΑΙC ΑΡΑ ΘΕCCΑΛΟΙ. Hadrianum Cæsarem Thessali. *Caput Hadriani.* . . . . . NIKOMAXOY Nicomachi, *Pallas gradiens.*

Hadrianum suum Cæsarem Tessali celebrant in hoc nummo, sed quo consilio Palladem armatam cum iaculo & clypeo cuderint, non satis constat; vt nec quis fuerit ille Nicomachus cuius nomen inscriptum est. Thessaliam vicinam esse prouinciam Macedoniæ, fertilissimum solum, nemo non nouit.

ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. Flauiensium Chalcidensium, *in corona.*

Lib. c. 12. Nullam memini Chalcidem Flauiæ nomen habuisse, nec constat quænam ex tot eius nominis in hoc nummo sit signata. Alia enim in Eubœa quæ & Oechalia, teste Plinio, Athenien sium colo-
Lib. 5. c. 26. nia *Negroponte* nunc dicitur, verbum fecit chalcidissare, quod fœdos puerorum amores exprobrat. Alia in Ætolia; alia vltra Pal-
Lib. 17. c. 4. myræ solitudines. *Chalcia etiam Rhodiorum insula locum habet in tantum fœcundum vt suo tempore satum demetant hordeum, sublatumque protinus ferant, & cum aliis frugibus metant.* Idem Plinius
Lib. 5. c. 23. Chalcidem memorat cognominatam ad Belum unde regio Chalcidene fertilissima Syriæ. Quæ nam hunc nummum cuderit in Hadriani gratiam, difficile est affirmare, præsertim cum hæ omnes Græcè scripserint.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙϹΑΡ ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. Imperator Cæsar Traianus Hadrianus Augustus. *Caput Hadriani.* ΑΔΡΙΑΝ .... ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. Hadrianea metropolis. *Mulier in rupe sedet, sinistra trophæum gerens.*

Hadrianopolim suspicor, non licet enim erosi nummi postremos characteres legere: sed quænam sit ex septendecim eodem nomine donatis, non facile est interpretari: *multas ciuitates Adrianopoles* appellauit Hadrianus *vt ipsam Carthaginem, & Athenarum partem*, inquit Spartianus. Duæ tamen notissimæ Hadrianopoles dictæ sunt nec alio nomine cognitæ, cum reliquæ sub prioribus nominibus remanserint: prima est in Cyrenaïca quæ Hadrianopolis in vetusta Peutingerorum tabula appellatur; altera in Thracia 24. millibus passuum distans à Plotinopoli. In Hadriano.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. Lacedæmoniorum. *Castor & Pollux equites.*

Lacedæmones Castorem scilicet & Pollucem repræsentat hic nummus. Spartiatæ antiqua Dioscurorum ἀφιδρύματα hoc est simulachra dedicata δόνακα vocabant illisque templum dedicauerant. Fuerunt Castores etiam interdum in equis albis sedentes effecti, quales apud Sagram Locrensium in notissimo prouerbio celebrati: historia est notissima Ciceroni, Val. Maximo, Quintiliano. Sed & Phormioni Lacedæmonio eorum ædes possidenti, à quo cum partem ædium non accepissent, in qua eius filia virgo custodiebatur abiisse ferunt, ac postridiè nec puellam inuentam nec comites. Amyclæi præterea fratres nuncupati sunt ab Amyclis notissimo Laconiæ oppido, vbi nutriti dicuntur. Differunt ab Amyclæis de Plut. περὶ φιλαδελφίας. Solin. c. XII. Gregor. Gyrald. Pausanias in l. com. & Messen.

Erasmus. Seruius Æneid. l. 10. quibus exstat adagium *Amiclas perdidit silentium*. Plura vide in superioribus pag. 17. dum Senatus nummos expositimus. Meminit Pausanias Dioscurorum templi perantiqui in quo ipsi iuuenes equis insidentes spectantur. Nonne id cum nummo congruit? Stellas ipsis semper appositas commemorat Horatius, *sic fratres Helenæ lucida sydera*. Apuleius refert eos cassides in capite gestare stellarum apicibus insignes. L. X. meta.



ΑΥΤ. ΚΑΙCΑΡ. ΑΔΡΙΑΝΟC CEB. *Caput Hadriani.* ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ ΓΟΡΤΥC Communitas Cretensium, Gortys. *Mulier equo insidens.*

Communitas Cretensium in honorem Hadriani suam contulit symbolam: nec prouinciæ tantum, sed & vrbis nomen, quod rarum est, nummo inscriptum est. Gortys seu Gortyna vrbs est Cretæ mediterranea olim clarissima, de qua dictum est in Germanici nummo pag. 85. An nummus equestrem Mineruam repræsentat, dubito. Ei pleræque aræ in Græcia extructæ erant, teste Pausania, cur nummis etiam eadem non celebraretur? Plin. l. 4. cap. 12. In Atticis. lib. 1.



ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΗΚΥ. Tripolitanorum. *Genius vrbis capite turrito dextra tridentem tenens, pede proram calcans.*

Quæ sit illa Tripolis quam designat nummus, non facile est coniicere: videtur tamen vnam esse ex duabus aut quæ in Phœnicia aut quæ Leptis magna dicebatur apud Syrtim paruam. Vtrique, cum sint maritimæ, conuenit prora nauis pede calcata figuræ stantis quæ suo capite turrito vrbem denotat. hanc autem esse probat alter nummus maioris moduli eadem insignitus inscriptione, in quo Hadrianus eques leonem hasta configit, quod Lepti patratum fuisse describit Athenæus. cuius memoria etiam supersit in marmore antiquo.

AYT. KAIC. TP. AΔPIANOC CEB. *Caput Hadriani.* KOINON BEIΘYNIAC Communitas Bithyniæ. *Templum.*

Bithyniam ſupra omnes prouincias diligebat Hadrianus. Antinoum ſuum non ſatis laudaſſet, niſi etiam eius patriam ſummis cumulaſſet beneficiis. Hæc Principi gratulabunda in ære mediocri & magno nummum cudit, in quo templum eius memoriæ dicatum à communitatibus Bithyniæ conſecratum cernitur: id fortaſſis locus Dionis exponit: *Seuerum dein debellatis Iudæis in Bithyniam miſit Hadrianus, non quidem ad bellum, ſed indigebat prouincia Præſide & gubernatore iſto ſapienti, & qui in dignitate fuiſſet, authoritatemque haberet, quæ omnia in eo inerant. Hic res Bithynicorum tam priuatè quam publicè ita diſpoſuit & correxit, vt nos omnes Bithyni in hanc vſque diem ſemper eius memoriam magni faciamus.* In Hadriano

AYT. K. TP. AΔPIANOC CEB. *Caput Hadriani.* TIBEPIEΩN Tiberienſium: *Templum in quo Iupiter.*

Vrbem in Thracia ſuo nomine conſtruxit Tiberius Imperator: quæ cur templum & Iouem in eo ſedentem Hadriano obtulerit, non ſatis ſcio, niſi forte templum referat quod Ioui Olympio dedicauit Hadrianus, in quo ſignum, quod magnitudine cum Romanis & Rhodienſibus coloſſis conferri poſſit, poſuit: de quo Pauſanias, qui, plurima de Hadriano diligentiſſimè ſcripſit eorum præſertim quæ ad ſigna antiqua pertinent. obſeruandum venit, illum non AYTOKPATOPA *Imperatorem ſed* BACIAEA *Regem* perpetuò nominaſſe; cuius non aliam ſuſpicor rationem niſi apud Græcos parem fuiſſe nominis rationem cum Romani vnum extollerent, alterum contumelioſum haberent, quare Auguſtus illum recuſauerat. In Atticis, Lib. 1.



Imperatoris Hadriani & Sabinæ coniugis effigies coniunxit antiquitas indicandæ eorum concordiæ. Quid detritus nummus ſua vetuſtate Curioſis omnibus eripiat, coniiciat lector ex Pallade Tritonem calcante, cuius & inſcriptionem & typum omnium fortaſſis pulcherrimum ſuſpicor. Alter quidem ab Hadrianopolitanis in eorumdem honorem cuſus eſt, de quibus ſupra dictum eſt pag. 203. Victoria coronam dextra, ſiniſtra palmam gerens eis fortaſſis gratulatur.



Easdem exhibet facies Hadriani & Sabinæ iſte nummulus: ſed à quibus fuerit cuſus docebit integrior: Ceres ex frugibus dignoſcitur, quæ aliquam poteſt ſuppeditare coniecturam.



Triplicem qui in nummis Sabinæ cernitur capitis ornatum hic habes: flexi capilli & veluti diademate cincti, aut coronati, aut ſurſum elati, inconſtantiam morum eius ævi in ornamentorum frequenti mutatione exhibent. Quod priſcæ ruſticitatis indicium poſterioris

posterioris & delicatioris æui mollitie antiquatum fuerat, id Hadrianus in ornamentum vertisse videtur: primus enim barbam alere instituit. Huius exemplum quod ad capillitium attinet sic æmulatæ mulieres eiusdem ætatis videntur vt longo interuallo superauerint: exemplum in Plotina, Marciana, Matidia, Sabina cernitur: nam superiori ætate tam delicatus & subtilis capillorum cultus tam contorti & compositi cincinni etiam ornatissimis mulieribus non occurrit. Sabina ex sorore Marciana neptis & Matidiæ soror, Hadriano Imperatori vxor fuit. Hanc vt asperam & morosam & quod cum Victor. Claro præfecto prætorii & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro familiarius quam reuerentia domus aulicæ postulabat, egerat, dimissurus erat, si priuatus fuisset. Seruilibus pene iniuriis affecta ad voluntariam mortem compulsa est, nec sine fabula veneni dati ab Hadriano expirauit. Palam autem testata est quam immane ingenium Hadriani pertulisset & se studiosè conatam ne ex eo in perniciem generis humani grauida fieret. Frequentes tamen sunt nummi illius PVDICITIAM & CONCORDIAM cum marito referentes & ipsum quoque Hadrianum. Vnum subiecimus in quo arbor est conspicua infra quam puer delphino incumbit: Corinthi percussum esse inscriptio docet, quæ tangere videtur historiam Delphini, pueri cuiusdam amatoris. ea legitur apud Pausaniam.

De Phocæensibus dictum est pag. 6. vt & de pileis stellatis Castorem & Pollucem indicantibus. De Smyrnæis quoque & Melete fluuio in nummo Homeri pag. 9. De Perinthiis pag. 163. Dea cum canistro capiti impositio Isidem refert, & eatenus ab Ægyptiis aut vicinis cusum esse quartum nummum verisimile est: sed quid illi cum Sabina præter summam erga eius virum reuerentiam, non satis scio. Multoties iam diximus id vnam esse adulandi formulam quam Græci præcipuè vsurpabant.

Antinous Claudiopoli Bithyniæ ortus, eximiæ pulchritudinis puer ab Hadriano in deliciis habitus, cui ſtatuas per vniuerſum terrarum orbem atque etiam effigies erexit, templum apud Mantineam conſtituit, *quinquennale ludicrum inſtituit*, multaque numiſmata in honorem eius procudit. Antinoum ſuum dum per Nilum nauigat, perdidit, inquit Spartianus, quem muliebriter fleuit, de quo varia fama eſt, aliis eum deuotum pro Hadriano aſſerentibus, alii quod & forma eius oſtentat & nimia voluptas Hadriani, & Græci quidem volente Hadriano eum conſecrauerunt, oracula per eum dari aſſerentes. Eius exſtat Romæ antiquum hoc monumentum.

Pauſanias lib. 8. In Hadriano.

ΑΝΤΙΝΟΩ
ϹΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ ΠΡΟΦΙΤΗϹ

De cuius interpretatione vide commentarios Caſauboni & Salmaſii in Spartianum.

Primus nummus à Sardianis cuſus eſt Aſiæ propriæ populo in Lydia. Saturnus filium voraturus quo conſilio ſcalptus ſit non eſt facile coniicere: Quid ſi Iuppiter Bacchum è femore recens extractum geſtans, Antinoi enim ſub habitu Bacchi multæ colebantur imagines teſte Pauſania, his verbis, Αι δ' Αντινόου εἰσὶν αἱ πολλαὶ Διονύσῳ μάλιστα εἰκασμέναι.

Lib. 8. In Arcadicis

Antinoum equo impoſitum refert alter quem Heroem deſignauerant Hadrianus & Hadriano adulantes: inſcriptus eſt in nummo ille titulus. Flos capiti impoſitus indicat Antinoum iamiam Deum fuiſſe renuntiatum ab Hadriano, quem ideo ſub ſtellæ ſpecie venerabatur. Caduceus quodammodo ad Mercurii ſimilitudinem reuocatur. 2.

Nicomedia quæ Bithyniæ fuit metropolis, Antinoo ex Bithynia orto ſuam offert teſſeram, ſeu potius Hadriano qui eum in deliciis habuerat. Bouem in nummo duplici modo interpretantur Antiquarii: coniiciunt bouis ſtatuam in Antinoi honorem erectam fuiſſe, quod ſub Polemone factum eſſe probat elegantiſſimus is quem poſſideo nummus maximi moduli, in quo circum bouem CMYPNAIOIC ΠΟΛΕΜΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ. *Smyrnæis Polemon poſuit.* Autumant alii bouem in Antinoi nummis repræſentatum in eius honorem mactatum fuiſſe, quamuis aut Principum aut populorum nomine tantum immolabatur, idque Ioui ſoli aut Auguſto. Quæ omnia ſummam tunc fuiſſe Antinoi famam indicant. Addendum cenſeo quod Strabo docet *paſcua Bithyniæ fuiſſe fertiliſſima*, quod quidem per bouem etiam ſignificatur. Gemmam antiquam poſſidet Amicus quidam meus in qua Antinoi nomen & vrna & ſerpens conſpiciuntur, quæ illius cum Nicomedia coniunctionem probant & illius originem referuntur vt dictum eſt pag. 164. Lunam & ſtellas appoſitas ad Talismannos & aliquid magicum referunt. Inveſtigent qui has res curant.



Lib. 1.



AELIVS vir fuit comptus, decorus, pulchritudinis regiæ, oris venerandi, eloquentiæ celſioris, verſu facilis, in Republica non inutilis, vitæ lætiſſimæ bonisque litteris præditus. Ab Hadriano adoptatus eſt, ſed cum illum minus ſanum videret ſæpiſſimè dictauit, in caducum parietem nos inclinauimus & perdidimus quater millies H-S. quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Hic autem præ valetudine nec gratias quidem in Senatu agere potuit Hadriano de adoptione: Denique accepto largius antidoto, ingraueſcente valetudine per ſomnum periit, ipſis calendis Ianuariis. Sepultus eſt in mole Hadriani cum hoc epitaphio.

Spart. in Hadrian.

L. AELIO CAESARI
DIVI HADRIANI AVG. F. COS. II.

Hadrianus ergo, inquit Spartianus, *adoptauit Ceionium Commodum Verum inuitis omnibus, eumque Ælium Verum Cæsarem appellauit. Ob cuius adoptionem ludos circenſes dedit & donatiuum populo ac militibus expendit, quem prætura honorauit ac ſtatim Pannoniis impoſuit, decreto conſulatu cum ſumptibus, eundem Commodum ſecundum Conſulem deſignauit* &c. *ſtatimque Prætor factus & Pannoniis dux ac rector impoſitus, mox Conſul creatus. Nec prouinciæ quidem cui præpoſitus erat defuit, nam bene geſtis rebus vel potius felicter, etſi non ſummi medii tamen ducis obtinuit famam.* Hæc fortaſſis Spem & Fortunam in nummo Ælii coniunxere, quo vtramque ſibi inuicem ſucceſſiſſe ſignificatur. In Hadr. In Ælio



Aelius Hadrianus Antoninus, poſt mortem L. Ælii, ab Hadriano fuit adoptatus, ea lege vt ſibi adoptaret M. Antoninum fratris vxoris ſuæ filium, & is L. Verum L. Ælii filium, quod
Iul. Capitol. factum eſt. Vir forma conſpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu & placidus, ſingularis eloquentiæ, nitidæ litteraturæ, præcipuè ſobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, ab alieno abſtinens, & omnia hæc cum mediocritate & ſine iactantia. Illud encomium ab Hadriano tulit, quod nihil temere propter iuuentutem, nihil negligenter propter ſenectutem poſſet
Oros. lib. 7. cap. 14. facere. Adeo tranquillè & ſanctè rempublicam gubernauit vt meritò Pius & pater patriæ nominatus ſit. *Hunc Romani Pium cognomine appellarunt, quod vnus omnium religionum ſtudioſiſſimus fuerit,*
Lib. 8 inquit Pauſanias. Senex obiit, fuitque ei mors dulciſſima ſimilis ſomno iucundiſſimo. Regnauit annos XXIV. vixit LXXIV.

Æquissimum Imperatorem sub habitu Genii exprimit S. P. Q. R. illumque tanquam sui tutelarem Deum veneratur. Hic Senatus Genius vt in argenteo nummo Genius Populi Romani nuncupatur. Mos ille ad inferiora etiam tempora viguit, Diocletianum enim, Maximianum, Licinium aliosque Principes referunt nummi cum inscriptione GENII CÆSARIS. Imperatores enim suos inter se & Deos Romani collocabant, quibus etiam interdum viuentibus diuinos tribuebant honores: sic Numam suum possent Genium dicere, inquit Dio Chrysostomus, οὕτω ὁ καὶ τὴν Νομᾶν μὲν Ρωμαῖοι τυχόν ἀνλέγοιεν αὐτῷ δαίμονα; vnde fortassis Antoninum in cunctis laudabilem scribit Capitolinus, merito Numæ Pompilio ex bonorum sententia comparandum, cuius felicitatem potestatemque & securitatem ceremoniasque semper obtinuit. Quo sensu Dio Chrysost. optimos Imperatores Genios nominabat, eodem prorsus κακοδαίμονα Domitianum nuncupat. Hanc etiam inscriptionem GENII SENATVS referre possemus ad gratiarum actionem propter legem ab Antonino latam, qua Senatores totam suam hereditatem legare poterant, cuius dimidium Caligulæ lex Imperatoribus addixerat. Hæc exstat inscriptio Romæ in via Ostiensi.

Orat. XXV.

Nicephor. l. III. c. XXXI.

Suet. c. 38.

Gruter. p. MLXXXV.

GENIO AC MAIESTATI
IMP. ANTONINI PII FELIC. AVGVST.
M. AVRELIVS AVRELIANVS DEVOTISSIMVS
NVMINI EIVS



Primordia Romæ hæc attingunt, quæ Romani ad Antonium veluti eiusdem restitutorem referunt. Illi enim Æneæ pietatem, Martis fortitudinem, altricis lupæ fatum, Numæ religionem Tiberisque quietem tribuebant.

Lib. 1. Primi nummi typum eleganter exprimit Dionysius Halicar- 1.
nasseus his verbis: Aeneas vero & socii paratis omnibus ad sacrificium coronati consistunt circum altaria. Interea dum hi vota faciunt, porca destinata ad victimam, grauida tum & vicina partui, parantibus eam mactare sacrificis, proripit se excussis vinculis petens mediterranea. Sensit Æneas hanc profecto quadrupedem designasse oraculum, eamque cum paucis mox subsequitur à tergo paulo remotior, veritus ne strepitu territam à via fatali auerteret. Illa ferme viginti & quatuor stadiis à mari digressa in collem quemdam procurrit, ibique sessa quieuit. At Aeneas qui animaduertebat finem oraculi, videns se agrum & terram habere non bonam & procul abesse à mari, eoque importuoso, incertus erat animi vtrum deberet parere vatum monitis, & male per omnem vitam habitare in bonarum rerum inopia, an longius meliorem terram quærere. Hæc agitanti & incusanti numina, repente vox quædam è nemore accidisse dicitur, incerto autore edita, iubens maneret ibi & celeriter oppidum conderet, neue præsenti hæsitationi indulgens, quasi agrum habiturus ad degendam vitam parum commodum, breui post venturam felicitatem pateretur elabi è manibus: esse enim in fatis vt ex hoc inopi & modico profecti domicilio tandem multos ac bonos agros acquirant, eorum vero liberi & posteri sibi parent imperium longe amplissimum & pluribus duraturum sæculis: in præsentiarum Troianos debere contentos esse his sedibus; post totidem annos quot sus porcellos peperit, fore vt illius posteri condant aliam vrbem magnam & florentem opibus. Tum vero Æneam ratum diuinam esse vocem imperata fecisse, Lauiniumque condidisse, Romanæ gentis in Italia imperiique Romani fundamentum. Ficum Ruminalem ramos extendentem idem ostendit nummus, de qua sic Ouidius,

Lib. 2 Fast.
Dion. Halyc. lib. 1.

Arbor erat, remanent vestigia, quæque vocatur
Romula, nunc ficus, rumina ficus erat.

Secundum nummum sic explicat Liuius, pulso Numi- 2.
tore fratre Amulius regnat; addit sceleri scelus: stirpem fra-

tris virilem interimit : fratris filiæ Rheæ Siluiæ per ſpeciem honoris, quum Veſtalem eam legiſſet, perpetua virginitate ſpem partus adimit. Sed debebatur, vt opinor, fatis tantæ origo vrbis, maximique ſecundum Deorum opes imperii principium. Vi compreſſa Veſtalis, quum geminum partum edidiſſet, ſeu ita rata ſeu quia Deus autor culpæ honeſtior erat, Martem incertæ ſtirpis patrem nuncupat. Mos erat antiquis omnia ſua ad Deos referre: ſuæ gentis autorem Martem Romani in nummo ſignauere quem ad comprimendam Rheam quaſi è cœlo deſcendiſſe finxerunt.

Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupita,
Et ſua diuina furta fefellit ope.
Somnus abit: iacet ipſa grauis: iam ſcilicet intra
Viſcera Romanæ conditor vrbis erat, &c.

Ouid. lib. 3 Faſtor.

3. Tertius nummus expoſitos exhibet geminos fratres Romulum & Remum ad quorum puerilem vagitum fama eſt lupam ſitientem ex montibus qui circa ſunt curſum flexiſſe: eam ſummiſſas infantibus adeo mitem præbuiſſe mammas, vt lingua lambentem pueros magiſter regii pecoris inuenerit. T. Liuius lib. 1.

4. Anciliorum hiſtoriam quorum figuram quartus nummus exhibet ſic ſcribit Plutarchus: Annum iam octauum regnante Numa, morbus peſtifer Italiam occupans, Romam quoque inuaſerat. Mœrentibus verò cunctis traditur peltam æneam è cœlo delapſam, in Numæ manus decidiſſe. De ea autem mirabilia quædam ferunt Regem ex Ægeria Muſisque audiuiſſe. Peltam enim in vrbis ſalutem miſſam, oportereque eam aſſeruari, aliis vndecim ad illius figuram magnitudinemque & formam effictis, quo minus ob ſimilitudinem, cœleſtis illa inueniri poſſit, &c. His igitur teſtimonium attuliſſe dicunt peſtem ipſam, quæ continuò ceſſauerit. Peltam autem ex eius autoritate atque imperio effingere artifices cum certaſſent, differentibus deſperantibuſque cæteris, Veturium Mamurium ex ſummis vnum opificibus vſque adeo ſimilitudinem effinxiſſe, ſtruxiſſeque omnes ſimiles, vt neque Numa iam ipſe dignoſceret. Harum autem cuſtodes ac miniſtros conſtituiſſe dicitur Salios ſacerdotes, &c. Eas autem peltas Ancilia propter figuram vocant. Circulus enim non eſt, neque veluti pelta circumferentiam reddit, ſed exciſuram habet lineæ helicoidis, cuius apices curuaturam habentes, & denſitate in ſe conuerſæ figuram recuruam faciunt, aut propter ancona, id eſt cubitum ad quem circunferuntur. In vita Numæ.

5. Tiberis iacet in quinto nummo ſolemni fluminum more. Illum fortaſſis Antonino dicauit S. P. Q. R. ob expurgatum alueum aut ripam reparatam, aut potius ob pacatum fluuii Genium eius temporibus, *Illis enim fuit & inundatio Tiberis*, inquit Capitolinus. In Antonino.

Tantus

Tantus autem erat Antonini erga Romam Romanosque fauor, vt Pallantienſes Arcades quod eorum maiores ad Tiberim Coloniam olim miſerant, ſummis affecerit beneficiis. *vrbem ex pago fecit, incolis libertatem & à tributis immunitatem dedit.*

Pauſan. in Arcad. l. 8.

Cum primùm Antoninus ad imperium euectus eſt, hanc ſuæ adoptionis teſſeram hoc numino publicauit, quo ſe Auguſtum palam faceret, idque Hadriani autoritate. *Hic enim mortuo Ælio, ingruente triſtiſſima valetudine adoptauit Antoninum, ea demùm lege vt ille ſibi duos adoptaret, Verum & M. Aurelium, qui poſtea duo pariter Auguſti primi Rempublicam gubernauerunt:* hæc Spartianus. *Adoptatus eſt quinto Kalendas Martias in Senatu gratias agens, quod de ſe ita ſenſiſſet Hadrianus, factusque eſt patri & in imperio proconſulari & in tribunicia poteſtate collega.*

In vita Hadriani.

Capitol. in Anton.

Edita munera in quibus elephantos & crocutas & crocodilos etiam 1. *atque hippopotamos & omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit Antoninus*, inquit Capitolinus. Hinc elephas & tigris 2. MVNIFICENTIAM Auguſti deſignant, hinc variæ LIBERALITA- 3. TES quæ in ſequentibus nummis videntur, celebrantur. *Congia- 4. rium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ promiſerat, & ad opera Hadriani plurimum contulit, & aurum coronarium quod adoptionis ſuæ cauſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium prouincialibus reddidit. Vini, olei, & tritici penuriam per ærarii ſui damna emendo & gratis populo dando ſedauit*, vnde inſcriptiones antiquæ,

In vita Antonini.

Capitol.

CVRATOR ANNONÆ CIVILIS
DIVI ANTONINI.

Quoniam congiarii in hoc opere frequens eſt mentio, non erit inutile pauca de eo differere. Nomen habet à congio menſura rerum liquidarum vt eſt modius ſolidarum, vnde congiarium commune nomen eſt liberalitatis atque menſuræ: ſed ſemper aut oleum aut pecunia aut granum in eo diſtribuebatur & hoc frequentiſſimè. Triplicis iſtius liberalitatis formulæ plures exſtant in antiquis libris. Quintilian. Ædilitia largitio hæc fuit, inquit Liuius, Ludi Romani pro temporis illius copiis magnificè facti, & diem vnum inſtaurati, & congii olei in vicos ſingulos dati. Lib. XXXV. Auguſtus congiaria populo frequenter dedit, ſed diuerſæ ferme ſummæ, modo quadragenos, modo tricenos, nonnunquam ducenos, quinquagenosque nummos. Ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis non niſi ab vndecimo ætatis anno accipere conſueuiſſent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus, ſæpè leuiſſimo, interdum nullo precio viritim admenſus eſt, teſſerasque nummarias duplicauit. Suetonius Aug. c. XLI.

5. Quintus nummus reſtitutionem indicat templi in honorem Auguſti, cuius tamen in libris nullum legi veſtigium. Nonne potius ad Hadriani templum refertur, ſic enim Capitolinus, *Opera eius* In Anton. Antonini *hæc exſtant, Roma templum Hadriani, honori patris dicatum* &c.



1. Non minus bello quam pace clarum fuiſſe Antoninum hi nummi demonſtrant. Victoria quæ in primo legitur eius eſſe comitem perpetuam demonſtrat, quamuis nullius omninò belli gerendi Romanis voluntarius autor fuerit.

2. *Brigantibus qui in Britannia ſunt, quod Genuinos P. R. ſocios armis laceſſiuerant, magnam agri partem ademit. Per legatos ſuos plurima bella geſſit, nam & Britannos per Lollium Vrbicum Legatum vicit, alio muro ceſpititio ſubmotis barbaris ducto,* inquit Capitolinus. Pauſanias in Arcad. lib. 8. In Antonino.

3. Hinc lugens cernitur in nummo Britannia rupibus inſidens armis circum diſpoſitis. hinc Victoria gradiens clypeum tenet in quo Britannia legitur, Imperatori nimirum victori ſeruiens.

4. Sicilia quæ in ſequenti nummo legitur, nihil opinor ſignificat præter inſulæ erga Antoninum reuerentiam: ille enim tanta diligentia ſubiectos ſibi populos rexit, vt omnia & omnes quaſi ſua eſſent curaret. Prouinciæ ſub eo cunctæ floruerunt. Coronam

quam præfert Sicilia, veluti imponendam Imperatoris capiti cernere eſt. Spicæ quibus decoratur, fertilitatem eius indicant, Italiæ & Hiſpaniæ nutriculam.

Titulum inſolitum quintus nummus exhibet. Pio Principi ſe ſ. OBSEQVENTEM in omnibus profitetur Fortuna: temo & prora nauis ſuperiores victorias, legionumque felicem reditum videtur denotare. Cæterum obſeruanda eſt hæc quæ in nummo cernitur ὀρθογραφία OPSEQVENS pro OBSEQVENS legitur, pro huius æui ſcribendi more. hunc teſtantur antiquæ inſcriptiones, quarum vna Comi legitur in ſacello D. Mariæ Milatinæ,

Gruter. inſcript. pag. LXXV.

FORTVNÆ OPSEQVENTI &c.

Mira meo iudicio exhibet hic nummus. Innuendæ temporum felicitati quatuor hic ſunt appoſiti pueri, ſecurè viuentes ſuam quique anni partem deſignantes. Primus quidem calathum capite ſuſtinet fructibus & floribus plenum: alter falcem quaſi fruges ſecaturus videtur: ſequens racemos ſiniſtrâ tenens cum cane venatico ludere videtur: poſtremus denique veſtitus eſt quô ſe à frigore tutet. Quid ingenioſius deſcribendis tempeſtatibus? Ver ſiquidem florum parens dictus eſt, vt æſtas frugum. Venationibus opportunum eſſe autumnum nemo non nouit. Veſtes denique ita hyemem denotant vt abſque foco clariùs demonſtrari non queat.

l. 8. Digeſt. de Cenſibus. §. Diuus.

Quod arſerat Antiochenſe oppidum tempore Antonini, vt narrat Capitolinus, reſtitutum & auctum ab eodem docet Paulus IC. his verbis: *Diuus Antoninus Antiochenſes colonos fecit ſaluis tributis*; quod inſcriptionem nummi explicat. Typus vero ſtantem Lunum exhibet: vt Venus interdum Maſcula & Barbata dicebatur, ſic anti

Hymno. 8.

quos Lunam & Lunum dixiſſe certum eſt: ἄρσεν τε καὶ ἄρρεν, *fœmina & mas* ab Orpheo nominatur. Sciendum doctiſſimis, inquit Spartianus,

quibuſque id memoriæ traditum vt qui Lunam fœmineo genere & nomine putaret nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſeruiret; qui vero marem Deum eſſe crederet, is dominaretur vxori, neque vllas muliebres pateretur inſidias. Hinc licet Græci vel Ægyptii eo genere quo fœminam hominem, etiam Lunam Deum dicebant, myſticè tamen Deam intelligebant. Irridens Paganorum Deos Tertullianus, maſculi Lunæ meminit. Certe cornua veluti Lunæ creſcentis pone humeros, huius Dei ſigna ſunt. *Latonæ gallum gallinaceum in deliciis fuiſſe*, ait Ælianus, *quod ei parturienti affuerit, & quod etiam nunc parturientibus adſit, eisque faciles partus efficiat:* Dianæ eius filiæ eundem fortaſſis hac de cauſa appoſuerunt, quæ & Lunus dicebatur. Galerus qualem geſtant qui Meſopotamiam & Armeniam etiam nunc accolunt, indicat locum in quo Deus ille Lunus adorabatur. Superbum illi templum erexerant Carrheni Meſopotamiæ populi à quibus Antiochenſes vicini ſuam hanc religionem deduxere. *Ad Apollinis & Dianæ fanum Antiochenſes aliosque finitimos ad feſta celebranda de more conuenire* ſcribit Strabo. Diſſimulandum non eſt in hoc alioquin integerrimo nummo abundare litteram M. ſic enim ſcriptum eſt COL. CAES. ANTIOCHMENSIS, quæ fortaſſis error ſcalptoris eſt: Fortaſſis etiam Dei Luni nomen ſignificat; cum enim Luna à Græcis dicatur σελήνη, Strabo qui Luni mentionem fecit, non σελήνῃ nomine ſed MENIS vſus eſt, quod quodammodo inſcriptioni congruit. Videat lector num M aut S ex vtraque ſuſpicione redundans ad certius quid poſſit reuocari. Cœterum agit de Antiochia Piſidiæ Strabo, nummus vero Antiochiam Syriæ exhibet. Strabo lib. 16.

Galerum Armeniacum ei quo Deus Lunus in nummo inſignitus eſt ſimilem illuſtrant antiquæ lucernæ duæ varietate ſua inſignes, quarum vna apud me eſt, altera Neoſtadii in Sereniſs. Ducis Wirtembergici Friderici cimeliarchio: Vtramque incidi & hic apponi curaui.





Lib.5.c.15. COLONIAM PRIMAM FLAVIAM AVGVSTAM CAESARIENSEM lego quæ in Palæſtina olim Pyrgos vel Turris Stratonis à Ptolemæo, Apollonia à Plinio nuncupatur. Cæſarea ab Herode conditore dicta eſt, deinde colonia prima Flauia à Veſpaſiano Imperatore deſtructa.

Lib.15.c.10. Hanc quidem primùm non condiderat Herodes, ſed *lapide albo palatiisque pretioſiſsimis ornauerat*, inquit Ioſephus, Portum quoque tranquillum magnitudine ſimilem Pireæo tutaque confugia nauibus

l. 8. Dig. de Cenſibus §. Diuus. præbentem conſtituerat. *Diuus Veſpaſianus Cæſarienſes colonos fecit, non adiecto vt & Iuris Italici eſſent, ſed tributum his remiſit capitis, D. Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt.* Serapis modio capiti impoſito in auerſa parte expreſſus eſt. Hæc colonia Deos Ægyptios ſibi ob viciniam adſciuerat, qui iam per totum fere orbem terrarum erant recepti. De Serapide vide Titi nummum pag. 154.

Plin. lib. 5. cap. 14. COLONIA AELIA CAPITOLINA in altero nummo legitur quæ Hieroſolymam ſignificat. Longè clariſſimam vrbium Orientis, non Iudææ modo: hæc à Tito primum deſtructa, deinde ab Hadriano, ab eodem colonia facta eſt, dictaque AELIA. Mouerant ea tempeſtate Iudæi bellum, inquit Spartianus, quod vetabantur mutilare genitalia; abrogatum eſſe id Hadriani reſcriptum per Antoninum docet

l. en circumcid ff. ad legem Cornel. Modeſtinus, his verbis, Circumcidere Iudæis filios ſuos tantum reſcripto Diui Pii permittitur, in non eiuſdem religionis qui hoc fecerit, caſtrantis pœna irrogatur. Coniectura eſt Bacchum cum thyrſo, vrceolo & tygride expreſſum eſſe, de quo ſupra.

Troias à Troo Dardani nepote huius regionis rege primùm, deinde Antigonia ab Antigono, tandem Alexandria à Paride dicta est: quamuis has vicinas quidem sed diuersas faciat Strabo, ἔστι δ' ὁ τόπος ἐν τῇ Ἰδῃ τῇ τρωικῇ Ἀλεξάνδρεια λεγόμενος ἐν ᾧ φασὶ τὸν Πάριν ἐρίσαι περὶ κάλλους θεάς, hoc est, Locus est prope Idam in Troade nominatus Alexandria, in quo fertur Paridem iudicasse Deas. Lib. 12. Stephanus. Hanc Augustum fecisse coloniam, & Augustæ nomen sumpsisse facit Strabonis locus, qui eandem hanc gratiam Ilio collatam esse asserit. Plinius eam Coloniam Romanam nuncupat. Id probat lex VII. *Dig. de Censib.* his verbis, *Iuris Italici sunt* Τρωὰς Βήρυτος, Δυρραχίου, & lex VIII. eiusdem tituli. Aquila volitans caput bouis vnguibus tenet cuius historiam legisse non memini: scio equidem capita boum cum anteriore illorum parte templis appendi solita, cuius antiquum extat apud me huius magnitudinis exemplum. Lib. 5. c. 30.



ANTΩNINOC KAICAP *Caput Antonini* ΡΟΔΙΩΝ. Rhodiorum. *Caput ſolis.*

Aduerſa temporibus Antonini hæc prouenerunt : *Fames, circi ruina, terræ motus, quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt,* inquit Capitolinus, *quæ omnia mirificè inſtaurauit. Cum Lyciorum & Carum vrbes Coon etiam & Rhodum terræ vehemens motus euertiſſet, eas Antoninus infinitis prope ſumptibus & ſumma in coloniis deducendis diligentia reſtituit*, vt loquitur Pauſanias: cuius beneficii gratiarum actiones publicas & æternas Rhodii per hunc nummum inſtituiſſe videntur. Solis caput repræſentauerunt qui in eius honorem coloſſum erexerant altitudinis LXX. cubitorum, qui poſt LVI. annos euerſus eſt tempore Antiochi. DCCCLXXVII. ab hinc annis, Madias Saracenorum Dux hunc Judæo vendidit cuius fragmentis nongentos currus impleuit : huic fabricando æris talenta D. ferri CCC. impenſa fuere, vnde inter ſeptem orbis miracula numeratur. Ideo fortaſſis Solem vt Deum ſupremum venerantur, quod Rhodi nunquam tanta nubila obduci conſtet, vt non aliqua hora Sol cernatur. In anthologia græca vt omnium inſularum feliciſſima Rhodus celebratur, quæ tali Sole illuminatur.

In Antonino.

In Arcad. Lib. 8.

Philo Byz.

Plin. l. 2. cap. 62.

L. 4. c. 1.

μακαρτάτη ἐς ἅρα νήσων
Καὶ Ρόδος ἡ τοίῳ λάμπεται ἠελίῳ.

Olymp. 7.

Cur Solem Rhodii peculiariter coluerint, aperit Pindarus. Quo tempore Iupiter & cœteri Dii vniuerſum orbem inter ſe diuiderent, Rhodus ſub aquis tecta latebat, Sole autem abſente, curſumque ſuum conficiente, cum in diuiſione ab omnibus præterita eſſet, Iupiter re cognita voluit nouam diuiſionem inire, ſed ſol hoc recuſauit & Rhodum cœteris Diis occultam ſibi vero perſpectam elegit, quod à Ioue cœterisque Diis illi conceſſum fuit.

ZEugma trans Euphratem eſt imperii Romani vrbs finitima prope Parthiam.

Alter Achæmenium ſecludit Zeugmate Perſen. Pap. Stat. lib. 5.

Nomen habet à riparum Euphratis coniunctione, quam ponte prope Thapſacum ſtructo fecit Alexander Macedo, vnde Zeugma Pellæum dictum eſt, Strabo l. 16.

— — — — — nunc Parthia raptis
Excedat clauſtris vetitam per ſecula ripam Lucan l. 3. verſ. 237.
Zeugmaque Pellæum.

Aliud erat Zeugma eidem riparum iunctioni nomen ſuum debens. Pauſan. lib. 2. Bacchus enim Indias petens prope Comagenem, pontem fieri curauit vnde *Zeugma* LXXII. *millia paſſuum à Samoſatis tranſitu Euphratis nobile*, inquit Plinius. Coniicit Triſtanus templum illud Zeugmatenſe quod in vertice montis cernitur conſecratum eſſe a Veſpaſiano ſub Pacis latinæ titulo, cui etiam magnificentiſſimum Romæ dicauerat, de quo in eius nummis & apud authores paſſim. Lib. 5. Quod id autumet faciunt verſus Statii ad Domitianum,

Tu rapidum Euphratem, & regia Bactra, ſacrosque
Antiquæ Babylonis opes, & Zeugma latinæ
Pacis iter — — —

Religionis ergo peregrinari ſolebant Romani: inde tot inſtitutæ peregrinationes quarum vnam ad Latinæ Pacis templum fortaſſis Statius intelligit. Hunc morem ſeruauere poſteri, in hac enim regione celebres ſunt peregrinationum termini, Mecca, Medina, Damaſcus, Babylon, Hieroſolyma, &c. Quamuis potius hic locus intelligatur de præſidio Romanorum quod tutum iter viatoribus præſtabat.



ΑΥΤ. ΚΑΙ CΑΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Caput Antonini.* ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ, Abonotichitarum. *Pallas cum tygride, thyrſo & vrceolo.*

Ptolemæus. In Pſeudomante.

Ἄβώνȣ τεῖχος Aboni murus nunc *Bolli* dicitur, Paphlagoniæ in ora maris Euxini vrbs eſt. Eius meminit Lucianus ſcribens impoſtorem Alexandrum ab Imperatore Romano poſtulaſſe vt illa Ionopolis nominaretur. Pallas in nummo ſcalpta eſt ſub habitu Bacchi, thyrſum enim tenet ſiniſtra, carcheſium dextra, tigride iuxta pedes cubante, qualem pingit Seneca,

In Hippolito.

Et tu thyrſigera Liber ab India
Intonſa iuuenis perpetuum coma
Tigres pampinea cuſpide territans
Ac mitra cohibens cornigerum caput
Non vinces rigidas Hippoliti comas.

Cynegetic. verſu 78. Lib. 8. Epig. 26.

Bacchum à trigide educatum fuiſſe tradit Oppianus, quam ideo perpetuam ſibi aſciuit comitem, vnde Martialis,

Nam cum captiuos ageret ſub curribus Indos
Contentus gemina trigide Bachus erat.

Et alibi,

Lib. 14. Epig. 97.

Nos Satyrus nos Bacchus amat, nos ebria tigris
Perfuſos domini lambere docta pedes.

PArens Æſculapius & filia Hygeia in his nummis cernuntur. Serpens quem vterque præfert hæc in patera, ille circum baculum, prudentiam demonſtrat. Medicina enim eſt ars captandæ ad ſanandum occaſionis, quæ cum ſit velociſſima acutum & prudentem virum deſiderat. *Morborum malignitatem deſerunt ægrotantes ope Medici, vt ſuam veterem pellem ſerpentes,* inquit Theodoretus. Quamvis fabulatrix ars poetica hæc invenerit, ſuſpicio tamen eſt et Græcos & Aegyptios

Sermon. 7.

Ægyptios id didiciſſe ab Hebræis, neque enim ſacras litteras ignorabant, & in his legerant infidæ & ſeditioſæ Hebræorum genti plagas à Deo O.M. inflictas fuiſſe, ſeditionis vlciſcendæ cauſa, cuius remedium his verbis diuinus Æſculapius Moyſi præſcripſit, *Fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet; Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſsi aſpicerent, ſanabantur*: quæ myſticè crucem Chriſti ſaluatoris denotant. Ipſe Chriſtus Nicodemum docens dixit, *Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem, ita exaltari oportet filium hominis.* &c. Numer. [illegible] Euang. Ioannis cap. 3. v. 14

Vota facta fuiſſe à Pergamenis & Nicæenſibus pro Antonino dum ægrotaret non tantum hi nummi docent, verum & hæc inſcriptio in columna Meſſinæ inventa,

ΑϹΚΛΗΠΙΩ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ ϹΩΤΗΡΙϹΙΝ ΠΟΛΙΟΥΧΟΙϹ.	In auerſa parte.	ΑΙΛΙΩ ΑΔΡΙΑΝΩ ΑΝΤΩΝΕΙΝΩ ϹΕΒΑϹΤΩ ΕΥϹΕΒΕΙ Π. Π.

Hoc eſt, ÆSCVLAPIO ET HYGEIÆ SERVATORIBVS, VRBIS CVSTODIBVS, PRO ÆLIO HADRIANO ANTONINO PIO AVGVSTO PATRE PATRIÆ.

Epidauriâ cultus Æſculapii Pergamum traductus fuit; in quo Æſculapius officinam condiderat, Εν Περγάμῳ δὲ τὸ ἰατρεῖον ὁ Ασκλήπιος κατεςήσατο, inquit Lucianus. Acceptam à Pergamenis religionem deinde Smyrnæi templo conſecrauerunt, quod noſtra ætate, inquit Pauſanias, Æſculapii nomine ad mare eſt. Idem etiam meminit ædis AEſculapio & Hygeiæ dicatæ his verbis, Quæ vero opera Antoninus vir ſenatorius ætate noſtra fecit, hæc ſunt, AEſculapii balneæ &c. dicauit præterea ædem Hygeiæ, Æſculapio &c. Cumque Epidaurii fani accolæ ægerrimè ferrent quod & fæminæ ſub tecto non parerent, & ægri ſub dio animam agerent, Antoninus domo ædificata, incommodum remouit; fuit itaque in poſterum & ad moriendum ægris & ad pariendum mulieribus conſecratus religione locus. In Icaromenippo. Lib. 2. Corinth.

Νικαία πόλις Βιθυνίας βοττιαίων ἄποικος. ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον ἀγχώρη: εἶτα Αντιγόνεια. ὕςερον δὲ ἀπὸ τῆς Λυσιμάχου γυναικὸς Νίκαια, ἐκλήθη. Hoc eſt Nicæa vrbs Bithyniæ, vocabatur primum Anchore, deinde Antigonia, denique ab vxore Lyſimachi Nicæa. Stephan. de vrb. Strabo.



Iouis cognomen nos docet primus hic nummus. Iupiter inter- 1.
Elicius. dum Catæbatus dictus eſt, quod eſt Elicius, illum interpretatur
Ill. Triſtanus cum Libanio, fulminis deiectorem quemadmodum
Iceſius & Milichius hoc eſt bonus & fauens dicebatur: Καὶ μὴν καὶ
Ζεὺς οὐ καταιβάτης ἀλλὰ καὶ Ἱκέσιος καὶ Μειλίχιος &c. Giraldus rectius deſcen-
ſorem: Καταβαίνειν enim apud Græcos ſignificat deſcendere, vnde
καταιβασίαι dicuntur ſigna quæ cœlitus ad terram demiſſa ſunt. ſiue
propter amores potiundos ſiue propter fulmina ſæpiſſime Iupiter in
De fortun. vel virt. Alex. or. 2. terram deſcendiſſe dictus eſt. Huic explicationi fauet Plutarchi locus
his verbis; *Demetrius cui Alexandreæ potentiæ paruam fortuna porti-
unculam contulerat, paſſus eſt ſe Catæbatem, tanquam Deum qui in
In Æliacis, Lib. 5. terras deſcendiſſet, appellari* &c. Hunc ſub eo cognomine colebant
Athenienſes: eidem Sicyonii aram erexerant, vt refert Pauſanias, τοῦ
δὲ Καταιβάτου Διὸς περιβέβληταί μὲ πανταχόθεν περὶ τὸν βωμοῦ τραῦμα. De Cyre-
ſtenſibus dictum eſt in nummo Traiani pag. 184.

In Comment. pag. 41. Aper exhibetur in ſecundo pro quo leonem rugientem quidem 2.
& quaſi venatori infenſum deſcribit Triſtanus. Narrat Capitolinus
Plures imperatores venationi incubuiſſe præcipuè Antoninum.
Piſcando, inquit, *& venando oblectatus eſt.* Celebris alicuius vena-
tionis fortaſſis hoc eſt ſymbolum quod Epheſii venatricis Deæ clien-
tes Imperatori & poſteris dicauere.

De Nicomedia vide quæ dicta ſunt in Domitiani nummo & 3.
Traiani. Quis ſit ille Demetrius in tertio nummo ſignatus & quid
agat hæc figura non ſatis ſcio.

L. 3. c. 5. Teanum cognomine Sidicinum Campaniæ oppidum à Plinio 4.
Colonia Romana dicitur. Tianum apud Pompon. Melam legitur
in Apulia, quod Cicero & lapis antiquus inſcriptus Theanum
L. 3. c. XI. Apulum vocant, & Plinius Teanum Apulorum. Tyanam nomi-
L. 6. c. 3. nat idem Plinius Cappadociæ oppidum prope Euphratem. Sæpe au-
tem Tianum illud in numiſmatibus antiquis occurrit ſemper ſcri-
ptum per i. Optarem ſcire quid typus ſignificet ſiue ſit flos vt qui-
buſdam placet, ſiue fax, quod mihi.

Mons Argæus in hoc nummo exprimitur cuius ſimilitudinem in 5.
aliis nummis etiam cernimus. *Iuxta eum ſita erat Mazaca quæ
L. 6. c. 3. Strabo. nunc Cæſarea nominatur*, inquit Plinius. Sita eſt ad Argæum montem
omnium

omnium excelſiſſimum, cuiusque vertex nunquam ſine niue conſpicitur. Ea quoque tempeſtate, inquit Caſſiodorus, Cæſaream Cappadociæ maximam ac feliciſſimam ciuitatem ita vocari prohibuit Iulianus Imperator, eique appellationem antiquam Cæſaris abrogauit quam à Claudio Cæſare promeruerat. Solinus nummum propius attingit his verbis; *Qui Argæus mons niualibus iugis arduus, ne æſtiuo quidem torrente pruinis caret, quemque indigenæ populi habitari Deo credunt*, quapropter Ζεὺς πολιεύχος, Iupiter vrbis patronus cenſebatur. Inde religioſa quædam cognatio vrbis & montis: quorum monumentum in honorem Antonini nummus in æternum traducere conatur. Lib. 6. hiſt. tripart. c. 4. Niceph. lib. 10. c. 4. hiſt. Eccleſ.

1. Alter recurrit nummus priorem illuſtrans in quo TIANΩN ſcriptum eſt. Bacchi ſtatua videtur baſi impoſita, ex thyrſo, & vua racemi is dignoſcitur: Accumbunt duæ figuræ muliebres quas terram & aquam interpretor: illa cornucopiæ & flores, hæc arundines tenet: fortaſſis duos fluuios referunt, quod ex aliis nummis eodem fere typo ſignatis coniici poteſt. Detriti characteres in ſuperiori nummi parte egregium quid & fortaſſis eorum nomina nobis eripiunt, ſed certe nummus eſt inſignis & raritate & typo.
2. Eumdem typum Aſcalonitarum hic habes quam in Auguſti & Titi nummis: explicatus eſt pag. 46.
3. Adrianopolitani quales fuerint dictum eſt in Hadriano, pag. 203. de iis cum Antonino coniunctionem nullam ſcio.
4. Societatem vides Amiſi & Amaſtris: duæ ciuitates Galatiæ in Aſia minori & characteribus appoſitis & turritis capitibus dignoſcuntur. Hanc Coloniam Smyrnæorum fuiſſe dictum eſt in Homeri nummis pag. 9. illam ex bipenni Smyrnæorum ornamento Smyrnam quoque facilè iudicarem. Ara interpoſita non communitatem

tantum seu vt nummi solent OMONOIAN indicare videtur sed fœdus aliquod,cuius nihil me legisse memini.

Quintus nummus Dianam quidem Ephesiam polymammam 5.
exhibet,de qua supra diximus, sed populi qui nummum cudit nomen in nummo alioquin satis integro non legitur: coniectura est in Asia minore fabricatum esse,sed ΑΣΤΥΡΙΑΝ qualis scripta est assignare tuto non possum.

Flauia Samosate Comagenes Metropolis hic sacra & Asylus no- 6.
minatur, & suis vtens legibus, quod priscis temporibus summa erat vrbium dignitas. De ea dictum est in Hadriano pag. 201.



De monte Casio & Seleucia in Pieria Syriæ dictum est in Traiani 1.
nummis, pag. 181. Vt de Dea Syria Hierapolitanorum pag. 6. 2.

Nicæenses Solem in suo Antonini nummo cudi fecerunt qui 3.
illum veluti rerum omnium autorem venerabantur. Is mos etiam est Orientalibus populis, qui etiamnunc Solem adorant, omnium animalium conseruatorem & thesaurorum qui è terra eruuntur parentem.

Si epitheta vrbium in omnibus nummis & in quarto huius 4.
tabellæ occurrerent, nullus esset vbi frequens est dubitandi locus. Tanta enim est locorum eiusdem nominis diuersitas, ut ferè sit impossibile illum certò indicare, qui in nummis scriptus est. Nonnulli sunt tamen nummi qui omnem dubitationem eleuant. Sic nummus noster Hierapolim designat quæ ad Libanum sita est, in Phœnicia Cyrrestica regionis. Hodie vocatur *Alep*. Typus militem aut Imperatorem sub habitu Martis aut militis exhibet paludatum, scipione humeris appenso, signum militare dextra humi figentem quasi sedato bello tutam pacem Hieropolitanis promittentem,quam auidè cupiebant. Ptolom.

Iis vicina est Emessa vel Emisa quæ est in quinto nummo, à Stephano Ἐμίσων πόλις nominatur. Vrbs erat Syro-Phœniciæ ad Libanum. In Phœnicia quæ ad montem Libanum est, multæ quidem sunt aliæ ciuitates, sed *aliarum omnium præstantissima & ad partes boreales sita Emesa*, inquit Simeon Metaphr. Hanc Latii iure donatam, factamque fuisse coloniam à Caracalla autor est Vlpianus, *sed & Emisenæ ciuitati*, inquit, *Imperator noster ius coloniæ dedit, iurisque Italici fecit.* A Balista tandem euersa est,Quieto Macriani filio ibi necato. Emessam celebrem facit illustris Aureliani ad eam victoria, In vitis SS. MM. Galactionis & Epithemis. L. 1. ff. de Censib.

quam ſic deſcribit Trebellius Pollio: *Pugnatum eſt poſt hac de ſumma rerum contra Zenobiam & Zabam eius ſocium apud Emeſſam, magno certamine, fugata eſt Zenobia cum Zaba & plenißime parta victoria. Recepto igitur Orientis ſtatu, Emeſſam victor Aurelianus ingreſſus eſt, ac ſtatim ad templum Heliogabali tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus.* Aquila quæ in nummo globo impoſita eſt, roſtro coronam gerens, ſummam imperii Romani poteſtatem indicat. In Aureliano.

Omnes prouincias nummos cudiſſe in honorem Antonini veriſimile eſt, cum *eius temporibus cuncta floruerint*, vt ait Capitolinus. Specimina ſunto qui hic apponuntur. Delphin circa tridentem maris quietem demonſtrat, ſeu ſecuram commercii tranquillitatem. De Serapide dictum eſt pag. 154.

Serpens cum flore ſuper caput ſiue Deus ſit Ægyptius, ſiue ille ſit iubatus anguis, de quo idem Capitolinus ſcribit maiorem ſolitis qui ſe à cauda medium comedit in Arabia viſum, magnitudinem Antonini resque mirandas celebrat. Flos quidem ille Deum eſſe denotat, de quo alias. Aquila potentiam Iouis, vt Iuſtitia ſedens virtutes Imperatoris declarant: huius peculiariter meminit Herodianus, his verbis: *Quin etiam Indi, Bactri, Hircani, legatos miſere iuſtitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultu ſereno &c.* Vrbes quæ hos nummos percuſſere, ignorantur. In Antonin. Victor.

Iulienſes vna cum Laodicenſibus primum huius tabellæ nummum cudere: iuncti populi ſimilem in nummis erga ſuum Imperatorem reuerentiam profitebantur eamdem prius erga Traianum teſtati. Ex tot eiuſdem nominis vrbibus licet ex vicinia illas coniicere quæ in Cœle-Syria ſitæ ſunt. Caput turritum ſolemne vrbium ornamentum eſt. Iouem vbique terrarum adorari teſtantur nummi veteres, veteres ſtatuæ, & veterum religio.

Suidas Stephanus. Casaub. in Strabo l. 16. Eunapius in vita Iamblichi.

Illis vicina est Gadera vrbs Cæle-Syriæ, quæ & Antiochia & Seleucia dicitur frequenter occurrit in veterum libris. Gazara soli Straboni Gadara & Gazara, quamuis vna & eadem sit. Thermæ ibi sunt, post Baias Campaniæ totius imperii Romani optimæ. Palladis caput in nummo cernitur sed quo consilio mihi est ignotum. 3.

Liberalitatem Antonini celebrat quartus nummus, quam in aliqua vrbe Græca factam fuisse verisimile est. 4.

Aquila rostro coronam gerens, orbi insistens, summum Antonini imperium testatur. 5.

Moca oppidum est Arabiæ Petrææ, cuius mentionem facit Ptolemæus. Epitheta in numismate adiecta indicant eam sacram fuisse, asylum, & suis legibus vtentem, quorum nullum vestigium apud antiquos reperi. An ad aliquid aliud referrentur, sed certè Moka cæterique characteres in nummo obseruantur. Templum et Dea in templo quid commune habeant cum Antonino fateor me nescire. Hanc Fortunam esse ex temone & copiæ cornu satis declaratur.

Sequens nummus Communitatem indicat Iulienſium & Laodicenſium, capite turrito designatam sicuti in nummo supra scalpto pag. 229.

Tertium nummum sic interpretarer, Publius Ælivs Dionysivs Laodicensivm Prætor hac laurea Antoninum donauit. Coniecturam tamen ex veterum lectione non firmo.

Hanc canopi egregiam repræsentationem prætermittere non possum quam Antonino suis in nummis dicauerunt Ægyptii. Egregius ille Deus qualis fuerit satis exponunt Veteres. Excerpsimus quæ ad rem nostram faciunt, dum Othonis nummum supra explicauimus pag. 135.

Faustina Annii Veri filia fuit, soror Aelii Cæsaris: nupsit Antonino ante adeptum per Hadriani adeptionem imperium. De ea multa dicta sunt ob nimiam libertatem & viuendi facilitatem, quæ vir cum animi dolore compressit, inquit Capitolinus. Illam tamen à senatu Augustam appellari permisit. Tertio anno imperii sui illam perdidit quæ à senatu consecrata est, dedicatis Circensibus atque templo & flaminicis & statuis aureis atque argenteis, cum etiam ipse hoc concesserit, vt imago eius cunctis Circensibus poneretur. Eius ætatem docet hæc inscriptio quæ Romæ exstat, In Antonin.

MEMORIÆ
DIVÆ FAVSTINÆ AVG.
PIÆQ. CLARISSIMÆQ.
RELICTA MATRE INFELICISSIMA
VIXIT ANN. XXXVI. MENS. III. DIEB. XI.

Gruter. pag. 261.

Quod in Faustinæ nummo caput Antonini signatum sit rarissimum nummum efficit: cùm enim viri & vxoris capita occurrunt in eodem nummo & eorum potestatem summam & concordiam indicant, pretiumque plurimùm adaugent.

Sunt hæc monumenta honorum Faustinæ delatorum. Elephanti in vno nummo, leones in altero currui iuncti sunt AETERNITATEM indicantes. Faustina cum inter Diuos relata est, æterna habita est. Elephas autem ideo æternitatem designare videtur quod nullum aliud animal homine viuacius est. Leones matris Deûm currui iunctos esse palam est. Testatur nummus Iuliæ Domnæ ex argento quem hic apponi curaui. Faustinam autem Aurelii

Aristoteles.

matrem veluti alteram Cybelem Deûm matrem à Romanis existimatam fuisse verisimile est. Notabile est quod Lampridius scribit de Elagabalo, *Iunxit sibi & leones Matrem magnam se appellans, iunxit & tygres Liberum sese vocans.* Alter Augustam repræsentat à Pauone ad cœlos delatam. quemadmodum enim aquilæ à Ioue in terras demissæ fingebantur quæ Imperatorum animas inter Deos deferret, sic Iunonis auium idem officium erga Augustas commissum erat, quod ex aliis nummis etiam patet, vt Paulinæ & Marinianæ.

In Eliogab.

Ludorum Pythiorum in honorem Apollinis frequens est apud veteres mentio, præcipuè apud Pausaniam: sed quid illi cum Faustina, certe non video. Huic quidem inter consecrationis notas circenses ludi delati sunt. Ara quidem, corona, vrceus, simpulum & pullus ludos, sacrificia & auguratum denotant, quæ omnia Apollini conueniunt. Vrbis nomen quæ nummum cudit nulli characteres declarant.

In vita Anton.

Rarissimus hic nummus Deam Faustinam celebrat, & eius filium Marcum Annium Galerium Antoninum, cuius in nullo alio monumento, aut effigiem, aut titulos offendi. Ill. Tristanus illum prior vulgauit. Hunc Antonini Imperatoris filium fuisse inscriptio nummi demonstrat, quem ante adolescentiam mortuum esse ex historicorum silentio verisimile est. Commemorat quidem Capitolinus *Antonino fuisse filios duos mares, duas fœminas.*



Marcus Aurelius Annii Veri è Domitia Caluilla filius, ab Antonino Pio adoptatus eſt decimo octauo ætatis anno. Is propinquum ſuum L. Annium Verum ad imperii partem nouo beneuolentiæ genere aſciuit. Homo æger toto fere principatus ſui tempore, in plurimos morbos incidit, vſus opera Galeni Pergameni Medici ſuo tempore clariſſimi. Sanctitate vitæ omnibus Principibus antecelluit: dabat ſe totum philoſophiæ, amorem ciuium affectans vnde Philoſophus cognominatus eſt. Tandem omnium hominum qui vnquam principatum tenuerunt optimus, mortuus eſt ætatis anno LVIII. imperii XVIII. Gal. lib. περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων.

Capitol. *Contra Germanos res feliciter geſſit* Aurelius, *ſpecialiter ipſe bellum Marcommanicum, ſed quantum nulla vnquam memoria fuit, tum virtute tum etiam felicitate tranſegit: & eo quidem tempore quo peſtilentia grauis multa millia & popularium & militum interemerat. Pannonias ergo Marcommanis, Sarmatis, Wandalis, ſimul etiam Quadis*
In Arcad. lib. 8. *extinctis ſeruitio liberauit, & Romæ triumphauit. Ferociſſimos Germaniæ populos*, inquit Pauſanias, *& plurimas Barbarorum in Europa nationes & in his Sauromatarum gentem, armis domuit.* Hæc probant hi quinque nummi; lugentes captiui, trophæa, corona, Rhenus de cumbens, Germaniæ ſymbolum Germanos ſubactos exhibent.



Quid ſit VALENTIA, & cur COLONIA IVLIA dicta ſit in nummis Iulii 1. fuit explicatum pag. 18. vt & de Beritho pag. 93. de Colonia Aroë 2. Auguſta Patrenſi pag. 38. Dianam in nummo ſignatam ſic explicat
Lib. 7. in Achaicis. Pauſanias: *Eſt Patrenſibus in arce Laphriæ, Dianæ fanum, peregrinum Deæ cognomen & ipſum Deæ ſignum aliunde huc deportatum: præfert id Venatricis habitum, ex ebore & auro fabricatum eſt. Laphriæ Dianæ anniuerſarium ſacrum patrio ritu Patrenſes faciunt* &c. De Antiochenſi colonia pag. 219. Huius cum Aurelio coniunctionem 3.
In Aurelio. explicat Capitolinus his verbis: *Ignouit & ciuitatibus quæ Caſsio* 4. *conſenſerant, ignouit & Antiochenſibus qui multa in Marcum pro Caſsio dixerant, quibus & ſpectacula & conuentus publicos tulerat & omnium concionum genus, contra quos edictum grauiſsimum miſit.* Denique noluit Antiochiam videre quum Syriam peteret, poſtea tamen Antiochiam vidit, cui & ſpectacula & alia ciuitatis ornamenta reddidit.

Quintus eandem Coloniam Patrenſem deſignat vt currus à 5. ceruis vectus Dianam.

1. De Troade abunde dictum est in nummo Antonini pag. 221. Diana
2. in primo & secundo nummo non ipsa Dea, sed Deæ statua per basim dignoscitur, cui imposita est. Solebant Veteres suos Deos ex ære & marmore repræsentare quos populus sibi semper præsentes arbitrabantur. Hinc tot quæ hodie etiamnum supersunt: illa præsertim elegantissima Dianæ statua, quam Ephesi olim oracula tradidisse dicunt, in Christianissimi Regis opulentissimo cimeliarchio. Ignis & laurus sacrificium & ludos indicant ipsi Dianæ & fortassis fratri Apollini sacros.

3. Ænigma obscurius est quod in tertio nummo latet: nummus antiquitate quodammodo detritus rusticum, vt videtur, repræsentat sacrum humeris gestantem: an ille sit Satyrus aut quidpiam aliud lubenter scirem, nullum alium eiusdem typi me vidisse contigit.

Colonia Aelia Capitolia siue Capitolina in vtroque nummo legitur, quæ ludææ caput Hierosolyma ante Hadrianum vocabatur. De illa dictum est in Hadriano pag. 195. & Antonino pag. 221. Num quidpiam peculiare habuerit cum Diuis fratribus præter omnem gentium erga Romanos Imperatores cultum, non satis scio. quale sit trophæum illud, ignoro. Verisimile est Serapidem in altero nummo repræsentatum fuisse ob eius peculiarem reuerentiam, quam ei palam Ægyptii & ob viciniam Syri testabantur: de quo dictum est in Tito pag. 154.

Corinthi pulcherrima ſymbola hic exhibentur. Mirum quantum vrbs hæc & Aurelio & Vero fuerit blandita. Quinque primos nummos explicat Pauſanias, his verbis: *Fuit hoc ipſo in loco & Melicertæ ara. Eo enim à delphine euectum puerum memorant: quem cum offendiſſet expoſitum Siſyphus & humarit in iſthmo & iſthmicos in eius honorem ludos inſtituerit.* In Corinthiaco Neptuni templo plurima fuiſſe dedicata ab Herode Athenienſi narrat idem Pauſanias, inter quæ rectus delphini inſiſtit Palemon puer, ebore & auro expolitus. Alibi delphino inſiſtentem Portunum narrat.

1. In Corinth. 2. 3. 4. 5.

Sextus nummus Herculem exhibet. fortaſſis ſigni imaginem cuius meminit Pauſanias, his verbis, *Prope templum Mineruæ Frænatricis, Herculis nudo corpore ligneum ſignum, quod à Dædalo factum tradunt.* Ei & frequentia ſigna ex ære, ſaxo & ligno Corinthii fecerant, tanquam Heroï parentabant: Feſtorum vero dierum quos in Herculis honorem agitant, priorem Onomatam, Herculeum alterum vocant.

6. In Corinth.

De cœteris dictum eſt in nummis Iulii & Neronis. Characteres C. L. I. COR. facile explicantur Colonia Latina Iulia Corinthus.

7. 8. 9. 10.





Audacem me fateor qui hos nummos M. Aurelio tribuam quorum aliquos Triſtanus L. Vero aſſignat, Aurelii in imperio collegæ, aliquos etiam Sexto Vero Aurelii & Fauſtinæ filio, Commodi fratri. Illius opinioni fauet inſcriptio, etenim circum capita legitur ΟΥΗΡΟC ΚΑΙΣΑΡ. Quod tamen illam reiiciendam arbitrer, faciunt Veri huius qui in hiſce nummis cernitur, & Aurelii facici conformitas; aqua enim aquæ non eſt ſimilior. Deinde neutri Verorum poſſunt aſſignari, Sextum enim Verum Cæſarem execto ſub aure tubere, ſeptennem amiſit Aurelius, quem non plus quinque diebus luxit, conſolatusque etiam medicos actibus publicis ſe reddidit. Cur ſeptennem Amaſtriani repræſentaſſent? forte propter parentis cultum: at Verus in nummo expreſſus non tantum VII. ſed XX. annorum eſt. Huius Galenus frequenter meminit, ſeque illum à febre ſeruaſſe teſtatur, cum nullam auulſionis tuberis mentionem faciat, vir alioquin optimus, quod innuit illum operi non interfuiſſe. Lucius Verus nonniſi poſt trigeſimum tertium ætatis annum imperauit, at in nummis adoleſcens tantum cernitur, absque barba cœterisque prouectiorem ætatem deſignantibus. Et quod rem totam meo iudicio conficit inſcriptioniſque ſoluit difficultatem, facit textus Capitolini, his verbis; *M. Antoninus principio aui ſui nomen habuit, is erat Annius Verus item Conſul & Præfectus vrbi, adſcitus in patritios à Principibus Veſpaſiano & Tito Cenſoribus. Poſt exceſſum patris ab Hadriano Annius Veriſſimus vocatus eſt. Poſt virilem autem togam Annius Verus patre mortuo ab auo paterno adoptatus eſt & educatus.* Quem quidem textum alter eiusdem Capitolini confirmat his verbis, *Dato igitur imperio & indulta tribunitia poteſtate, proconſulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit, ſuum in eum transferens nomen, quum ante Commodus vocaretur.*

Capitol. in Marc.

Lib. de præcognit ad Poſt c. 10.

In Marco.

In vero

Auerſarum partium typi Amaſtrianorum ſolertiam & doctrinam indicant. Æſculapius & Hygeia frequenter in nummis Aurelii occurrunt, fortè propter eius valetudinem. Baccho & Herculi tanquam primi æui heroïbus comparatur Aurelius in ſequentibus. Quid bos indicet, ignoro, præter peculiare quoddam ſacrificium aut ſtatuam.



De Deo Luno iam dictum est in Antonini nummo pag. 22. Hunc Nysæi colebant vt Carrheni in Mesopotamia; falcatum astrum humeris gestat vt solet, Phrygio pileolo caput tegente. Obscura mihi est inscriptio quamuis integerrima, legitur ΚΑΜΑΡΕΙΤΗC ΝΥCΑΙΩΝ, sed ex tot Nisis quamnam eligerem? Alia enim est in Armenia minore, alio in Arabia, alia in Thracia, alia in Aegypto, alia in India &c. Primam ex galero Armeniaco supra cœteras esse coniicio.



Plut. in Lucullo. Cyzicus vrbs præcipua insula eiusdem nominis in Mysia, bino ponte continenti iuncta est; à Rege Cyzico ædificata est qui ab Argonautis ad vellus aureum pergentibus incautè occisus est. Hanc à Ioue in dotem Proserpinæ datam asserit Appianus Alex. quemadmodum & fabulantur Poetæ Siciliam in Plutonis & eiusdem Proserpinæ nuptiis nouæ nuptæ ab eodem Ioue donatam pro anacalyptris quæ sunt exhibita sponsæ munera, cum retecta primùm facie in virorum conspectum prodit. Hinc serpentes, hinc tædæ, quæ Cyzicenorum nummos ornant. In tædæ locum quidam putant columnam esse, sed qua ducti ratione, ignoro. 1.

Vaccam in altero nummo sculptam eam esse verisimile est quæ nigra publicis asseruabatur stipendiis, in honorem Proserpinæ Cyzici seruatricis victima futura. 2.

In Antonino. Narrat Xiphilinus Antonini temporibus horribilem terræ motum plurimas ciuitates Bithyniæ & Hellesponti corruisse, ac præcipue Cyzicum funditus concidisse, eiusque vrbis templum maximum omnium atque pulcherrimum, quod Aurelio & Vero restitutum asserit, cuius fortassis beneficii signum æternum reddere voluerunt Cyziceni hisce numismatibus.

Labyrinthi artificium peculiari more hic exhibetur, non enim continuum vt Cretenſe, ſed quadripartitum eſt. Memphiticum illum eſſe probat crocodilus iuxta caput Aurelii, Aegyptiorum numen; probat etiam nummus Auguſti ſupra expoſitus pag. 40. Cur Caduceum pacis tranquillitatisque ſymbolum retro caput Aurelio tribuerint Aegyptii exponit Capitolinus, qui Aurelium apud Aegyptios ciuem ſe egiſſe & Philoſophum in omnibus ſtudiis, templis, locis ſcribit, cumque multa Alexandrini in Caſſium tyrannum dixiſſent fauſta, tamen omnibus ignouit, & filiam ſuam apud eos reliquit.

Tanta erat apud exteras gentes Aurelii fama, vt illum ſæpe tanquam Deum venerarentur. Exempla ſunto hæc numiſmata, quorum prius fulgur exprimit. Iupiter interdum Fulminator Κεραύνιος & Fulgur dicebatur, inquit Feſtus, qui ſcilicet interdiu caderet, vt qui noctu Summanus. Fortitudinem Imperatoris hic nummus celebrat, qui fulguris inſtar Populi Romani hoſtes Marcomannos mira celeritate penitus deleuerat; iuxta illud Cælii carmen.

Perfringit, penetrat, cremat omnia fulmen adactum.

Ad id fortaſſis referendus eſt nummus quod ſcribit Capitolinus *Fulmen inquit de cœlo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit.* In Aurelio. Macedones forte id etiam in nummo expreſſerunt quod ii auxilium Imperatori tulerant in eius expeditionibus, ſeque fulminibus comparabant, inter quorum genera, vt ait Seneca, *auxiliaria quædam dicta à Cæcinna quæ Aduocata dicuntur, ſed aduocantium bono veniunt.* Quæſt. naturr. lib. 2. c. 49. Deinde fulmina victoriæ ſunt ſymbola, inquit Nonnus, vt Baccho Indos debellanti. Inſcriptio ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ quæ etiam in ſequentibus nummis legitur, docet Macedonas hos in honorem Aurelii cudiſſe, cuius auos Macedoniæ imperaſſe ſcribit L. 4. Dionyſ.

Præm. 4. Stratagem. Polyænus, Aurelium & Verum alloquens, his verbis Τῦτο μὲν δὴ ἰδιον τῶν ἄλλων συγγράμματος ἐν ᾧ καταμάθοιτ' ἂν τὰς ἀρετὰς τῶν ἡμετέρων προγόνων, οἳ τῆς Μακεδονίας ἐβασίλευσαν: hoc est, *Hunc vero librum ſeparatim ab aliis conſcripſi, in quo veſtrorum parentum ac maiorum virtutes conſpiceretis qui Macedoniæ imperium tenuerunt.* De clypeo Macedonum dictum eſt pag. 120.

Caput Alexandri Magni idem Macedonum officium teſtatur, 3. illo enim nihil charius nihil ſuperbius offerre Imperatori poterant.

Abgari caput Perſica tiara & diademate ornatum in hoc numo exprimitur. Abgari nomen illis Principibus in eodem erat vſu quam Antonini Romanis, Ptolemæi Ægyptiis, Darii Perſis, &c. Abgarum nominat Sextus Rufus eum qui Craſſum in Parthia prodi-
L. 1. c. 13. hiſt. Eccleſ. dit. Abgarum alterum nominat Euſebius qui Chriſto Syriacè ſcripſerat, proſperam implorans valetudinem, ad quem viciſſim
Math. c. 10. Chriſtus ſcripſit per Thadæum Apoſtolum, inquit D. Hieronymus: Recuperata inde ſanitate ſacroſanctæ fidei ſeſe addixit, eiusque men-
De Præp. Euang. lib. 6. tionem facit Euſebius his verbis: *In Syria quondam & Oſrhoene plerosque Opis in honorem abſcindi mos erat. Verum cum repente iuſſiſſet Rex Abgarus, vt quibus abſciſſa verenda eſſent, iis etiam manus abſcinderentur, nemo ſe deinceps in tota Oſrhoene abſcidit.* Alterius Abgari Arabum Regis, Edeſſæque Domini, meminit Tacitus
Lib. 12. ſub Claudio Imperatore. Abgarum nominant Xiphilinus & Suidas qui Traianum muneribus placauit per filium Arbandum, qui Rex
Capitol. exinde factus, nominatusq. Abgarus iuxta patriæ mores, is eſt fortaſſe quem Regem ex Orientis partibus ſola autoritate deduxit Antoninus. Hos omnes Phylarchorum & Arabum regioni præfuiſſe Osrhoëniis & Edeſſenis aſſerit Strabo. Quod autem Imperatori Romano Rex barbarus coniunctus ſit, frequenter accidit: Cotys, Rhemetalces, Rhaſcypolis, Thraciæ Reges ſic ſe Auguſto iunxerant, de quibus, vide ſupra pag. 49 Sic ſe Aureliano Vabalathus poſtea coniunxit.

Nicomedienſes quemadmodum cœteri Græciæ populi, Imperatoribus quantum poterant gratulabantur : Marco Aurelio Cæſari tunc, vt in nummo legitur, nominato Vero per viuentem patrem Antoninum in primo, poſtea eidem Aurelio per L. Verum imperii conſortem & L. Vero per Aurelium in ſecundo. Hac arte ſibi præſentes habebant Imperatores, quorum vultus perpetuo in monetis ſignati erant. De Nicomedienſibus ſupra dictum eſt, pag. 164.



Iidem Diui fratres ſed latine expreſſi in hoc nummo ſcalpti ſunt. Colonia Berythus eum fieri fecit quo & ab Imperatoribus accepta beneficia & eorum concordiam palam faceret. Vterque Auguſtus nominatur, quod notandum: quamuis enim Verus ad ſocietatem imperii cum Aurelio peruenerit, hic ſolus Auguſtus cenſebatur, Vero tantum dicto Cæſare. Dignitati conuenit ornamentum, vterque enim laurea cinctus eſt. De Berytho quidem dictum eſt pag. 39. Sed cur bina aquila ? an vtramque imperii partem deſignet, Orientem & Occidentem ? an ad Iouis maieſtatem, cuius in terris vterque perſonam ſuſtinebat.

1. Epheſus Ioniæ caput Dianæ templo clara, in ſuperioribus frequenter ſuos expoſuit nummos : ceruum Dianæ ſymbolum &
2. Dianam ipſam ſub habitu Fortunæ Aurelio offerunt Epheſii in prioribus nummis. *Amauit pugillatum, luctamina & aucupatus eſt,* & In Aurel.

& pila luſit apprimè, & venatus eſt, inquit Capitolinus: vnde fortaſſis exercitiorum venationisque Deam in eius nummis ſignauere. Autor eſt Galenus noſter Antoninum curandi corporis fuiſſe admodum ſtudioſum, certamque vitæ rationem conſtantiſſimè tenuiſſe. Phaneas vrbs Syriæ Cæſarea etiam nominatur, interdum in nummis ΠΑΛΑΙCTINHC adiectum eſt, ad expreſſius deſignandum ſitum. Diana hic vt Epheſi adorabatur, ſculpta eſt in naturæ modum pluribus ornata mammis quibus alendis viuentibus indigebat: Ops Diana, Cibele, Natura, Tellus idem ſunt, quod omnia nutriant,

γρεσῶν lib. 6.

Ptolom.

Orpheus hymn. 25.

Γαῖα θεὰ, μῆτερ μακάρων θνητῶν τ' ἀνθρώπων
Πάντροφε.

Verubus ſuis vt rerum omnium principiis firmiſſimisque fundamentis innititur: tauros habet ad pedes, quos agriculturæ exercendæ omnis ætas deſignauit.

De Tianenſibus dictum eſt pag. 226. 4.

In quinto nummo ſtella vertici montis impoſita eſt quem, cum 5.
Lib. 66. Clariſſ. Triſtano Veſuuium eſſe placet, flammis hinc, illinc frondibus onuſtum, de quo ſic Dio; *Veſuuius mons mare ſpectat ad Neapolim, habetque fontes ignis maximos & perennes. Ac olim quidem ex omni parte pariter excelſus erat, & tunc ex medio eius exſtitit, nam ea parte tantum flammas concepit, extrinſecus vero intactus ab igne permanet, ex quo fit vt quum ignis externas partes non exurat, eaque quæ ſunt in medio conſumantur igni, rediganturque in cineres: Vertices qui circum ſunt vsque adhuc veterem altitudinem habeant, vt quidquid ignem concepit diuturnitate temporis abſumptum, concauum ſubſidendo factum ſit, ita vt totus mons, ſi licet parua cum magnis conferre, formam habeat amphitheatri. Culmina montis eius multas arbores habent vitesque, ſed ambitus igni expoſitus eſt, & interdiu fumum, nocte flammam ſic emittit, vt in eo ſuffimenta cuiuſuis generis fieri ſemper videantur*, &c. hæc Dio. Vertici figuram impoſitam in nummo Veri, Iouem montanum interpretatur Triſtanus, ἐπάκριον, vel Iouem Seruatorem ſub habitu Imperatoris, regionem ab ignibus fædaque tempeſtate vindicantem. Cur eodem ſenſu Aurelius per ſolem aut ſtellam non exprimeretur?



1. EAmdem Palladem Theſſalonicenſium communitas Aurelio conſecrat quam Hadriano olim Theſſali, de quo vide pag. 202. Eo habitu in primo nummo ſculpta eſt quem deſcribit Apuleius, *capite* inquit, *galeam gerens contextam oleaginea corona, clypeum attollens, haſtam quatiens.* Vnam fuiſſe ex Tritonidibus inſcriptio docet. Triplicem enim fuiſſe Palladem notant Apollonii interpretes, vnam in Bœotia, alteram in Theſſalia, tertiam in Lybia, quam ideo Tritonidem antiqui appellauere, quod hæc tria mortalibus fuerit elargita, Lib. X. In Lib. 1. Argonaut.

Democritus.

Βυλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς ϗ πράττειν δικαίως,

hoc eſt, *Benè conſulere, rectè iudicare & iuſtè facere.* Hanc etiam in nummo ſculptam ad Itoniam Mineruam referre placet, cui Bœotii qui venerant ex Theſſalia, expugnata Coronæa templum in plano condiderunt, eodem quo Theſſalicum nomine. Itone autem ciuitas Bœotiæ Mineruæ ſacrata, inquit Palladius.

2. Thera quam ἱερὰν νᾶσον nominat Pindarus inſulam ſacram, vna eſt ex Sporadibus iuxta Cretam, Caliſte cum primùm emerſit vocata, à Therate Thebano nomen habet. Colonia fuit Lacedæmoniorum, è qua Battus qui Cyrenem condidit. Terminum à cœteris diuerſum exponit hic nummus, cum femoribus & tibiis, capiti impoſita eſt corona radiata. Triſtanus ſimilem nummum Veroaffignat, fortaſſis Diuis fratribus iidem nummi ſunt oblati. Ioui Terminali ſeu Contermino templum dicauerant Crotoniatæ, Sybaritæ & Coloniatæ, propter finita inter ſe iurgia ob terminorum difficultatem. Ode. 4. Pythion. Pauſan. Lib. 3. & 7. Herodot. lib 4 Strabo. l. 10. Tom. 1. Polyb.

3. De Mileſiis ſupra dictum eſt in Caligulæ nummis pag. 94. Optarem lubens quis fuerit Themiſtocles ille in nummo ſcriptus exponere. Figura quidem muliebris ſtans dextra Centaurum tenet, ſiniſtra forcipes, aut quid ſimile: cuius quidem inſoliti typi explicationem tradit Pauſanias ſcribens Thetin inter plurimas alias arcæ ſcalpturas à Vulcano arma accipere ſequente famula forcipem tenente, & adſtante Centauro quem Chironem eſſe dictitant, qui iam vitæ muneribus perfunctus, ac in Deorum numerum receptus præſto Achilli eſt, eius luctum leuaturus. Hæc omnia in nummo quaſi coacta viſuntur: ſed cur à Mileſiis in M. Aurelii honorem ſculpta ſint, ignoro.

4. Sphingem & Harpyiam repræſentauerunt in his nummis

Gabaleenſes dum prudentiam & fortitudinem bellicam M. Aurelii deſignare voluerunt, illi enim aſtutia ab Ægyptiis, huic fortitudo dicitur. Nummum refert Triſtanus in quo impoſitus eſt Sphingi M. Aurelius, hocque typo Barbarorum quos vicit artes præuidiſſe declaratur. Sphingi παιπρίαν tribuit Clemens Alexandrinus, ſummam videlicet induſtriam ad omnia: his enim animantibus humanæ naturæ fere nihil deeſt niſi ſolum oratio, quare *galea Palladis Sphingem ornatam fuiſſe* notat Pauſanias, & ſuis in porticibus Sphinges pingebant & ſculpebant Ægyptii ſupra cœteros homines παιπρρι, hi enim artem bellicam, nauticam, ruſticam cœterasque primi didicerunt, vt Philoſophiam, Theologiam &c. Οθεν ϗ αἰγυπτιάζειν λέγεται τὰ ὑπερφυᾶ πραττειν fecit prouerbium ægyptiſare, quaſi omnia induſtriè facere. Sphinges absque alis ab Aegyptiis fingi aſſerit Scaliger, cuius tamen contrarium frequentes exhibent nummi. Hic inter alios prope Aegyptum cuſus, nomen enim inſcriptum ΓΑΒΑΛΕΩΝ, Gabalam deſignat vrbem Syriæ cauæ in Caſſiotide regione: *Parua quidem erat ſed elegans*, inquit Palladius, prope quam templum erat dedicatum dæmonibus, & quod ab iis qui iam erant antiquitus impii multis honorabatur ſacrificiis. Quidni ſuos dæmonas per Sphingem & Harpyiam in nummo ſignauerit? *Apud Dotos in Gabalis ſanctiſſimum eſt templum*, inquit Pauſanias.

Stromat. lib. 5.

Anaſt. Sinaita in Hexaemeron. Lib. 10. Lib. 1.

In Euſebiū.

In Lauſiacis.

Quintus nummus Zacynthiorum eſt. Zacynthus eſt vrbs & inſula iuxta Echinadas in mari Ionico: *Hanc liberam* ſcribit Plinius *cum oppido magnificam & fertilitate præcipuam.*

lib. 2. Strabo lib. 10. l. 4. c. 12.



HAnc ipſam inſcriptionem vidimus in Hadriani nummo, ſi epitheta excipias, quam in primo huius tabellæ. Flauia Samoſate ſacrum aſylum ſuis vtens legibus Comagenes metropolis dicitur; quibus numiſmata amplius & accuratius rerum antiquarum hiſtoriam tradere ſupra libros probatur: Quis enim author horum priuilegiorum meminit? Samoſatam quidem amplam ciuitatem & Comagenes caput nominat Marcellinus: Flauiam ideo dictam fuiſſe ſuſpicor quod Comagenem ditionis regiæ vſque ad id tempus in prouinciæ formam redegit Flauius Veſpaſianus, inquit Suetonius, à quo credibile eſt & ſacrum eam fuiſſe aſylum, & propriis legibus vti poteſtatem habuiſſe, quod per αὐτόνομον Græci intelligebant. Figura

1.

Lib. 4. & 18.

In Veſpaſ. cap. 8.

ſedens

ſedens turrita Genium vrbis repræſentat, inſidet rupi, ſitum ſuum indicans. Genium etiam Euphratis ad cuius ripam ſita eſt, per hominem veluti natantem repræſentatum fuiſſe videtur, vnde Comagene Auguſtophratenſis dicta eſt. Eumdem typum repræſentauimus in Antonini nummo pag. 227. Aur. Victor.

2. De Lacedæmoniis & Dioſcurorum pileis & ſtellis dictum eſt in
3. Hadriani nummo pag. 203. vt de Tripolitanis eoſdem fratres repræſentantibus pag. 45.
4. Calchadonii vt dictum eſt in Traiano pag. 186. ſuum ſemper
5. venerabantur Apollinem, qui ex tripode ſatis abunde coniicitur. De Zeugmate in Antonino pag. 223. dictum eſt.

Tabellam vides Diis Aegyptiis plenam, quos ſingulari religione venerabatur Aurelius. Scribit Capitolinus illum apud Aegyptios
1. ciuem ſe egiſſe & philoſophum in omnibus ſtudiis, templis, locis;
2. templumque Romæ ſtruxiſſe in honorem Serapidis quem peculiariter adorabat, cum inſcriptione cuius ſupereſt fragmentum in marmore,

SERAPIDI DEO .....
M. AVRELIVS ANTONINV. .....
IFEX MAX. TRIBVNIC. POT. X. .....
AEDEM. .....

Grut. p. 85.

Sacra Serapidis à vulgaritate Peluſiæ ſubmouit, inquit Capitolinus, non quod hæc Peluſiotis abſtulerit, ſed ab eis excluſerit vulgus promiſcuum, cura eorum demandata ſacerdotibus tantum ac viris primariis. Hinc Serapidis caput in nummis Aurelio oblatum eſt, quaſi gra- Gruter.
3. tias agentis ſe in poſterum nobilius adoratum iri. De Serapide dictum eſt in ſuperioribus pag. 154. & de Iſide quæ in tertio nummo repræſentatur, pag. 128. In Aurel. cap. 23.

4. Quartus nummus Deum refert diademate cinctum coram cornucopiæ: Hunc Iouem ἐπικάρπιον nominat Triſtanus in nummo Veri quem Heſichius adoratum fuiſſe in Eubœa tradit, Ἐπικάρπιος Ζεὺς ἐν

Εὐβοίᾳ inquit. Fortaſſis Genium refert alicuius fluuii, barba promiſſa & opaca id ſubindicat, cur Nilo non tribuerem? cuius aquæ Aegypto tribuunt fertilitatem per fructus & fruges in cornucopiæ deſignatam.

Quintus nummus Fortunam exhibet iacentem in lectiſternio, 5.
In Aurel. de quo ſic Capitolinus? Tantus autem terror belli Marcomannici fuit, vt vndique ſacerdotes Antoninus acciuerit, peregrinos ritus impleuerit, Romam omni genere luſtrauerit, celebrauit & Romano ritu lectiſternia per ſeptem dies. Ad rem noſtram faciunt hæc
Lib. 7. Arnobii verba, *Lectiſternium Cereris erit idibus proximis. Habent enim Dii lectos, atque vt ſtratis poſſint mollioribus incubare puluinorum tollitur atque excitatur impreſſio.* Eius ceremoniæ rationem red-
Lib. 5. dit T. Liuius his verbis, *Triſtem hyemem peſtilens omnibus animalibus æſtas excepit*, annum notat v.c. CCC LVI., *cuius inſanabili pernicie quando nec cauſa nec finis inueniebatur: Libri Sybillini ex ſenatus conſulto aditi ſunt. Duumuiri ſacris faciundis Lectiſternio tunc primum in vrbe Romana facto per dies octo, Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quam ampliſſimè tum apparari poterat, ſtratis lectis placauere.* Eius religionis monumentum fortaſſis hoc nummo poſteris Ægyptii dicauere.

Imperatoribus Aurelio & Vero ſuam contulerunt obſequii teſſeram 1.
Aradii, fortaſſis in Orientem properantibus. De Arado dictum eſt pag. 165. in Domitiani nummo.

Flauiopolitæ quales ſint qui ſecundum cudere nummum non 2.
Ptolem. facile eſt coniicere. Flauiopolis enim altera Bithyniæ ciuitas Κεσλεία quondam nominata, de qua in Conciliorum opere: altera Thraciæ
Pliniur. vrbs & Colonia; altera Ciliciæ vrbs mediterranea quæ in concilio Antiocheno Flauias nuncupatur. Quædam erat etiam Φλαουιόπολις Σαμαείτων, quam ſuſpicor hunc cudiſſe nummum ob viciniam populorum Ægypti, nempe Serapidem & Iſidem peculiari ritu colentium.

Gaza quæ tertium cudit nummum vrbs eſt Syriæ inferioris 3.
Palæſtinæ nuncupatæ: cur taurum iuxta pedes habeat, non ſatis ſcio, vel felicitatem ſoli, vel aliquod ſacrificium indicat.

Inſolitum typum exhibet quartum numiſma. Veneris equeſtris 4.
Lib. 17. meminit Strabo, ἔφιππον nominat, quæ forte in eo repræſentatur, in honorem

honorem Fauſtinæ. Ex ſexdecim eiuſdem nominis vrbibus difficile eſt illam Antiochiam declarare quæ nummum percuſſerit, quamuis ſe ſacrum aſylum ΙΕΡΑCΥΛΟΝ prædicet.

Quamuis monumentorum integerrimorum plenus ſit hic liber, ea tamen non cenſui negligenda, quæ rei noſtræ quamdam poſſint afferre lucem, ſeu typorum varietate ſeu coniecturis quas certiores ex minus detritis nummis, ſi vnquam occurrant, inferre licebit.

1. Videtur quidem in primo nummo populus aliquis Græciæ cuius nomen non legitur, caput Veri & Fauſtinæ retro Aurelium poſuiſſe quibus veluti per gentilitia numina eius ſibi conciliare gratiam cupiebat. Veriſimile enim eſt tunc Verum & Fauſtinam obiiſſe, & in Deorum numerum iam iam relatos eſſe.
2. Caput quale cernitur in ſecundo nummo corona veluti murali cinctum vrbis alicuius Genium repræſentat, eius nomen ex integriori ſcire cuperem.
3. Caput Iouis frequenter occurrit in Impp. Romanorum nummis & præcipue M. Aurelii.
4. Quid ſit typus quarti nummi penitus ignoro: aut duplex cornucopiæ, aut duplicem facem in manibus figuræ ſtantis quæ muliebris videtur, licet interpretari.
5. Quintus templum exhibet à Nicomedienſibus cuſum. Cœteri characteres detriti cœteram eius cognitionem eripiunt.



1. Duos primos nummos ad Tianenſes pertinere inſcriptio docet,
2. ſed in primo veluti nomen conditoris apparet, fœlicior declarabit. Bacchus cum cantharo & thyrſo conſpicitur, vt in ſecundo Mercurius cum crumena & caduceo. De Tiano dictum eſt pag. 226.

Tertius

Tertius nummus Iouem repræſentat, ſed Ægyptium inſignitum 3.
nominibus Ammonis, Serapidis, Oſiridis, Solis, Plutonis, Æſculapii &
In Select. Numiſm. Nili, quæ calatho, corona, cornu, & ſerpente baculo intorto indicantur: Nummum ex ære maximi moduli vulgauit Illuſtr. Seguinus, in quo Antoninus Pius anticam partem occupat & ſimilis Iupiter poſticam, quem pro more elegantiſſimè explicat.

Quartus & quintus in Græcia cuſi ſunt, ſed à quibus populis, & 4.
qua ratione, characterum eroſio nobis eripit. 5.



Anniæ Galeriæ Fauſtinæ nummos exhibet hæc tabella, Antonini ex Fauſtina filia fuit, Aurelii vxor. Huius vitia ita vir tulit vt nec
Xiphil. ea curioſius inveſtigaret nec puniret: Dicitur Commodum ex gladiatore genuiſſe, tandem podagra correptam obiiſſe. Narrat Capi-
In Aurel. tolinus Fauſtinam in radicibus montis Tauri in vico Halalæ exanimatam ſubito morbo, Aurelium amiſiſſe: deinde petiiſſe à Senatu vt honores Fauſtinæ ædemque decernerent, laudata eadem, quum tamen impudicitiæ fama grauiter laboraſſet, quæ Aurelius vel neſciuit vel diſſimulauit. Diuam etiam Fauſtinam à Senatu appellatam gratulatus eſt, quam ſecum & in æſtiuis habuerat vt matrem caſtrorum appellaret: Fecit & coloniam vicum in quo obiit & ædem illi extruxit, &c. hæc Capitolinus,

Venus ſtat in primo nummo cuius habitum induiſſe videtur 1.
Fauſtina ſui temporis mulieres formâ antecellens: Pomum Veneri ſacrum fuiſſe ex antiquis palam eſt, hinc pulchritudinem, amoris etiam & laſciuiæ ſymbolum. Læua tenet inuerſum temonem inſtar Fortunæ cuius moderamini omnes populi parebant, & ipſe Imperator.

Eamdem Venerem ſed minus pudicam exhibet alter nummus. 2.
Nuda fere nudum maritum retinere videtur ad bellum properantem ſub Martis ſpecie: Victrici autem Veneri ædem conſtructam fuiſſe

fuiſſe in theatro Pompeii conſtat ; *Pompeii*, inquit Plinius, *altero* Lib. 8. c. 7.
conſulatu , dedicatione templi Veneris Victricis pugnauere in Circo viginti Elephantes. Plurimæ exſtant inſcriptiones VENERI VICTRICI quas & ad victoriam ſupra Iunonem & Palladem per Paridem reportatam, & ad victoriam libidinis ſupra cœteras hominis paſſiones reuocare placet : Quidni etiam Fauſtina victorias Aurelii effeciſſe prædicetur quæ in altero nummo MATER CASTRORVM legitur.

3. Tres nummi ſequentes FECVNDITATEM AVGVSTÆ indicant
quam interdum SÆCVLI interdum TEMPORVM FELICITATEM effice-
4. re declarant. His duos primum deinde quatuor, ſex denique liberos
5. procreaſſe dicitur. Res ſatis obſcure legitur apud authores qui tres maſculos, totidem numerant fœminas , L. Verum Cæſarem , Herodian. Spart.
Antonium Geminum & Commodum , Lucillam Fadillam & Fauſtinam , quidam addunt Vibiam Aureliam Sabinam. L. Verus Capitol.
Cæſar & Antoninus Geminus infantes mortui ſunt; Commodus poſt patrem Aurelium imperauit ; Lucilla Vxor fuit Veri, Fadillam occidit Caracalla ; Fauſtina Burrho iugata eſt quem Commodus necari iuſſit; Vibiæ Aureliæ Sabinæ hæc exſtat inſcriptio.

VIBIÆ AVRELIÆ
SABINÆ
D. MARCI AVG. F.
HELIODORVS LIB.
ET PROC. P. V.

De COLONIA PRIMA FLAVIA AVGVSTA CÆSAREA Palæſtinæ vrbe dictum eſt in ſuperioribus pag. 220. & alibi. An figura ſtans Imperatorem repræſentat qui gentem vicerit nempe Iudæorum ? id mihi videntur indicare, tum victoria in eius manibus, tum captiuus ad eius pedes.

Amaſtrianum Smyrnæorum colonia quale fuerit, dictum eſt in nummo Homeri pag. 9. Horum nummorum partes auerſæ Deas exhibent quarum laudes Fauſtinæ Græci tribuebant, hoc eſt Iſidis ſolertiam, Salutis felicitatem, Apollinis ſcientiam, Iuſtitiæ decus & Victoriæ gloriam, prout eos adulationis vertigo circumagebat: nullam enim, quod quidem ſciam, veram his laudibus occaſionem Fauſtina dederat.

Duos hoſce nummos Amarianorum in eiusdem Fauſtinæ honorem cuſos addidi, qui & Iſidem repræſentant & Iuſtitiam, hanc quidem ſine rota & ſerpente, quòd potius ad Nemeſin referretur vltricem impiorum facinorum. Iſidem verò velum expanſum præ manibus habentem, hæc enim nauigationi apud Ægyptios præerat, quare PELASGIA dicta eſt, vt patet ex inſcriptione antiqua apud Gruterum. Florem impoſitum capiti alii Abrotanum, alii Eruum, alii Perſeam interpretantur, quæ cum fuerit venenum in Perſide natali ſolo, ſi in Aegypto colatur, alimentum eſt ſuauiſſimum, inquiunt Dioſcorides & Galenus.

pag. 312.

Gal. de alimēnt. facult.



Παυταλίαν vocat Procopius, dum illius muros à Iuſtiniano reſtauratos & munitos eſſe ſcribit: refragantibus omnibus nummis perpetuo Παυταλίαν indicantibus. Hæc Pautaliotarum regiunculæ in Thracia caput, inquit Ptolemæus. Traianopoli & Plotinopoli vicina

Lib. 4. de Ædific.

Lib. 3. c. 2.

VLPIÆ cognomen ideo ſibi aſſumpſit, quo Traianum priuilegiorum ſuorum largitorem celebraret, quemadmodum in nummis legitur ΟΥΛΠΙΑ ΣΕΡΔΙΚΗ. illa fortaſſis Aurelio & Fauſtinæ ſuos nummos dicauit ob partam ſibi quietem poſt deuictos ab ipſis Barbaros.

Salutem, quæ frequenter ſtat in Græcorum & Latinorum nummis, ſic explicat Ælianus, Lanuuii, vrbe Latii, ſacer eſt lucus magnus & opacus, iuxtaque ipſum ædes Iunonis Argolidis. In eodem luco latibulum eſt amplum ac profundum, draconis cubile: lucum quotannis virgines certis diebus ingrediuntur, quæ mazam geſtant manibus, oculos faſciis deuinctæ. Eas recta ad latibulum diuinus quidam ſpiritus deducit: progrediuntur illæ ſenſim ac pedetentim ſine offenſione ac ſi detectis oculis viderent. Quod ſi virgines fuerint, cibos tanquam puros & Deo gratos animanti conuenientes admittit Draco; ſin minus, non attingit, corruptas eſſe intelligens & diuinans; formicæ vero hanc relictam ab illo mazam minutatim confractam, vt leuius ferant, è luco exportant, expurgandi gratia loci &c. L. 12. c. 16. De Animal.

1. Nummos Aegyptios hic habes. Serpens florem Iſidis capite
2. geſtans Deam refert: Fauſtinam autem Iſidem indigitabant.
3. Nilus ex Crocodilo comite dignoſcitur in altero. Spes in ſequenti
4. florem vt ſolet manu tenet. Cornucopiæ deinde quaſi abundan-
5. tiam à Fauſtina ortam declarat. Grifus denique ſeu Draco in quinto ſignatus eſt, ne alicuius erga Auguſtam cultus ſpecies deeſſet.

De Adrianopolitanis dictum est in Hadriano pag. 205. de quorum coniunctione cum Faustina, quæ huic cudendo nummo occasionem dedisse videtur, nihil me legisse memini. 1.

Elegantissimum typum quem exhibet alter nummus difficile mihi est explicare. statua quædam basi imposita est, coram sese erigit asinus, cuius dorso insidet figura quædam: pauci characteres sed detriti inscripti sunt, ex quibus nihil probabilis coniecturæ elicere potui: potero fortassis si mihi vnquam integrior nummus occurrat. hæc tamen ad Priapum pertinere suspicor. 2.

Quod ad tertium nummum attinet, Aesculapius serpentem intortum baculo tenet veluti sanaturus. Iam dictum est cur Antonini & Aurelii familia tot Æsculapio & Saluti monumenta erexerit: Nam illi Imperatores nihil sine sanitate faustum existimabant, quod tum dictis tum scriptis præ se ferebant, identidem optantes mentem sanam in corpore sano. Quod viros imitatæ fuerint vxores, fortassis Pergameni apud quos Aesculapii summa erat veneratio, earum vultus in suis nummis publicauere. 3.

Militem stantem & veluti sacrificantem ad aram exhibet quartus nummus, sed eius significationem ignoro. 4.

De Cyzicenis dictum est in Aurelio pag. 238. Ceres tædas accensas tenet quærendæ Proserpinæ à Plutone raptæ. 5.

Philippopolitani Thraciæ populi *interdum etiam dicti sunt Adrianopolitani*, vt ait Ptolemæus. Illorum vrbem Poneropolim vocant Plinius & Suidas. Strabo quidem docet Bostram in Arabia Petræa restitutam ab Imperatore Philippo, à quo Philippopolis nominata fuit. Hanc certe nihil ad rem nostram facere docet temporum series. Dea instar Cereris frugum abundantiam seu soli fertilitatem videtur demonstrare, quod conuenit nummis Seueri infra scalptis in quibus Bacchus & vuæ vinorum copiam & præstantiam indicant. Diana Ephesia in sequentibus nummis repræsentatur. Hanc supra cæteras Græci præcipue Asiatici colebant: quam rem ne alias auctoritates quæram abunde testatur templum illud quod inter orbis miracula in eius honorem Ephesii condidere. Phaneenses & Ancyrani eamdem veluti tutelarem asciuerant, de his dictum est pag. 4. de illis pag. 241. Perinthiorum obsequium exhibet alter nummus. Quintus aquilam quidem repræsentat, sed cur & à quibus, nescio. Lib. 16.

1. Primum nummum à Plotinopolitanis cusum esse inscriptio docet. Ii in Thraciæ Plotinæ Traiani vxori originem debebant, quemadmodum Traiano Traianopolitani, Marcianæ Marcianopolitani in illius honorem nummos suos eius simulachro ornarunt. De
2. Magnetensibus iam dictum est pag. 169. typos quidem explicare est
3. difficile. Tertius Victoriam refert in quadriga vectam, quin referatur ad M. Aurelii victorias nullum est dubium: innuit L. Γ. characteribus Græcis qui annum tertium designant.

Aurelius Verus L. Ælii filius ex Domitia Lucilla Nigrini filia à Marco ad imperium aſcitus. Is ad Parthicum bellum à Vologeſo geſtum profectus, reuerſus Romam cum Marco triumphauit, & cognomen Armeniaci Parthici Maximi meruit. Inde cum eodem aduerſus Germanos profecturus, inter Altinum & Concordiam emenſis Alpibus in vehiculo ſedens cum fratre Marco, apoplexia correptus interiit, ætatis anno XLII. imperii XI.

Galen. περὶ προγινώσκειν.

Fuit decorus corpore, vultu geniatus, barba prope barbarice demiſſa, procerus, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilis. Dicitur ſane tantam habuiſſe curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta reſpergeret, quo magis coma illuminata flaueſceret. Lingua impeditior fuit, aleæ cupidiſſimus, vitæ ſemper luxurioſæ, atque in pluribus Nero, præter crudelitatem & ludibria. Neque inter bonos, neque inter malos Principes ponitur, quem conſtat non inhoruiſſe vitiis, nec abundaſſe virtutibus. Tantæ ſanctitatis fuit Marcus vt Veri vitia & celauerit & defenderit, quum ei vehementiſſimè diſplicerent, mortuumque eum Diuum appellauerit.

Capitol. in Vero.

1. *Ad Parthicum Bellum Verus à Marco missus est, ne vel in vrbe ante omnium oculos peccaret, vel vt parsimoniam peregrinatione addiscseret, vel vt timore bellico emendatior rediret, vel vt se Imperatorem esse cognosceret.* Proficiscentis ad expeditionem typus in primo nummo cernitur : Per se nihil penitus, per legatos Parthicum bellum confecit. *Etenim Statii Prisci opera & Auidii Cassii post quadriennium deuicta est ipsa Babylon, & tota Media, & tota Armenia: quæ & Vero & Marco tunc Romæ degenti, Armeniaci, Parthici,* Capitol in Vero. Capit. in Antonio.
2. *Medici nomina pepererunt.* Victoris habitu captiuum prosternens
3. in secundo exhibetur. Post partas per Legatos victorias Armeniaci, Parthici, Medici nomen illi delatum est, inquit Capitolinus, quod innuit trophæum triplex in tertio nummo. Armenia decumbit in
4. quarto sub habitu captiui, quasi lugens. Rex Armeniis datur in
5. quinto cuius quidem sic meminit Capitolinus, *confecto sane bello, regna regibus, prouincias vero comitibus suis regendas dedit*, quamuis cætera taceat ; quibus nummus supplet. Coniecturam autores tradunt Regem istum Soæmum fuisse, Achæmenis filium Arsacis nepotem. Quum à Vologeso spoliatus fuisset, Romam aduectus Senator, ac inde consul creatus, demum post Veri victoriam Armeniæ Rex est denuntiatus. Photius. Iamblicus in Babylonicis.

1. De Colonia PRIMA FLAVIA AVGVSTA CÆSAREA dictum est in Antonino pag. 220. quod repetere superfluum.
2. Ad explicationem alterius numni id sufficit quod scribit Capitolinus, *Amauit venatus, palæstras, & omnia exercitia iuuentutis.* Ad Isthmicos enim ludos refertur in quibus lauream in nummo signatam reportasse verisimile est. COLONIA AVGVSTA TROAS qualis sit supra dictum est, pag. 122. In Vero.



NVlla fortaſſis Colonia tot nummos in honorem Imperatorum Romanorum ſignauit quam Corinthus, an quod à Iulio eorum primo inſtituta ſit? an quod ab Auguſto firmata? an quod Italiæ vicina, aut quod diuitiis ſupra cœteras abundans? Sane hæc omnia eam Romæ deuotam ſubindicant. De ea iam dictum eſt pag. 18.

In Corinthiacus. Ad nummorum explicationem notandum id quod ſcribit Pauſanias, *Ipſi quidem Corinthii Neptunum narrant in certamen cum Sole de regione deſcendiſſe: Diſceptatorem inter eos Briareum fuiſſe: qui cum*

In Vero. *iſthmum Neptuno, Soli vero promontorium quod vrbi imminet, adiudicauiſſet, ex eo iſthmum Neptuni fuiſſe.* Sed quod propius nummos noſtros attingit docet Capitolinus, *Multa in eius*, Veri, *vita ignaua & ſordida belli tempore deteguntur: Nam quum interfecto Legato, caſis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus Oriens vaſtaretur, ille in Apuleia venabatur & apud Corinthum & Athenas inter ſymphonias & cantica nauigabat, & per ſingulas maritimas ciuitates Aſiæ, Pamphiliæque, Ciliciæque clariores voluptatibus immorabatur.*

QVinque Græcas vrbes exponit hæc tabella. Primus nummus egregium templum exhibet, in cuius medio Diana Epheſia mammis & vberibus ornata. Hanc in tota fere Aſia coli Hiſtorici & nummi palam docent. Quisnam in eius honorem templum exſtruxerit in Abydo ciuitate, ignoro: Ea eſt Phrygiæ vrbs maritima 1.

Lib. 1. Triſt. iuxta Seſton, de qua ſic Ouidius,

Quaque per anguſtas male vectæ virginis vndas,
Seſton Abydena ſeparat vrbe fretum.

Ibi caſtella muniuit Turcarum Imperator, *Dardanellos* vocant, Conſtantinopoli tuendæ aduerſus Chriſtianorum conatus. Alter 2.
nummus Anazarbum deſignat ſecundæ Ciliciæ metropolim, Dioſcoridis patriam, quæ hoc honore Verum excepit dum is ad

Parthicum bellum proficiſceretur. Cæſar-Auguſta dicta eſt ab inſtauratore Auguſto. *Intus autem dicendi Anazarbeni*, inquit Plinius, *qui nunc Cæſar-Auguſtani vocantur.* Fluuius decumbens Pyramus eſt qui à Tauro monte Anazarbum præterfluens in mare prope Mopſueſtiam ſeſe evonerat. De Ioue Catebate Cyrreſtenſium qui in tertio nummo legitur, dictum eſt pag. 226. vt de Zeugmatenſibus pag. 223. & Dea Syria Ieropolitanorum, pag. 6.

Lib. 5. cap. 26.

3.

In honorem Diuorum Fratrum hi nummi ſcalpti ſunt. Difficile eſt coniicere à quibus Græciæ populis, quamuis primus ab aliqua metropoli ſignatus eſſe videatur. ΠΑΡ initium videtur eſſe prouinciæ quam indicabit nummus integrior, ſi vnquam occurrat. Alter characteribus quidem inſignitus eſt, ſed detritis, qui rem nobis eripiunt.

Armenia lugens ad trophæum, brachiis à tergo vinctis in modum captiui, clariſſimum nummum efficit: Eum cuſum eſſe cum Verus ARMENIACVS dictus eſt, veriſimile eſt. Annus enim conuenit, quintus nempe imperii, quo Armenia deuicta eſt.

1. Primus nummus ſocietatem celebrat Nicomedienſium, tunc Neocororum, quamuis ſociorum nulla facta ſit mentio. De iis dictum eſt pag. 164.

Nicæenſes vicini eodem officio erga Verum functi ſunt, iis 2.
procul dubio temporibus quibus Orientem perluſtrauit, & à Marco aduerſus Parthos miſſus eſt.

Abgarus Rex vt Marco Aurelio ſuum nummum dicauerat ſic 3.
Vero eundem honorem tribuit.

Pruſienſium ad Hypium eſt quartus nummus. Bos vel ad ſacri- 4.
ficium ſpectat, vel ad alicuius ſtatuæ erectionem, ſicut tunc temporis frequens mos erat.

Quintus nummus alicuius prouinciæ metropolim celebrat, 5.
quæ ſacra erat & ἄσυλος ſed qualis fuerit eripit nummi detrimentum.

Xiphil. Lucilla Marci Aurelii & Fauſtinæ filia, vxor L. Veri matre nihilo melior, fratre Commodo nihilo continentior fuit. A Marco patre mittitur ad Verum maritum in Syriam; ad quam ſuſcipiendam Epheſum venit Verus, ne Marcus cum ea in Syriam veniret, & flagitia ſua cognoſceret. Vero mortuo M. Aurelius eam in vxorem dedit Claudio Pompeiano. Tandem à fratre Commodo quia ei inſidias per Quadratum adulterum ſtruxerat occiſa, & filius eius Lætus Pompeianus à Caracalla.

Primus nummus Lucillam refert ſub imagine Fortunæ: ſic illam ſuam eſſe fortunam celebrabant Adrannenſes Siciliæ populi, ob collatum fortaſſis aliquod beneficium, quod mihi obſcurum eſt.

Alter Palladem refert circum quam detriti characteres ciuitatem à qua percuſſus fuit nummus, eripiunt.

Tertius Iſidem in lectiſternio decumbentem etiam ſub Fortunæ habitu. Vtinam populi qui nummum cudit nomen in eo legeremus. ad Aegyptum ſpectare videtur, ex ſculpturæ modo.

Aurelius Commodus M. Aurelii filius, ex adulterio natus credebatur. Congruens ei corporis modus præter ætatis florem, pulchra virilisque facies, tranquillæ faces atque micantes, flaua & crispa cæsaries, vt in sole ambulanti velut igne quodam rutilaret. Sed pater spe filii, quem optime quoad eius fieri potuit educari atque institui curauerat, frustratus est. Natus erat annos decem & nouem cum pater eius moritur, & à prima statim pueritia turpis, crudelis, impius, improbus, libidinosus, scurram & gladiatorem magis quam Imperatorem egit, & primis imperii initiis, multos clarissimos viros occidit. Sæuiit in Senatum & matrem Faustinam, quam & in exilium egit. Sororem Lucillam occidit, matronas & meretrices sine delectu constuprauit. Tandem post fæuissimam tyrannidem, cum vrbem etiam tanquam coloniam suam incendi iussisset, sed prohibitus à Læto præfecto prætorii, facta ab eo & Electo in ipsum conspiratione, adiuuante Marcia concubina Commodo dilectissima veneno inefficaci ei prius exhibito tandem strangulatur æt. XXXII. Imp. XIII. Cadauer Pertinacis iussu translatum in molem Hadriani. Triduo post eius mortem deiectæ sunt eiusdem statuæ, aliaque monumenta quæ passim in vrbe Romana magnifica sibi posuerat. Capitol.



In primo cudendo nummo Commodus Neronem videtur imitatus: hunc ſic explicat Lampridius: *Commodus* XIV. *ætatis anno in collegium ſacerdotum aſcitus eſt; cooptatus inter troſſulos principes iuuentutis quum togam ſumpſit.* Troſſulos autem pro equitibus vſurpauit Capitolinus. Retro clypeum decuſſatim poſitæ lanceæ ſeu haſtæ equeſtrem dignitatem indicant. Has enim vt & clypeum iuuenibus Principibus offerre ſolebant Romani. 1. Salmaſius.

Sequens triumphum exhibet de quo ſic Lampridius: *Profectus in Germaniam* XIV. *calendas Ælias, vt poſtea nominauit, iisdem Coſſ. togam virilem accepit, cum patre appellatus eſt Imperator* V. *calendas Exuperatorias: Pollione iterum & Apro Coſſ. Triumphauit* X. *calendas Amazonias.* 2. In Commodo.

Tertium ſic explicat idem Lampridius, *Victi ſunt ſub eo per Legatos Mauri, victi Daci, Pannoniæ quoque compoſitæ in Britannia in Germania & in Dacia, imperium eius recuſantibus prouincialibus: Quæ omnia iſta per Duces ſedata ſunt.* 3.

Congiaria frequentia fuiſſe ſub Commodo docet Xiphilinus his verbis, *Erat is liberalis, nam & populo ſæpe aureos* V. *denarios* XV. *viritim dedit. Adhuc in prætexta puerili congiarium dedit atque ipſe in baſilica Traiani præſedit. Congiarium dedit populo, ſingulis denarios ſeptingentos vicenos quinos: circa alios omnes parciſſimus fuit, quod luxuriæ ſumptibus ærarium minuerat.* Hanc ſummam quæ vnicuique pendebatur ad LXX. ducatos aureos Erizzus æſtimat. 4. Lamprid.



Veſanum Imperatorem ſub Dei habitu exhibent huius tabellæ nummi. *Hercules Romanus dici voluit propter feras occiſas & elephantum conto & origem haſtæ transfixum.* Menſes omnes ex ſe ſic nominari voluit; Amazonius, Inuictus, Felix, Pius, Lucius, Ælius, 1. 2. 3. Xiphil. Lamprid.

Ælius, Aurelius, Commodus, Auguſtus, Herculeus, Romanus, Superans. Accepit ſtatuas in Herculis habitu, eique immolatum eſt vt Deo, quod in nummis perſpicitur. Pellis quidem leonis clauaque geſtabantur ante eum quum iter faceret, cuius etiam facit mentionem Athenæus his verbis, *Quid igitur mirum ſi Commodus Imperator apud nos in curru appoſitam habuit clauam Herculeam ſubſtrata ipſi Leonis pelle, & Herculem ſe vocari voluit.* Clauâ non ſolum leones in veſte muliebri & pelle leonis, ſed etiam multos homines afflixit. Commodum Seuerus imperator amantiſſimus nominis ſui, odio vt videtur ſenatus, inter Deos retulit, Flamine addito quem ipſe viuus ſibi parauerat HERCVLANEO COMMODIANO. Libro 12.

4. Quartus nummus Apollinem refert Palatinum, qui Cæſarum domibus præerat, quas palatia appellabant; quo ſenſu Palatinas domos Cæſarum repletas eſſe ſignis probatiſſimis teſtatur Plinius. Templum Apollinis in Palatio ſtruxit Auguſtus cum porticu & bibliotheca poſt Actiacam pugnam, qua de re erudita exſtat Propertii elegia, cuius initium eſt, Sueton.

Muſa Palatini referamus Apollinis ædem &c.

Variis in locis eius meminit Horatius

Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo &c. In Epiſt. In od. l. 1.

1. Tanta erat ambitio Commodi vt *Romam ipſam Commodianam, immortalem, fortunatam, coloniam, orbem terrarum appellaueri, volebat enim omnino vrbem ſuam coloniam videri.* Et eo quidem tempore quo ad Senatum retulit de Commodiana facienda Roma, *non ſolum ſenatus hoc libenter accepit per irriſionem, quantum intelligitur, ſed etiam ſeipſum Commodianum vocauit, Commodum Herculem & Deum appellans.* Vrbem incendi iuſſerat vt pote coloniam ſuam, quod factum eſſet, niſi Lætus Præfectus prætorio Commodum deterruiſſet. Illam primus nummus refert quemadmodum exteræ coloniæ per iugum boum à colono agitatum. Xiphilin. Lamprid.

2. Colonia Prima Flauia Cæſarienſis quæ fuerit, iam fuit explicatum pag. 296. & pag. 220. fortaſſis hunc nummum vulgauit Commodus poſt victos per legatos Mauros, vt tradit Lampridius.

Sequentes duo nummi Coloniam Aroem Augustam Patrensem 3. designant, de qua dictum est in Augusto p. 38. *Æsculapii autem cultum* 4. *ab Epidaurio ad Pergamenos, Smyrneos, Cretenses, Cyrenaïcos, omnesque fere Græciæ populos translatum* fusè scribit Pausanias; eum in Patrensium nummis celebratum minus mirandum est.

In Corinth. lib. 2.

Quam coloniam quintus indicet, ignoro. Capita enim mu- 5. liebria turrita omnibus conueniunt.

De Colonia Augusta Troade pag. 221. Equus pascitur in primo 1. nummo qui soli fertilitatem & equorum velocissimorum prouentum indicat.

Aquila suis unguibus victimæ caput gerit in sequenti quod 2. fortassis refertur ad id quod dictum est in Antonino pag. 221.

Tertii nummi typum, qui etiam similis videtur in Crispinæ 3. nummo, tribuit Tristanus Herophilæ Sibyllæ in petra exstante siue cippo vaticinari solitæ, vt docet Pausanias. Ramum lauri dextra tenet, quæ arbor multum facit ad furorem vaticinantium, vt ait Hesiodi Scholiastes. Hæc in Alexandria Troadis multum vixit & in luco Apollini Sminthio sacro sepulta est. Sminthum autem municipium quoddam erat non longè ab Alexandria Troade. Non ergo mirum quod iure vicinitatis & proprio Alexandrini Herophilæ figuram cuius memoriam colebant, & sibi putabant honorificam in suis nummis exhibuerint.

Tom. 1. p. 733.

Ideo serpentes Æsculapio consecrantur, quod hi qui medicina 1. vtuntur non dissimile quidpiam à serpentum natura patiuntur. Renouantur enim exactis morbis & quasi senectutem exuunt. simul etiam attentionem & diligentiam qua plurimum opus est Medico in curationibus serpentes designant. Quidni Æsculapio suo Cl. Galeno Pergameno Medicorum Principi, suam gratitudinis

Plutarchus.

teſtificationem per nummum Commodus dicauerit; ab illo enim curatus eſt dum faucium tumore vexaretur, vt ait ipſe Galenus. Lib. de Præcog. ad Poſthumum.

2. Lampſacus quæ ſecundum nummum cudit ciuitas erat clara & nobilis Myſiæ ad Helleſpontum. Eius typum non ſatis noui: certum eſt quidem Lampſaci coli Priapum, de quo exſtat vetus illud epigramma quod res antiquas & nummos huius operis illuſtrat.

Dodona eſt tibi Iuppiter ſacrata
Iunoni Samos & Mycena Diti,
Vndæ Tænaros æquorisque Regi,
Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis vmbilicum,
Creten Delia, Cynthioſque colles,
Faunus Mænalon Arcadumque ſiluas;
Eſt tutela Rhodos beata Solis,
Gades Herculis, humidumque Tibur.
Cyllene celeri Deo niuoſa,
Tardo gratior æſtuoſa Lemnos.
Ennæa Cererem nurus frequentant,
Raptam Cyzicos oſtreoſa diuam,
Formoſam Venerem Cnidos, Paphoſque.
Mortales tibi Lampſacum ſacrarunt.

3. In tertio nummo mulier equo inſidet, quod in quibusdam aliis obſeruauimus, fortè equeſtrem Mineruam repræſentat de qua Pauſanias. Litteræ quamuis aliquantulum detritæ Heliopolitanos fortaſſis indicant, qui aut Ægyptum aut Cæle-Syriam incolunt, in vtraque enim Heliopolis. Lib. 1. in Atticis.

4-5. De Cyzicenis dictum eſt pag. 238. & Nicomedienſibus pag. 164.

1. Iterum prodit nummus à Nicomedienſibus cuſus in alicuius templi memoriam quod fortaſſis ipſi Comodo ſacrum fuit; cuius tamen nihil me legiſſe memini.

2. Sequens eumdem typum exhibet quem ſupra vulgauimus, dum Senatus nummos edidimus pag. 5. Phocæenſes frequenter hiſce iiſdem Diis ſuos nummos ſignauere.

Pautalia quæ Vlpia in nummo nuncupatur, ſuæ adulationis 3.
teſſeram in hoc tertio nummo edit, quemadmodum olim Fauſtinæ matri Commodi. De ea dictum eſt pag. 250. Commodum Herculis perſonam affectaſſe ſupra dictum eſt ex Lampridio; quare non mirum eſt ſi aſtuti populi hanc ſibi artem conciliandi Imperatoris non neglexerunt. Vnum addam eundem eſſe Herculis habitum in nummo quam in celeberrima illa ſtatua quæ etiamnum hodie viſitur in ædibus Farneſianis.

Metropolis Cæſarea inſcribitur quarto nummo ſed plures ſunt 4.
eiuſdem nominis & epitheti. Ex ara & ſpicis veluti ex ea naſcentibus nullam certo poſſum aſſignare. Annus quidem decimus aræ inſcriptus eſt, qui aliquam feliciori & ingenioſiori poterit ſuppeditare coniecturam.

Iam idem typus prodiit & eadem inſcriptio quare vlteriorem 5.
interpretationem non aggrediar.

Primus nummus Dianam in curru venantem exhibet: velocita- 1.
tem animi quæ in venatione requiritur, & ſummam voluptatem qua per venationem Commodus oblectabatur, indicant cerui currui iuncti. Quintum ſuum librum, qui totus eſt de venatione, Iulius Pollux Commodo dicauit, Ἐπεὶ δὲ κυνηγέσιόν σοι προσήκει μέλειν, ὅτι τοῦ πιτήδευμα ἡρωικὸν καὶ βασιλικὸν, καὶ πρὸς εὐσωματίαν ἅμα καὶ εὐψοχίαν ἀσκεῖ καὶ τλ.

Capita Aurelii & Fauſtinæ ſequens repræſentat. Vtrumque parentem fuiſſe Commodi, nemo non nouit, vt de Athleta taceam. 2.
Detrimentum nummi populi nomen eripit qui nummum cudit.

Prol. lib. 5. cap. 17. Boſtra vrbs erat Arabiæ Petrææ quam Nouam Traianam nummus nuncupat. *Arabia*, inquit Ammianus, *ciuitates habet inter* 3.
oppida quædam ingentes, Boſtram, Geraſam & Philadelphiam, murorum firmitate cautiſſimas. ſitum indicat typus, camelus enim Arabiam deſignat, vt ſupra dictum eſt in Traiano pag. 175. Hanc reſtaurauit Traianus ſubacta Arabia, coloniam fecit, nomenque ſuum indidit, quod poſtea ab inſtauratore Philippo in Philippopolim mutatum eſt.

4. Templum quod in quarto nummo repræſentatur procul dubio in honorem Commodi conſtructum eſt, vbi non liquet; reliquos characteres quibus vetuſtas pepercit, Nicæenſes indicare ſuſpicor. de quibus dictum eſt pag. 225. Certamina fuiſſe Commodalia dicta docet marmor Arundellianum à Doct. Seldeno explicatum, in quo victoriæ cuiusdam Athletæ recenſentur: ea fortè à Seuero Imperatore inſtituta ſunt, Commodum in diuos referente.

5. Mulier inſidens tauro currenti ſimilis videtur in ſuperioribus pag. 181. Europam referre probabilis eſt ſuſpicio, quam integrior nummus patefaciet.

1. Byzantinos dictos fuiſſe Herculeos quemadmodum Romæos docet hic nummus. Illa fuit Commodi veſania ſe ipſum Herculem alterum prædicaſſe, populos ſuos Herculeos nuncupaſſe. De Romæis vide pag. 118. in Nerone.

2. Aliam Commodi laudem exhibet alter nummus, dum à Pallade coronari videtur: vrbis quæ nummum cuderit nullum exſtat veſtigium.

3. Adhuc Herculem repræſentant Nicæenſes in ſuis nummis dum Commodo gratulantur, quaſi poſt tot partos labores quieſcentem.

4. Trapezuntini Deum Lunum referunt, de quo dictum eſt pag. 219. Trapezus vrbs erat Cappadociæ ſeu Colchorum regionis, quæ hodie *Trebizonda* dicitur. Stephan.

5. Sebaſtenenſes quintum nummum cudere, qui è græco in latinum mutato ſermone Auguſtopolitani dicti ſunt, vt patet ex Geographis qui eumdem tradunt ſitum Sebaſtenes & Auguſtopoleos. Eius nominis vrbs erat in Armenia, nummus tamen Syriam indicat hac ſyllaba CYP. vnde Sebaſten in Syria, quæ Portus-Cæſaris dicta eſt, facile eſt coniicere.

De Adriane Tarſi dicetur in Criſpinæ nummo Pallade inſignito. 1.
Quemadmodum Herculem agebat Commodus, hoc eſt 2.
violentum & dominatorem, ita etiam Mercurium hoc eſt aſtutum.
In Commodo. *Ferebat enim caduceum quale Mercurius ſolet, & habitu Mercurii introibat in theatrum*, inquit Lampridius.

Currum triumphalem tertius nummus exhibet, ſimilem iis 3.
qui frequenter occurrunt in nummis inferioris ſæculi, circa tempora Conſtantini, ſed qualem nullus alter ſuperioris ſaltem quem viderim repræſentat.

Hercules in quarto videtur Diomedem domans Thraciæ Regem 4.
qui cum equos ſuos humana carne aleret, ab Hercule equis iisdem de vorandus obiectus eſt.

Ouid. 9. metam. *Quid quum Thracis equos humano ſanguine pingues.*

Adrianopolitani Imperatorem Commodum quaſi alterum Herculem venerantes, tyrannos & monſtra debellantem in his duobus nummis referunt; Ii autem in Thracia

Philippopolis in Thracia à Ptolomæo etiam Adrianopolis nomi- 5.
natur, quare ſuſpicamur eamdem vrbem etiam diuerſis nominibus Commodi beneuolentiam ambiiſſe. De ea ſupra dictum eſt.

Nummos litterales aut potius numerales exhibet hæc tabella: Primus & alter primum imperii annum indicant: tertius sextum: quartus decimum quintum, quintus decimum septimum. Eorum typus supra fuit explicatus, scilicet Spes, Roma, Victoria in quadriga, Iupiter. Dea quæ in primo nummo cernitur Lunam licet suspicari ob appositum dimidium circulum. Fortassis ipsa est Crispina quæ aliquam cum luna coniunctionem sic indicat. Luna enim fœcunditatis parens dicitur, quare in alio nummo Iuno dicitur Luna Samiensium ΜΗΝΗ ΣΑΜΙΩΝ. Tacere nolo quod me docuit L. 2. c. 38. Cl. Tristanus ex Artemidoro, *Coniugibus progeniem portendi, si de Luna somniauerint, præcipuè si in illa quasi in speculo se inspexerint*: quod ad nummum facere potest: Potuit enim Crispina ita somniare aut somnum fingere, ob prolis desiderium.

Crispinam Brutii Præsentis, qui bis Consul fuerat, filiam Marcus Aurelius filio Commodo celeriùs quam vellet in vxorem dedit propter bellum Scythicum. Eam Commodus iratus adulterii causa Capreas relegauit, post occidit.

Pelamides Euxini maris piſces præcipuos habes in primo num- 1.
mo, quos veluti quodam fato Byzantini Imperatorum Romanorum vxoribus offerre ſolebant. Eosdem Plotinæ Traiani priùs obtulerant, de quibus abundè dictum eſt, pag. 188. Inſcriptionem ad Byzantinorum Prætorem referri veriſimile eſt, AElium PONTICVM.

Magnetenſes ſuos nummos obtulerunt Criſpinæ ſicut Domitiæ 2.
obtulerant. Idem Sipylus idem indicat, de quo vide pag. 169. Cibele hîc indicatur ex adſtantibus leonibus, quamvis ex cœtero habitu Diana ſubintelligi poſſit.

Tarſum dictam fuiſſe Adrianem inſcriptio docet, quam Bithyniæ 3.
metropolim fuiſſe veriſimile eſt: ſed cur Palladem coluerit, aut ſub eius habitu Criſpinam, non ſatis ſcio: certum quidem eſt eamdem vrbem pari honore Commodum eſſe proſequutam vt patet ex nummo in præcedenti pagina Commodo dicato.

Epheſiorum Deam Dianam exhibet quartus nummus, quam 4.
ab Græciæ omnibus populis coli nemo neſcit. Vrbis nomen, quæ nummum cudi iuſſit, legere detritio characterum non patitur. Epheſum vrbem Aſiæ celeberrimam ſuis vſam eſſe legibus, aſylum & liberam fuiſſe palam teſtatur antiquitas, quod nummus etiam comprobat.

Germia Hadrianopoleως in Thracia contigua quintum num- 5.
mum cudi curauit. Γερμὴ πόλις Ελλησπόντια πλήσιον Κυσικοῦ ἣν Ηρωδιάνος Ασίας φήσιν, ὁ πολιτὴς Γέρμηνος καὶ Γέρμηνή. Eius typum explicare mihi difficillimum eſt. Mulieres duæ globulum imponunt columnæ, in quarum medio eſt vas quod aſſeruandis teſſeris ob aliquos ludos ibi poſitum, veriſimile eſt. Idem typus in aliis etiam nummis occurrit.

Smyrnæi inſignem aliquam Commodi venationem in num- 6.
mo notaſſe videntur. Inſidet is equo iaculum in leonem vibrans. Quod cur à Smyrnæis celebratum fuerit non ſatis ſcio, niſi cùm intelligerent Imperatorem venationi dare operam tanquam præcipuæ voluptati, populus per eam ei gratulari voluerit, quem illam deperire
Plin. lib. 5. cap. 30. nouerat.

Miletopolitani ſeptimum nummum cudi curauere. Hos inter 7.
Bithyniam & Cyzicum collocat Strabo. Erizzus nummum illorum vulgauit quo Commodum celebrabant: noſter Fortunam in auerſa parte exhibet, quæ vt alibi ſolet, temonem dextrâ, & cornucopiæ ſiniſtrâ tenet. Num aliquo beneficio illos affecerit Criſpina, vt ob id illa ab iis Fortuna dicta ſit, ignoro. Certum eſt quidem Græcos ſæpè Imperatorum liberalitatem per vxores, liberos aut chariora capita prouocaſſe. Felicis facit mentionem Commodi nummus ΕΥΤΥΧΟΥϹ nomine, qui fortaſſis in hoc nummo occurrit, niſi ad ſacram Fortunam id referre magis placeat.

IMperator appellatus est HELVIVS PERTINAX post Commodum interfectum, sexagenario maior. Erat vir bonus, statura imperatoria, eloquentia mediocri, optimo ingenio & robusto corpore præditus. Imperium adeptus Princeps senatus vetere consuetudine vocatus est, tum vero corrigere omnia cœpit quæ fierent sine ordine & modo: humanitas enim & probitas & optima administratio rei familiaris ac prudentia in publicis rebus gerendis, cuncta pari diligentia in hoc Imperatore cernebantur. Is dum conatur omnia emendare, breui temporis spatio à Læto Præfecto qui eum Imperatorem fecerat, est confossus in Palatio, Didio Iuliano conscio. Neque nouerat homo multarum rerum peritus, multa simul tuto corrigi non posse, sed si quid aliud in rebus humanis, tum in primis ciuilem statum tempore egere & consilio: hic doctrinæ omnis ac moribus antiquissimis, immodicè parcus, Curios æquauerat Fabricioſve. Vixit annos LXVII. Aur. Victor. Regnauit menses IV. à Seuero inter Diuos relatus est.

Prouidentiam Deorum exhibet primus nummus, quam ſibi imperium detuliſſe teſtatur Pertinax. *Prouidentia eſt voluntas Dei,* inquit Gregorius Nazianzenus, *huic quidquid agimus, debemus.* Globum quo regimen orbis ſignificatur ipſi delatum eſſe Diis volentibus nummus indicat. 1.

Orat. 1.

Lætitia temporum beatitudo populorum eſt, inquit Caſſiodorus, vtrumque ſecundus nummus indicat, Pertinace ſumma rerum potiente poſt mortem Commodi, omnium ordinum conſenſu. Narrat Zonaras *tantam tunc fuiſſe populi Romani lætitiam, vt vicos vrbis coronis ſtrauerit*, quod nummum illuſtrat. Dea etenim iuuenis & gratioſa coronam tenet floribus & frondibus refertam. 2.

Lib. 1. Epiſt. 20.

Tertius nummus Imperatoris virtutem celebrat qui ſemper æquiſſimus fuit: *mitiſſimum & humaniſſimum* nominat Capitolinus: *Sanctius eſt*, inquiebat Pertinax, *inopem rempublicam obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcrimina atque dedecoris veſtigia peruenire.* 3.

In Pert.

Solebant Imperatores Romani vota ſuſcipere & exacto tempore illa ſoluere: Vota ſuſcipit Imperator Pontificis habitu quibus ſoluendis obſtitit imperii breuitas, quamquam Capitolinus illum ſoluiſſe in Capitolio autor ſit, ſed fortaſſis alia de cauſa. 4.

Quintum nummum illuſtrat inſcriptio apud Gruterum, 5.

Pag. 26.

OPI DIVINÆ
ET FORTVNÆ PRIMIGENIÆ SACRVM
IMP. CÆS. HELVII PERTINACIS AVGVSTI &c.

Gratias agit Imperator OPI DIVINÆ quod eam & Fortunam proſperas ſemper habuerit, qui gente vilis ad Imperatoriam dignitatem fuerit euectus. Qualis fuerit Ops ſiue Cybele ſupra dictum eſt. Plura ſi cupis adi Gregorium Gyraldum de Diis gentium.

MARCVS DIDIVS SEVERVS IVLIANVS vir ſenex, guloſus, aleator, ſuperbus, & armis gladiatoriis exercitus, imperium à militibus mercatus, quibus fidem non præſtitit, quam ob cauſam contemptui habitus militibus infenſus à populo contemnebatur. Autoritate Senatus ei imperium abrogatur, miſſique à ſenatu qui eum occiderent: à quodam gregario milite inter fœdiſſimas complorationes ab omnibus amicis deſtitutus, trucidatus eſt imperii ſui menſe ſecundo, die quinto poſt interfectum à ſe Pertinacem, æt. LX. Corpus eius vxori traditum eſt ad ſepeliendum.

Multa paſſim de Fortuna ſupra dicta ſunt, quæ fruſtra repeterem. Hanc ſibi proſperam optabat Iulianus quam à militibus pretio conduxerat. Erat is pecunioſiſſimus, inquit Dio, & præſentibus nummis imperium à militibus prætorianis venundatum ſoluerat. Breuitas imperii raros effecit eius nummos aureos & argenteos; frequentiores ſunt ærei maiores, rariſſimi mediocres, de quibus hic agitur. In Iulian.

MANLIA SCANTILLA Didii Iuliani Imperatoris vxor fuit: ab hac perſuaſus imperium ſuſcepit: hæc poſtea à Senatu Auguſta eſt appellata, cum filia Didia Clara. Iunonem auerſus nummus exhibet, quæ quod eſſet omnium Deorum mater, vt ait Seruius, ideo Regina nuncupabatur, ſic Virgilius, Lib 1. Æneid.

Aſt ego quæ Diuum incedo Regina, Iouisque
Et ſoror & coniux.

Hæc imperatoria dignitate non contenta Auguſtæ cognomen præter cœteras & Reginæ Iunonis gloriam auide optauerat, quam indicat pauo in nummo ſcalptus quemadmodum aquila poteſtatem Imperatorum & Iouis maieſtatem.

CAIVS PESCENNIVS NIGER IVSTVS, Equeſtris ordinis homo, ſtatura fuit procera, forma decorus, ore verecundo ac ſemper rubido, ceruice adeo nigra vt ab ea Nigri nomen acceperit, cetera corporis parte candidus, pinguis, capillo ad gratiam in verticem reflexo. Miles optimus, Tribunus ſingularis, Dux præcipuus, Legatus ſeueriſſimus, Conſul inſignis, domi forisque conſpicuus, Imperator infœlix, ita appellatus ab exercitu Syriaco poſt Iulianum necatum. Eius exercitus Æmiliano Duce ad Cizycum à Seuero fuſus fugatusque, deinde apud Iſſicum ſinum, vbi quondam debellatus erat Darius ab Alexandro Magno, inſignis ſtrages edita. Niger fuga dilapſus, Antiochiam peruenit, qua capta ad Euphratem confugit; quem inſecuti Seueriani in ſuburbano quodam latitantem equites repererunt, & caput eius amputatum piloque affixum Byzantium miſerunt cruci affigendum. Filii eius cum matre in exilium acti & paulo poſt occiſi, omneſque illius amici ſupplicio affecti. Obiit æt. anno LVIII. Illum calumnioſè vocauit Victor, virum omnium turpitudinum: Cuius contrarium vulgauit Apollinis oraculum de Nigro, Seuero & Albino conſultum, qualis foret optimus Imperator,

Spartian.

Herodian.

Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peſſimus Albus.

Quam ſint rari huiusce Imperatoris nummi norunt omnes qui nummos tractant, ex quocumque ſint metallo: at æreos ſupra argenteos raros eſſe, certum eſt, cum in cimeliarchiis aſſeruatos compererim ſupra viginti ex argento, & vnus tantum aut alter occurrat in ære. Rationem ſuppeditat imperii breuitas, & quòd in Oriente regnauerit. Cæſarea Germanica, Comagenes vrbs erat non ignobilis, de qua Ptolemæus: Γερμανικεία, inquit Stephanus, πόλις Ευφρατησίας, *Germanicia vrbs eſt in Syria Euphratenſi.* Hæc fortaſſis ideo nummum cudit quod victoriam aliquam contra Seueri legiones in hac regione reportauerit; quamuis enim nulli Authores quod ſciam eius mentionem faciant, arguit & probat is quem poſſideo ex argento nummus Peſcennii Nigri; quem tum propter inſcriptionem tum propter eximiam raritatem hic ſcalpi & apponi curaui.

Lib. de vrbibus.

Priorem nummum ſequens illuſtrat, in quo legitur Cæſaream eſſe caput prouinciæ, Metropolim vocabant. Stat Fortuna coram figura ſedente cuius caput turritum eſt: videtur hæc Cæſarea quam iubet Fortuna bene ſperare pro Peſcennio, cui fauebant omnes Orientis vrbes. Coniecturam firmat alter nummus quem poſſideo ex argento, in quo Fortuna eodem planè habitu cernitur, quem ideo hic vulgaui. Conueniunt & aliorum Peſcennii nummorum inſcriptiones in quibus Spei Bonæ. aut Bonvs Eventvs cernuntur. Spei tamen euentus defuit, victus enim fuit Peſcennius, & interfectus. Diſſimulandum non eſt hos duos quos hic vulgauimus Peſcennii nummos ex ære, paulò maiores & grauiores eſſe quam ſoleat æs mediocre, quare ad æs magnum referri non debere non contenderem.

DECIMVS CLODIVS SEPTIMIVS ALBINVS nobilis Romanus, Adrumeti in Africa natus, ſtatura fuit procera, capillo criſpo, fronte lata, admirabili candore, voce muliebri, ad ſonum eunuchorum. Cum Seuerus aduerſus Peſcennium exercitum duceret, metuens ne Albinus qui tum exercitui Britannico præerat, cum exercitu Romam conueniret, eum Cæſarem prius, poſtea imperii conſortem fecit. Victo Peſcennio primum inſidiis eſt petitus, quibus detectis, manifeſtè contra eum exercitum duxit, multisque præliis vario marte acerrimè pugnatum, vltimo prælio Lugduni commiſſo fuſæ ſunt Albini copiæ. Ipſe ſauciatus à militibus captus, ſemiuiuus ad Seuerum ductus, cuius abſciſſum caput pilo prius circumlatum, Romam miſſum publico patibulo affixum eſt. Corpus eius ante prætorium ad fœtorem iacuit, laceratumque à canibus, & in profluentem coniectum.



Quem cernis Deum in primo nummo Mercurius erat in Galliis præcipue cultus, vt ſummus mundi Genius, fœcunditatis omnis generis parens, quare Frugifer cognominabatur. Is tridentem coniungit caduceo, qui piſcium abundantiam, maris diuitias & commercii ſecuritatem deſignant. *In Mercurio ſolem etiam coli ex caduceo claret*, inquit Macrobius, *quod Ægyptii in ſpecie draconum maris & fœminæ coniunctorum figurauerunt Mercurio conſecrandum.* Per caduceum autem concordiam, & harmoniam rerum omnium terreſtrium repræſentabat antiquitas; Infra dicetur circa caducæum in Poſtumi nummo qui etiam in Galliis regnauit, eamdem legi inſcriptionem, SÆCVLO FRVGIFERO. 1. lib. 1. Satur. cap. 19.

FELICITAS quæ in ſecundo nummo legitur, lætitiam Romanorum deſignat, qui felicia omnia Albino precabantur. Is enim ob morum facilitatem & ſumma merita Senatui populoque Romano erat gratiſſimus, exoſo per omnia Seuero quem crudeliſſimum arbitrabantur: teſtantur eius nummi nota S. C. inſigniti. 2.

Æſculapium frequenter exhibent Imperatorum Romanorum nummi, quod eiusmodi cultu Deum ſibi proſperum conciliare putarent, ſanitatem optimum Naturæ donum tuendo aut reſtituendo. Deinde, vt ait Spartianus, Albinus erat voracitatis maximæ, quam obſtructionum, intemperiei & morborum parentem eſſe paſſim docet Hippocrates, quibus vitandis Æſculapio litabatur. 3.

FORTVNÆ REDVCI quam exhibet quartus nummus gratias agere ſolebant Romani, dum Imperatorem ſuum ex diſtantibus prouinciis reducem ſalutabant: id probant Auguſti, Veſpaſiani, Traiani, Hadriani Antonini, Aurelii, Veri, Commodi numiſmata. Sed quod ad hos attinet hæc inſcriptio, gratiarum eſt actio; quod vero pertinet ad Albinum votum eſt: nam & hunc Romam ex Galliis peruenire peroptabant, nec vnquam ab eo die quo Imperator ſalutatus eſt, Romam peruenire potuit. 4.

SEPTIMIVS SEVERVS vir fuit decorus, promissa barba, cano capite & crispo, vultu venerando, canorus voce, bellicosus, liberalis, litteratus, ac insignis Mathematicus. Iuliano interfecto Romam armatus mirifico apparatu ingreditur, amicos Iuliani neci dat, eos qui Pertinacem occiderant morte mulctat, prætorianos vrbe eiicit, decreuit & iurauit de non interficiendis Senatoribus, quod non præstitit. Nigro bellum intulit, contra eum Antiochiæ tunc degentem exercitum educit, eundem bis prœlio victum interficit. Eo occiso Byzantium triennio obsessum vastat & agrum Perinthiis adiudicat. Albinum Cæsarem in Galliis post varia prælia profligat. Romam redit, & maiorem suum filium Cæsarem declarat, cui cum Parthos, Arabes, Adiabenosque vicisset triumphum concessit. Orta in Britannia dissensione ad eam sedandam cum ambobus filiis expeditionem suscepit, sed decrepitus & articulari morbo vexatus, Eboraci è vita discessit. Antequam moreretur fertur hæc dixisse filiis, Facite vt conueniat inter vos, locupletate milites, ceteros omnes contemnite. Vixit annos LXV. regnauit XVII. Ossa in vrna Romam perlata sunt, & in Antoniano reposita sunt. Ad eam vrnam paulo ante obitum dixerat, Tu virum capies, quem totus terrarum orbis non cepit.

Πάντα ἐγενόμην καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ.

Omnia fui & nihil expedit.



Priusquam Seuerus in Asiam properaret, primum hunc nummum i. cudi curauit, Herculem & Bacchum repræsentantem; Illum vt tyrannorum domitorem, hunc vt Indiarum triumphatorem coluerant veteres. Vtriusque auspiciis & Pescennium Nigrum & Parthorum Regem, aliosque Nigro fauentes, victurum se non dubitabat, quod eleganter demonstrat typus. Seuerus enim promissa barba & in Herculis modum clauam dextra tenet, sinistra exuuias ferens. Bacchus iuuenis qui per cantharum, pantheram & thyrsum innotescit, Seueri maiorem natu filium Bassianum Caracallam exhibet, quorum fortitudine bellica veluti DIS AVSPICIBVS omnia prospere cessura significabantur.

Coniectura est in Ludis sæcularibus, quos post aliquot annos 2. Seuerus celebrauit, Deorum suorum auspicum meminisse, in quorum memoriam & venerationem templa erexerat, sacrificia instituerat, nummos cuderat. Narrat quippe Xiphilinus, *Seuerum* In Seuero. *quamuis in sumptu parcissimum Herculi & Baccho templum maximum ædificasse.* De ludis sæcularibus abunde dictum est pag. 158. *Seuerus cum anni* CX. *adpetiissent, cum filiis Antonino & Geta ludos eosdem ordinauit,* inquit Zosimus; Quamquam popularis esse in primis volebat edendis omnifariam magnificentissimis spectaculis, Herodian. lib. 3. centenis etiam sæpe numero occisis belluis, quas omnibus regionibus nostris, barbarisque conquirebat. Sed & congiaria dedit vberrima, & certamen proposuit, vndique accitis ludionibus atque athletis. Vidimus item sub illo quosdam omnis generis ludos, cunctis editos theatris, simulque supplicationes & peruigilia ad formam Cereris initiorum. Sæculares hi tunc appellabantur, celebrati vt aiunt decurso trium spatio ætatum. Siquidem vrbe tota atque Italia præcones itabant conuocatum omnes ad ludos quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodo forent: itaque scilicet interuallum præteritæ futuræque celebritatis supra omnem esse hominum ætatem significantes. Hæc Herodianus. Octauum itaque Seuerus ludos Dio. sæculares celebrauit, anno Vrbis DCCCCLVII.

Eius templi formam fortassis repræsentat tertius nummus in 3. quo Hercules inter duos angues victor stat.

4. Quartus Fœlicitatem ſæculi per Seuerum, Iuliam, Caracallam & Getam exhibet, illos concomitante Liberalitate, quæ populum ſemper allicit, fœlicemque videtur efficere.

5. Occiſo Pertinace Legiones Illyrici imperium Seuero detulerunt quæ fideliſſimæ ipſi perpetuo fuerunt, acriterque pro eo in Peſcennium & Albinum pugnauerunt. Earum fides per hunc nummum celebratur.

1. Victoriarum Seueri hæc ſint monumenta. Victoria Britannica clypeo arbori appenſo ſuam ſcribit ſymbolam. Seuerus Heraclitum ad obtinendas Britannias miſit, inquit Spartianus. dein de ipſe poſt aliquot annos, quod maximum eius imperii decus eſt, muro per tranſuerſam inſulam ducto, vtrimque ad finem Oceani muniuit, vnde etiam Britannici nomen accepit. In Seuero.

2. *Circa Arabiam plura geſſit, Parthis etiam in ditionem redactis, nec non etiam Adiabenis, qui quidem omnes cum Peſcennio ſenſerant, atque ob hoc reuerſus triumpho delato appellatus eſt Arabicus, Adiabenicus, Parthicus :* quod indicat VICTORIA PARTHICA MAXIMA quæ expreſſis verbis in argenteo eius nummo legitur, cœteræque quas alii exhibent nummi. Spartian.

3. Tertium nummum illuſtrat locus Taciti, *In veſtibulo Capitolii omiſſas habenas biga cui Victoria inſtiterat.* Lib. 1. hiſt.

1. Teſtes ſint hi nummi amoris S. P. Q. R. in Seuerum. Primus cuſus eſt poſtquam Seuerus reſtituit omnes fere ædes publicas quæ temporum vitio labebantur. *Noua enim ædificia extruxit, vetera reſtituit*, inquit Xiphilinus, *inter quæ Septizonium & thermas Seuerianas.* Ob ea Seuerus appellatus eſt RESTITVTOR VRBIS. Typus vrbis Genium repræſentat, vt ſolet, victricis habitu. Spartian.

Cartha-

Carthaginienſibus plurima indulſit, inquit Spartianus, quod 2.
ſecundum nummum explicat. Indulgentia autem apud antiquos
remiſſio erat tributorum ex annonis, quam Seuerus Carthaginienſibus
Baron. lib. V. fecit. Ita D. Ambroſius his verbis, *Nihil glorioſius exitus tanti Principis habuit,* (de Theodoſio loquitur) *qui cum omnia iam filiis tradidiſſet, regnum, poteſtatem, nomen Auguſti, nihil inquam ſpecioſius ei in mortem ſeruatum eſt, quam quod immane quantis promiſſa annonarum exigendarum relaxatio, dum moratur, facta eſt ſucceſſio eius* INDVLGENTIARVM *hereditas.* Trium Principum erga Vitellium indulgen-
In Vitell. cap. 5. tiam commemorat Suetonius. Numeretur hic Seueri beneficium
De Cenſib. Lib. I. Tit. XV. Gruter. pag. 254. quod legitur in Digeſtis, *In Africa Carthago à Diuis Seuero & Antonino, iuris Italici facta eſt.* Cœterum in inſcriptionibus antiquis frequenter Principes dicti ſunt Indulgentiſſimi, ſic Antoninus in marmore antiquo.

Gaudium publicum teſtatur tertius nummus, quem ſic explicat 3.
Xiphil. Dionis abbreuiator. *Occiſo Iuliano Seuerus in vrbem venit, quumque ſediſſet in equo vsque ad portas vrbis amictus veſte equeſtri, inde vrbana indutus, pedibus introiit. Comitabatur eum omnis exercitus, pedites equitesque armati conſequebantur: fuitque illud ſpectaculum omnium quæ vidi vnquam magnificentiſſimum,* &c.

Portum habes in quarto turribus magnificis ornatum: portum 4.
autem eſſe non pontem, vt multi putant, indicio eſt nummus in
Traiano expoſitus pag. 177. ſpecie perſimili, tum & agger in ſemicirculum ductus qui portui quam ponti longe ſimilior eſt: nam amplas futuras fuiſſe fauces fluminis credibile eſt, in cuius vtraque ripa turris gemina ædificata fuerit: at his ripis ponte coniungendis non eſt verisimile pontem vnius arcus ædificatum fuiſſe & ſtare potuiſſe. Eum vltro indicat nauicula cum rectore, tutum eſſe tum nauibus aſylum quem Seuero debere demonſtrat: qualis ille ſit, nummus non docet: Suſpicio eſt illum eſſe quem Seuerus reſtituit apud Cæſarienſes in Paleſtina.

Onirocrit. cap. 79. Nauis deſignat Salutem quæ tranquillitatem maris, benignita- 5.
tem Imperatoris & ſecuritatem populorum inducit.

1. Ioui Optimo Maximo Heluio Colonia Heluia legitur in primo
2. nummo, quem coloni gratias agentes fuæ coloniæ fundatoribus Pertinaci & Seuero obtulerunt. Ea erat in Piceno: quamuis eius origo obſcura ſit, coniectura eſt hoc illi nomen inditum fuiſſe à Seuero in honorem Heluii Pertinacis, cuius memoriæ alios etiam detulerat. *Funus enim cenſorium*, inquit Spartianus, *Pertinacis imagini duxit, eumque inter Diuos ſacrauit, addito Flamine & ſodalibus Heluianis qui Marciani fuerant, ſe quoque Pertinacem vocari iuſſit* &c. quod ex nummis patet. In Seuero.
3. Quæ fuerit Colonia Avgvſta Troas dictum eſt in ſuperioribus pag. 221. Veriſimile eſt obſeſſo aut capto Byzantio vicinas ciuitates & præcipuè Romanorum colonias victoris animum ſibi conciliare conatas, à quo ſuam expectabant conſeruationem, & fortaſſis diruti Byzantii campos, quòd Perinthiis contigit.
4. Mvnicipium Stobensium explicatum fuit pag. 143. quid illi cum Seuero, non ſatis ſcio. Ei tamen, Iuliæ vxori, & filiis Caracallæ & Getæ ſuos nummos dicauerunt, eodem typo nempe Victoriâ inſignitos, vt ſuo loco dicetur.
5. *Antiochienſibus iratior fuit Seuerus, quod & adminiſtrantem ſe in Oriente riſerant, & Nigrum etiam victu iuuerant*, inquit Spartianus. Placando Seuero, aut illi pro venia conceſſa gratias agendo, nummum fuiſſe conditum, probabile eſt.

Colonia Latina Iulia Corinthus hic ſignificatur, cuius iam multa ſupra vulgauimus numiſmata. Ad typorum explicationem faciunt quæ dicta ſunt in M. Aurelio pag. 236.



Æſculapius in nummo Acraſiotarum videtur qualis apud Romanos & Græcos colebatur, ſerpentem intortum baculo dextrâ tenens, togam ſiniſtrâ ſubleuans. Mos erat populis illum precari pro ſuo Imperatore. Quinam fuerint Acraſiotæ hi qui nummum cuderunt, difficile eſt coniicere propter varias vrbes eiusdem nominis. Acra quidem eſt in Sarmatiæ iſthmo paludi Mœotidi vicina, atque hanc fuiſſe ſuſpicor, ob vicinam Pannoniam cui Seuerus præfuerat: Hanc autem prouinciam vicinasque vrbes Seuerum præter cæteras coluiſſe patet ex nummis. Plautillæ etiam Seueri nurui eiusdem vrbis nummus oblatus eſt cum Dianæ Epheſiæ typo, quæ Aſiæ viciniam indicare videtur.

Tres nummos ſequentes cudi curauere Philippopolitani in Thracia, de quibus dictum eſt pag. 253. Bachus cum pardo, vua & bos, ſoli fertilitatem & vinorum abundantiam denotant. Notandum porro eſt quod hæc vrbs à quibusdam autoribus Botrus dicta eſt; quare ſuſpicio eſſet vuam racemi hac de cauſa in nummo ſignatam eſſe, quæ Græcis βότρυς dicitur.

2. 3. 4.

5. Idem Bachus nummum Marcianopolitanorum illustrat, quos Philippopolitanis proximos iuxta Pontum Euxinum nemo nescit: *Dein Mysia*, inquit Ammianus Marcellinus, *vbi Marcianopolis est à sorore Traiani Principis cognominata.* Hanc ferunt Traianum ad honorem suæ sororis Marrianæ condidisse, cum didicisset ex ipsius manibus in præterfluentem amnem auream peluim excidisse, & rursus se dolenti Dominæ ex profundo sponte reddidisse: Itaque Traianus numini loci gratificaturus eam condidit ciuitatem. Quis fuerit Gentianus sub cuius nomine prodiit nummus, ignoro; nec multum interest.

Lib. 27.

Iornandes Getic. c. 16. Io. Magnus Hist. Goth. lib. 5. c. 18.

6. Tomi, Mœsiæ inferioris oppidum plus claruit exilio illustris poëtæ Ouidii quam alia commendatione, quamuis Ponti vocetur Metropolis: Hic illam Miletidam nominat, quod Milesiorum esset colonia. Kiouiam vrbem celebrem hodie nuncupari autumant quidam recentiores ex lacu vicino Ouidii nomen ferente.

L. 1. Tristiũ Eleg. 9.

7. Vlpiæ Pautaliæ mentio facta est in superioribus pag. 251. Aquila globo insistens coronam rostro gerens, summam orbis potestatem denotat, quam suis victoriis acquisiuerat Seuerus.

8. Toties de Thessalonicensibus & Seleucia Pieriæ diximus, vt iis
9. aliquid addere superfluum sit.

10. Occo primum, Tristanus deinde Augustæ Traianæ meminerunt: vterque Cybelem leoni insidentem exponit. Occo quidem nihil explicat, Tristanus autumat Traianopolim eam fuisse quæ Augusta Traiana à posteris dicta est. Eius coniecturæ fauet nummus noster, ex quo inuersis characteribus Hebræorum & Arabum more à dextra ad sinistram insignito, licet suspicari in remota aliqua ciuitate nummum fuisse conditum. Traianopolis autem in Phrygia superiori, de qua Ptolemæus, seu Salutari vt tradit quinta synodus Constantinopolitana. Diana venatrix in tota fere Asia colebatur.

Lib. 5. c. 2.

Horum autem nummorum coniunctionem cum Seuero vix video, præter quod Illyricum & Pannonias rexerat, quarum ciuitates & vicina loca gratum illi animum per suos nummos testatas esse verisimile est.



Fœdus Imperatoris Romani & Edeſſenorum Regis duo primi nummi demonſtrant, quo Parthorum Regem ſimul aggredientes percuſſerant. Abgarus Seuero filios ſuos obſides dederat; ſagittarios plurimos & exercitum Romanis iunxerat, quibus vsque ad Cteſiphontem gloriosè peruentum eſt. Cum Romam inde veniſſet non diſſimili pompa ac Neronis temporibus Tiridates, REX MAGNVS à Seuero dictus eſt ΒΑCΙΛΕΥC ΜΕΓΑC, quod in nummo legitur. Hunc autem cum Seuero copias coniunxiſſe mirum videri poteſt, cum à Seuero victum fuiſſe Spartianus, & Aur. Victor affirment; ſed fieri poteſt vt vel ante hanc coniunctionem bello confecto Abgarus cum victore Seuero fœdus inierit, vel poſt fœdus & belli aduerſus Parthos ſocietatem diſſociatis animis, vt ſæpe fit, inter Seuerum & Abgarum bellum exarſerit; prior coniectura videtur veriſimilior. De Abgaris vide quæ dicta ſunt pag. 240.

Herodian. lib. 3.



Caput Iuliæ in medio templo videtur, non tantum vt Imperatoris vxor, verùm vt Dea FORTVNA cuius nutu res humanæ voluuntur. Sic alterum nummum Cl. Triſtanus dum Iuliam in templo cum titulo Seruatricis vulgauit: Quamuis enim in neutro vrbis nomen legatur quæ nummum cuderit, probabile eſt aliquam Syriæ ciuitatem è qua Iulia orta erat, ſalutem ſuam & fortunam ſuam eius coniugio acceptam retuliſſe. Cum enim omnes fere Orientis ciuitates Peſcennio fauiſſent, nonniſi euerſionem & ruinam illo victo expectare debuerant, niſi Fortuna quædam illas ſeruaſſet, quod Iuliæ tribuunt. Criſpina etiam dicta eſt Fortuna à Miletopolitanis, cum temone & cornucopiæ; ſcalpturam vulgauimus ſupra pag. 267. Alterius nummi Iuliæ meminerunt Goltzius & Occo cum hac epigraphe ΤΥΧΗ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ, quod ad rem noſtram facit. Vt alter iſte

Comment. hiſtoric. tom. 2.

iſte à Triſtano commemoratus quem ſcalpi & hìc apponi curaui: in eo caput Iuliæ conſpicitur in medio templo, quod circundat hæc inſcriptio KOINON ΣΥΡΙΑC & ea rem dirimit; quid enim indicaret, niſi hoc templum cum illa Iuliæ ſtatua coloſſica à communitate Syriæ in eius honorem ædificatum fuiſſe. De Iulia, plura ſuo loco dicentur.





Pathmos Icarii maris inſula, Diui Ioannis exilio clara fuit, in qua Apocalypſin conſcripſit, cùm ab Imper. Domitiano eò pulſus eſt. Populorum qui in nummis antiquis ſignati ſunt nomina fere omnia in genitiuo caſu leguntur, hìc res aliter ſe gerit, cùm legatur meo quidem judicio EN PATHMO. Certè rariſſimus eſt nummus, quem in honorem Seueri cuſum eſſe inſcriptio docet. Auidè cuperem eius typi explicationem noſſe. Miles ſtat ſuper aram, enſem dextrâ tenens, ſiniſtra clypeum & lanceam, aras habet, hinc inde duas. Hunc militem opinantur plures eſſe Martem, militum Ducem & belli Deum: ſed id non ſatis placet, mallem ad Jouem referre, quamvis ſic armatus eſſe non ſoleat. Ad eius coniecturæ illuſtrationem ſtatuam incidi curaui, quam quidem in priuatis ædibus cultam fuiſſe ſuſpicor: nec enim publicos tantùm Deos, ſed priuatos etiam & familiares & ſuos tunc temporis colebant. Plinius Strabo.

Signum eſt antiquum ex marmore albo, in portu Maſſilienſi repertum. Coniectura eſt à Græcis Phocæenſibus deportatum fuiſſe, quorum Maſſilia noſtra colonia eſt, quod vel naufragio vel aliquo alio infortunio ſubmerſum eſt. Aſſeruatur hodie in eo nobiliſſimo cimeliarchio Stutgardienſi, quod Sereniſſimus EBERHARDUS Dux Wirtembergenſis &c. nummis antiquis & recentioribus, libris, gemmis, ſtatuis, operibus antiquis & vno verbo omni cimeliorum genere adornari curauit. Princeps in tantum laudandus, in quantum probitas poteſt, humanitas & magnificentia. Id olim mihi acceſſerat dono Illuſtriſſimi Lomenii Briennæ Comitis, Regi Chriſtianiſſimo à conſiliis, actis & epiſtolis: Ad ſignum redeo; Id Iouem celebrat Dolichenium penè ignotum, niſi eius mentionem facerent aliquot aliæ inſcriptiones antiquæ à Grutero commemoratæ, è quibus hanc ſelegimus, quæ ad rem noſtram plurimùm facit: Pag. 20. & 22.

ΚΑΤΑ ΚΕΛΕΥΣΙΝ ΘΕΟΥ ΔΟΛΙΧΗΝΟΥ
ΑΝΕΣΤΗΣΑ ΚΑΤΑ ΘΗΝΕΟΥ ΤΟΥ ΙΕΡΟΥ
ΜΑΡΚΟΣ ΟΥΛΠΙΟΣ ΚΑΙ ΟΥΙΟΣ ΜΑΡΚΟΣ ΟΥΛΠΙΟΣ ΑΡΤΕΜΩΝ.

Fragmentum visitur Romæ in vinea Episcopi Neapolitani, *in quo taurus est super quo quidam, nescio an ipse Deus*, inquit Smetius, *soccatus barbarè &c.* Soccos autem quæ in marmore nostro signatæ sunt, pro ocreis vsurpatos fuisse docent, qui rem vestiariam antiquorum tractauêre. Noster insuper Iupiter Dolichenius galeam habet in capite, gladium expansum è latere pendentem, spatham vocabant, quæ tortassis nomen gallicum indidit, *Espadon*; Paludamento & vestitus & ornatus est Græcorum more, in cuius medio cernitur caput Medusæ; quod frequenter eodem loci sibi apposuerunt Imperatores Romani, vt probant antiqui nummi, præsertim ejusdem Seueri & Caracallæ. Taurus adest Ioui immolari solitus, aquila inter eius pedes alis expansis, ne quid desit quod Iouem potuerit indicare. Cæteris tamen pretiosior est inscriptio quam DEO DOLICHENIO OCTAVIUS PATERNVS fieri curauerat EX IVSSV EIVS PRO SALVTE SVA ET SVORVM. Eum religionis morem adhuc hodie plures imitantur Christiani, cùm frequenter imaginibus vel Deo vel ejus Sanctis dicatis id adscribunt EX VOTO. Doliche autem est vrbs Comagenes regionis, in Asia. Aliquot huic addidi signa antiqua in agris nostris Gallicis reperta, eaque elegantissimæ scalpturæ. Primum videtur Floram repræsentare. Alterum caput galeatum Martis vel militis, in cuius cauitate duodecim priorum Cæsarum nummi ex argento reperti sunt. 3. Genium alicuius vrbis repræsentat: Quartum tortassis ministrum Sacrorum.



Græcorum adhuc populorum nummos exponit hæc tabella. In primo stat Hercules dextrâ clauam, sinistrâ poma tenens, sed à quibus cusus fuerit non satis liquet, nihil enim apud antiquos Geographos de VTIRANIS repperi. Inter nummos quidem Iuliæ Seueri vnum vulgabimus in quo TYPANΩN scriptum est, num id vtrumque explicat; sed certè diuersi characteres in vtroque sunt integerrimi. 1.

An secundus Samosatam Comagenes vrbem denotet, non audeo affirmare, ob postremorum characterum erosionem. 2.

Pergæ siue Perga quæ tertium nummum cudit vrbs est Pamphiliæ mediterranea. Diana vbique terrarum fere colebatur, at in Asia minore præcipuè. Nummum argenteum ex maximo modulo cis paucos menses vulgabimus in THESAVRO nostro, in quo templum DIANÆ PERGEÆ consecratum cernitur. 3.

DEO · DOLICHENIO ·
OCT · PATERNVS · EX · IVSSV · EIVS · PRO · SALVTE ·
SVA · ET · SVORVM ·

Post paginam [illegible]

F. Ch. ∂.

4. Quartus videtur in diſſitiſſimis regionibus cuſus ob ſcalpturæ modum: ſuſpicor Abaſinos Arabiæ gentem, cuius meminit Stephanus. Coniecturam firmat Iupiter ſedens qui in Ægypto & Arabia ſupra cœteros Deos colebatur.

5. Difficilius eſt quinti explicationem attingere, cuius tamen typum in ære incidi curauimus, quo alterum etiam detritum citius poſſemus inueſtigare & certiùs explicare. Seuerum qui diu imperauit ad fines vsque terrarum à populis cultum fuiſſe tot nummi demonſtrant, vt eos gratam eius recordationem poſteris ſuppeditare voluiſſe veriſimile ſit.

1. Honores Iuliæ delatos exhibet hæc tabella. In primis quidem
2. nummis ſacrificium pingitur iuxta fores templi. Quatuor figuræ muliebres vel interdum ſex illud celebrare videntur, quod in cœteris nummis vix occurrit. Fortaſſis Veſtales ignem æternum ſeruant.

3. Mater Castrorvm nominatur in tertio, non eâ ratione qua olim eodem titulo Fauſtina nuncupata fuerat, *Eam enim*, inquit Capitolinus, *Diuam Marcus à Senatu appellatam gratulatus eſt, quam ſecum in æſtiuis habuerat, vt Matrem caſtrorum appellaret*; ſed quod S. P. Q. R. ei tanquam Fauſtinæ filiæ eosdem honores deferret. Cùm enim Seuerus, Aurelii filius appellari voluerit, hunc probabile eſt vt ſibi paternum, ita mulieri maternum nomen affectaſſe: iſtius tituli mentio frequens eſt in inſcriptionibus antiquis, ex quibus hanc vnam ſelegimus. In Aurel.

Gruter. inſcript. pag. 266.

IVLIÆ AVG.
MATRI CASTRORVM

Sequentem nummum illuſtrat Luna in curru quem interdum 4.
Baſſus. equi trahunt, interdum tauri: Ideo bigis Luna vehi dicitur, ſiue ob velocitatem ſiue quod die ac nocte apparet, quod equo albo & equo nigro ſignificatur. Lunam apud inferos Proſerpinam vocauerunt, ſeu quod nocte luceat, ſiue quod humilior currat & terris præſit, vnde boues ad currum eius iunctos fuiſſe aiunt. Iuliam Lunæ comparabant Romani, vt Soli Seuerum & Orienti Caracallam, quorum typi exſtant in nummis antiquis. Lunæ Luciferæ quæ eadem eſt cum Diana titulum illuſtrat hæc inſcriptio antiqua.

Grut. inſcript. pag. 39.

DIANÆ
PRO SALVTE
IMP. L. SEPTIM. SEVERI
ET M. AVR. ANTONINI AVGG.
ET IVLIÆ AVG. MATR. CASTRORVM.

Elegantiſſimam comparationem cernis in poſtremo nummo. 5.
Iulia ſub habitu Telluris ſedens humi iacet ſiniſtram imponens calatho frugum & florum pleno; Dextra globum tenet Zodiaco ſtellisque inſignitum, quem circumſtant quatuor puellæ. Terra enim rerum omnium parens ſua FECVNDITATE diuitias dat vbique, & tunc Ceres nominatur.

Γῆ μήτηρ Δήμητηρ πλουτοδότειρα.

Fruges & flores id indicant. Orbis ſtellatus mundum, quatuor puellæ anni tempeſtates deſignant. Iuliæ omnia deberi exiſtimant adulatores Romani, ideo Piam nominabant. Mundum quem cum Seuero regebat, orbis indicat ſtellatus, cuius regimini duos ſuos filios Caracallam & Getam, totidem puellas deſignabat ſuæ fecunditatis indices.

Equus paſcens absque fræno libertatem fortaſſis indicat, qua fruebantur coloni Alexandriæ Troadis in Phrygia : fortaſſis etiam equorum feracitatem de quibus ſic Claudianus,

——————— *Delectus equorum*
Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina paſtæ
Semine, Cappadocum ſacris præſepibus edunt.

De Troade dictum eſt in ſuperioribus pag. 221. Hæc autem Seuero Iuliæ & Caracallæ ſuos nummos dicauit, vt Colonia Latina Iulia Corinthus & Mvnicipium Stobensivm quæ in ſequentibus deſignantur. Hic notanda inſcriptionis ὁρθογραφία cum Stobesivm legatur in nummo non Stobensivm. De quibus ſupra dictum eſt.

1. Elegantiſſimos nummos hic habes. Primus Bacchi triumphum deſignat quem iam vulgauit & commentariis ornauit Illuſtris Seguinus. In Select. numiſm. pag. 157.

2. Alter pertinet ad Epheſios quorum Diana ita per orbem erat celebris. An alia figura Genium Epheſi repreſentet cum tauro ſacrificando, non ſatis mihi liquet.

Plures populos Iuliam veneratos eſſe quantum poterant hi nummi demonſtrant: quamuis illorum peculiaris coniunctio apud hiſtoricos à nobis ſedulo inueſtigantibus reperta non fuerit; felicior fortaſſis erit cui paucas has noſtras coniecturas doctius eliminandas 1. lubenter dabimus.

Theſſalonicenſes primum hunc nummum cudiſſe inſcriptio docet & typus. Hic enim Cabirum in templo exprimit ex Vulcano & Cabira genitum, quem cum fratribus eiusdem nominis miniſtrum Deorum fuiſſe antiqua teſtatur Paganorum religio: is ſeminudus malleum ſiniſtra tenet, dextra vero aliquid incudi ſimile: quod ſatis explicat Cabiros ignis vſum & ferri ærisque fabricam primum docuiſſe. Vulgò traditur exſtitiſſe Vulcani officinam in inſula Lemno, vicinamque Theſſalonicam ſibi Cabiros quaſi protectores ſumpſiſſe, fortaſſis ne terræ motibus vrbs illa euerteretur, quibus tota illa regio erat admodum obnoxia. *Cabirorum religiones qui violaſſent.*

violaſſent, inexpiabilis ſcœleris pœnam effugere non potuiſſe, certiſſimis rerum euentibus ſæpius compertum eſt, inquit Pauſanias, quod exemplis comprobat. Nummum hunc explicat alter ex noſtris, in quo KABEIPOC legitur circa ſimilem figuram, ΘECCAAONEIKH vero circa caput turritum, Theſſalonicæ Genium. De ea dictum eſt pag. 59.

In Bœotiis lib. 9.

Vetus alter vetuſtiſſimæ vrbis nummus figuram exhibet ſacrificantem coram Iſidis ſtatua ſuper baſim collocata. Veriſimile eſt poſt dirutum Byzantium Ilienſes Iuliæ veluti Iſidi ſacrificaſſe, quâ
2. Seuerum ſibi conciliare ſperabant. De Ilienſibus dictum eſt pag. 96.

Pallas in ſequenti eodem habitu cernitur quo apud Troianos colebatur: Ii Palladium veluti vrbis ſuæ ſacrarium cuſtodiebant, quo ſublato à Græcis diruta eſt. Huius regionis populos Iuliæ ſuos Deos
3. dicaſſe veriſimile eſt.

De Pautalia dictum eſt pag. 250. De Perinthiis pag. 163. & de Epheſiis pag. 20. Hos omnes Iuliam coluiſſe ex his nummis certum eſt, qui in Seuerum eoſdem honores congeſſerant.

4. Plures fuiſſe Flauii vrbes ſupra dictum eſt in Aurelio; hanc quæ
5. in nummo legitur Cratiam eſſe inſcriptio docet, quæ eſt Bithyniæ
6. ciuitas. Typus Fortunam refert cum Iſidis calatho quæ in tota fere
7. Aſia colebatur; ſub cuius habitu veriſimile eſt Iuliam à Cratienſi-
8. bus Flauiopolitanis coli. Prol.

Lyra in ſequenti nummo cælata eſt ſolemne Apollinis ornamentum, quem ſupra omnes Deos populus Chalcedonenſis venerabatur: De iis dictum eſt pag. 187. Eius ὀρθογραφίαν commemorat Illuſtr.
9. Seguinus in eo libro quem eruditè & perpolitè ſcripſit, de ſelectis ſuis numiſmatis.

Ερμωνέων nummi facit mentionem Ortelius in ſuo Theſauro Geographico, cum Ερμιονὶδ deſcribit in Peloponneſo, vrbem ad Argolicum ſinum. Mercurius in eo ſcalptus eſt dextra aliquid tenens
10. ranæ ſimile, quod ex integriori probare cuperem. Veriſimile eſt hanc vrbem ſummè veneratam eſſe Mercurium à quo nomen etiam deduxiſſe videtur. Mercurius enim Græcis dicitur Ερμῆς. Triſtanus Tom. 2. nummum vulgauit Ερμιονέων Seueri & Iuliæ faciebus inſignitum, cum typo Mercurii & Veneris.

Ex pluribus vrbibus quæ Pruſæ dictæ ſunt eam eſſe arbitror quæ Bithyniæ vrbs eſt ad Olympum montem ſita. Hæc vt fere omnes

Asiæ minoris Dianam Ephesiam colebant, quæ mammosa inter cer- 11.
uos cernitur.

De Mileto dictum est pag. 94. Typum nummi Solem esse ex 12.
capite radiato non dubito. Huius simulachrum nobilissimum fuisse
In Arcadicis. Mileti ex Pausania constat, quod primùm sustulerat Xerxes, Milesios
criminatus quod cum aduersus Græcos pugnaret, propensiores ii in
Athenienses fuissent: id deinde à Seleuco redditum. Apollinem
dextra ceruum tenentem repræsentat hic nummus, qui symbolum
Solis ob velocitatem dicitur.

Typum Phocæensibus solitum exhibet hic nummus. Duas enim 13.
Deas repræsentat quarum vnam Cybelem esse indicant Leones hinc
inde positi. Alteri nulla est peculiaris nota si turritum capitis ornatum
excipias, qui in omnibus fere vrbium Geniis cernitur. Præfecti no-
men sub quo cusus fuit nummus vix legitur: huic similem refert
Tom. 2. Tristanus in quo ΑΦΦΙΑΝΟΝ esse asserit. Idem typus in sacri Sena-
tus nummis scalptus est pag. 7. & in Commodo pag. 263.

De Emisa seu Emessa dictum est in Antonini nummis. Ex ea 14.
natam esse Iuliam Domnam scribunt Herodianus & Dio: quare non
mirum si ea ipsi suum nummum dicauerit.

Eucarpia quidem est Phrygiæ vrbs quam tamen Eucarpeam 15.
nummus nominat. Eamdem tamen fuisse facit vt credam typus
Dea insignitus quam Cybelem esse ex Leone comite arbitror, quæ
in tota Phrygia colebatur: De illa passim.

Elaitarum meminit Pausanias. An qui Æsculapium in num- 16.
mo signarunt in Æolide sint, an in Palastina, ex qua orta erat Iulia,
in hac enim erat Elais.

Elegantissimum nummum Smyrnæi cudere, in quo figura 17.
galeata sedens dextra templum tenet, sinistra hastam: Hi primatum
inter vrbes Asiæ obtinuerant, quem nummo inscriptum cernimus.
De isto certamine à Tacito commemorato, facta fuit mentio in supe-
rioribus pag. 56. Coniectura est templum aliquod in honorem Iuliæ
extructum fuisse, quod me legisse non memini.

Iidem Smyrnæi sequentem nummum Iuliæ dicauerunt, quam 18.
velut Fortunam suam & suam Nemesidem indigitabant: de quibus
dictum est pag. 7.

Difficile est populos designare qui decimum nummum cude- 19.
runt. ΤΥΡΑΣ quidem est Mœsiæ inferioris vrbs ad Tyram fluuium
de qua Strabo & Ptolemæus. Tyritas eius accolas vocat Herodotus,
qui fortassis Tyrani etiam dicti sunt. Cybele sedens in nummo repræ-
sentata videtur quæ non in Phrygia tantum summo cultu colebatur
sed & vicinis regionibus, Mœsiâ præcipuè.

Vigesimus

20. Vigesimus nummus Hypæpenos celebrat. Ii erant Lydiæ populi non ignobiles, ad Hermum fluuium, de quibus Geographi passim: Ouidius paruas Hypæpas bis commemorat,

— — — Lydas tamen illa per vrbes Metam. Lib. 6.
Quæsierat studio nomen memorabile, quamuis
Orta domo parua, paruis habitabat Hypæpis.
— — — — Illinc paruis finitur Hypæpis. Lib. 11.

Templum aliquod celebre exponit hic nummus: Illud est fortassis de quo Pausanias mentionem facit, totque miraculis clarum esse probat cineribus coloris insoliti & igne vatis cuiusdam incantamentis sponte accenso. *In eius templo cellæ sunt cum aris, super his cinis alio longe colore à vulgari cinere. Huc ingressus Magus vbi foco aridis lignis impositis tiara caput velauit, inuocat Deum nescio quem &c.* Ille est fortassis qui in templo cernitur. Istud templum potest etiam referri ad id quod Petronius Priapo sacrum esse scribit, In Æliacis. lib. 5. In Satyrico.

Cui Lesbos, viridisque Thasos quem Lydus adorat
Vestifluus, templumque tuis imponit Hypæpis,
Huc ades, ô Bacchi tutor, Dryadumque voluptas
Et timidas admitte preces, &c.

Ad quod potest referri Stephani locus, pulcherrimas Hypæpis esse mulieres, Veneris dono; Καλλίστας ἔχειν γυναῖκας τὴν πόλιν, δῶρον Ἀφροδίτης. De Vrbibus.



Herodian. Dio.

MAvr. Antoninvs Caracalla patrem habuit Seuerum: Matrem fuiſſe Marciam tradunt quidam, plures Iuliam. Eius pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affectabilis, amicis iucunda populo accepta fuit: eam egreſſus mores mutauit, grauior, fæuior, & truculentior factus, ſuperbus, arrogans. Fratrem Getam occidit, deinde eius domeſticos & amicos, nec infantium ætati pepercit. Romam, Senatum, terrarum orbem cædibus repleuit contra ius fasque. In Meſopotamia inter Carras & Edeſſam, inſidiis à Macrino poſitis, per Centurionem pugione traiectus eſt, dum ſubligacula deduceret ventrisque oneri leuando intenderet. Macrinus mortem eius deplorans, corpus cremari iuſſit; reliquias in vrna nouercæ aut matri Iuliæ ad ſepulturam miſit, quas in ſepulchro Antoninorum condidit. Vixit xliii. imperauit vi.

Imp. Caesar. M. Avrelio
Divi Septimi Severi Pii Pertinacis Avg.
Parthici Arabici Adiabenici
Pacatoris Orbis
Et Fvndatoris Imperii Romani
Respvblica Malac. D. D.

1. Cum Seuerus in Britanniam contendit ambos filios ſecum deduxit, quos etiam ſuæ gloriæ participes fieri iuſſit. *Britannis enim terra marique victis & ad imperium Romanum coactis, Caracalla cum Patre omnibus honoribus potitus eſt. Nec omiſit agnomen Britannici qui etiam ſe Lucanicum nominaſſet ſi Lucanos viciſſet.* Victoriam in clypeo ſcribentem ſæpè nummi Romanorum repræſentant. Spartian.

2. Quadriga Imperatorem triumphantem exhibet, ſceptrum tenens eburneum, in cuius vertice aquila, de quibus ſic Iuuenalis:

Da nunc & volucrem ſceptro quæ ſurgit eburno. Sat. X.

3. Tertium nummum explicat Dio his verbis, , *Dicebat ſe in agitandis curribus Solem imitari, eaque in re maximè gloriabatur,*

Hoc ſidus currum, rapidaſque agitare quadrigas Prudent. in
Commenti, & capitis radios, & verbera dextra Symmach. 1.
Et frenos, phalerasque, & equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris aut orichalci
Iuſſerunt nitido fulgere polita metallo.

4. Leonem qui Alexandri Magni ſignum fuerat in annulo figuratum gerebat, vt eumdem propius imitaretur ſicuti *truci fronte ad læuum humerum depreſſa ceruice.* Illum fortaſſis fulgur ore tenentem quartus exhibet nummus, qui improuisò de monte deſcendit in Parthos & pro Caracalla pugnauit. *Per Caduſios fines & Babylonios ingreſſus, tumultuarie cum Partharum Satrapis manum contulit,* inquit Spartianus, *feris etiam beſtiis in hoſtes immiſſis.* Leonem quem Acinacem vocabat, in ſuam menſam recipiebat & lectum, hunc-que publicè ſæpe deoſculabatur. Plutarchus. Aur. Victor. Epit. 21. In Caracalla. Dio.

5. Quintus trophæum refert cum captiuo, quod frequenter occurrit in Romanorum nummis. Illuſtrat hunc eiusdem Caracallæ nummus argenteus in quo Imperator hos captiuos proſternit cum hac epigraphe VIRTVS AVG.



Caracallæ munificentiam designat primus nummus per elephantem quam forte in ludis sæcularibus à Seuero celebratis præsentibus filiis publicam factam esse testatur. Forte etiam refertur ad id quod tradit Dionis abbreuiator, his verbis; *Ex his cædibus animum ad ludos applicat, in quibus itidem multas cædes fecit; Nam vt omittam elephantum, rhinocerotem, tigrim, hippotigrim, cæsos in amphitreatro,* &c. 1. In Caracalla.

In altero, eosdem Deos patrios sibi prosperos fore optabat aut optare fingebat Caracalla, quos Seuerus sibi exempla proposuerat, Bacchum nempe & Herculem, de quibus in Seuero dictum est. Istius gloriæ quæ propter ludorum sæcularium celebrationem Imperatoribus deferebatur, participem factum fuisse Caracallam hic nummus demonstrat, adeo illum Parens Romanis commendare studebat. 2.

Æsculapium cum Telesphoro de quo dictum est pag. 201. venerabantur tum Græci tum Romani, vt autorem suæ salutis & familiæ Augustæ; quare ita sæpe in nummis occurrit. Caracallam *Pergamum adiisse* scribit Herodianus, *vt Æsculapii curationibus vteretur.* 3. In Caracal. 4.

Quartus exhibet signa Pontificalia, lituum nempe, secespitam, pateram, vrceolum, capedinem & aspergillum: His vtebantur Romani peragendis sacrificiis. Lituus quidem Auguris notam formam præbuit pedo pastorali & episcopali. Secespitam & securim quibus aut Flamines, Flaminicæ virgines & ipsi Pontifices in sacrificiis vtebantur, aut Popæ victimas mactabant, Christiana nescit religio, quia nescit sanguinem. Patera aurea quæ victimarum præcordia sustinebat, in religione nostra Patenæ nomen retinet, Eucharistico Christi saluatoris corpori sustinendo. Vrceolus quem cum amplus erat, vrceum vocabant, oleo, vino, lacti, melli continendo dicatus erat Vasis huic similibus sacerdotes nostri aquæ & vino seruando vtuntur dum sacrosanctum missæ sacrificium peragunt. Antiquissima & integerrima exemplaria quæ possideo publici iuris lubens facio.

Capeduncula quæ parum à Simpulo differt, à capiendo thure dicta est; hac vtebatur summus Pontifex libationis causa. Aspergillum quo aqua lustrali populus aspergebatur & lustrabatur, vt prioris æui sic nostri temporis mores retinent. De illo sic Virgilius,

Idem ter socios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ
Lustrauitque viros &c. Æneid. lib. 6.

Ramo lauri interdum, interdum etiam equinæ caudæ pilis constabat. His omnibus summam sacerdotii dignitatem, vna cum imperio Caracallæ collatam esse quemadmodum cæteris Imperatoribus nummus indicat: indicat etiam non Romanos modo sed vniuersas gentes plerosque ritus sacraque organa à Iudæis desumpsisse, quemadmodum etiam mythologiæ suæ partem aliquam ex initio Geneseos.

5. In quinto scalptus est Iupiter Sospitator, qui eo sensu dictus est quo Iuno Sospita, cum salutaris & seruatrix erat.

Sospita delubris dicitur aucta nouis. Ouid. lib. 2. Fastor.

Hanc frequenter nummi celebrant & Consulum & Imperatorum Romanorum. Caracalla & Geta Iouem Sospitatorem in nummo vulgauerunt quibus templum condidisse probabile est, ob partam ab eo salutem. Docet Dio Caracallam Ioui sacrasse gladium quo Getam interfecerat. Ὁ Καὶ τὸ ξίφος δὶ ἕ τὸν ἀδελφὸν ἀπεκτόις ἀνέθηκε τῷ Θεῷ: Cur etiam eidem templum non dicauerit? In Carac.

6. De Dea in curru dictum est, cum similis Iuliæ nummus fuit
7. supra explicatus vt de INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. Seueri nempe & Caracallæ qui gloriæ paternæ particeps factus est, propter beneficia ab vtroque in eos collata, de quibus vide pag. 281.

8. Salutem, vt dictum est, vt omnis nauis indicat. Hæc quæ octaui nummi typum facit, Fortunam reducem celebrat quæ in nummis Caracallæ videtur: is enim Occidentem Orientemque peragrauerat, finesque posuerat imperio, in Britannia videlicet & Parthia.

9. Nonus demonstrat à Principum liberalitate oriri populorum felicitatem. Sedet Seuerus inter Caracallam & Getam, quos his artibus Senatui Populoque Romano commendare voluerat; cuius recordationem gratam sibi suisque fore, Caracalla existimabat.

10. Postremus Iouem & sub eius habitu Imperatorem repræsentat, orbem dextra tenentem, quem sibi commissum & regendum vltro prædicabat vesanus Caracalla.

L. 1. Dig. de Cenſibus.

Supra decem Laodiceas numerant Geographi: hanc quæ nummos cudit in Cœle-Syria fuiſſe facit vt credam Vlpianus his verbis, *Eſt & Laodicena colonia in Syria-Cœle, cui Diuus Seuerus ius Italicum ob belli ciuilis merita conceßit. Laodicæa enim in Syria*, inquit, *& Berytos in Phœnicia iuris Italici ſunt & ſolum earum.* Cuius quidem beneficii à Seuero collati Laodicenſes gratias agebant filio Caracallæ per ſuos nummos.

Lib. 5. cap. 29.

Primus quidem aquilam repræſentat in templo, quæ Iouis ales eſt. Seuerum fortaſſis benefactorem ſub Iouis habitu colebant, Laodicæam Cariæ Plinius vocat *Dioſpolim*, ſiue Iouis vrbem, quam etiam *celeberrimam* nominat. 1.

Alter duas luctantes figuras exhibet, cuius conſilium non noui. 2.

Tertius caput turritum in templo: an illud ſit Dianæ aut Pallados, quæ teſte Pauſania Laodicææ celebrantur: an Iuliæ quæ eodem habitu cernitur: certè Seueri nummus ſupra vulgatus poſtremam hanc coniecturam ſtabilire videtur. 3.

In quarto equum fræno retinere videtur figura quædam, quam interpretari mihi eſt difficile. 4.



Quæ prioribus Imperatoribus ſui obſequii teſſeram obtulerant, eædem coloniæ Caracallam ſuis in nummis celebrant.

Corinthus qualis fuerit dictum eſt abundè pag. 18. & Colonia 1. Auguſta Aroe Patrenſis, pag. 38. 2.

Figuram

3. Figuram templi Ioui Optimo Maximo Heluio dicati tertius nummus refert, quod Seuerus poſt Pertinacem ædificauerat, ſe ipſum etiam gratitudinis ergo Heluium nominans. Idem coloni eius filio Caracallæ denuo offerunt.

4. Inſcriptionem quarti legere non patiuntur detriti characteres certum eſt capite illo turrito indicari alicuius prouinciæ metropolim.

5. Municipium Stobenſe explicatum eſt in Veſpaſiano, pag. 143. obſeruandum hoc ipſum Seuero & Iuliæ & Caracallæ & Getæ ſuos nummos fere ſimili typo dicauiſſe.

6. Inſolitum typum ſextus refert. Ruſticus enim aut Satyrus videtur, ſacculum humero geſtans, ſed quo fine aut à quo populo, neſcio: aliquid ſimile ſupra ſcalptum eſt pag. 235.

7. Sidonis metropoleos & currus Cybeles mentio facta eſt in ſuperioribus pag. 202.

8. De Colonia Alexandria Auguſta Troade iam dictum eſt. Equus
9. paſcens explicatus eſt pag. 223. & Sibylla laurum dextra tenens tripodi
10. pedem imponens pag. 262. Romulus & Remus lactentes lupam, ſuam demonſtrant originem quam ab Ænea Troiano deducunt, quo Caracallæ gratulantes Troiani typum in nummo expreſſerunt.



Alias colonias addidi prioribus quæ ſuam ſymbolam pariter ſuo offerunt Imperatori.

1. Prior quidem Tyrum exhibet, quam munitiſſimam vocant ſacræ litteræ, & claritate & magnitudine ante omnes vrbes Syriæ Ioſue 19. 29. Phœniceſque memorabilem: *Colonia certe eius pene orbe toto diffuſæ ſunt: Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum*, inquit Curtius; præter quas etiam *Tyros, Leptis, Vtica* memoran- Curt. l. 4. c. 2. tur à Tertulliano. Typum non ſatis noui, niſi forte victoria co- De Pallio cap. 1. lumnæ impoſita coronam imponat Herculi Tyrio ſummo vrbis Deo, *cui magnificum fuiſſe templum* narrat Curtius, aut *Apollini quem* Lib. 4. cap. 2. & 4. c. 4. *ciues catenis aureis vinxerant, ne ab vrbe diſcederet.* Eum, quod Herodot. lib. 2. c. 44. Alexandri M. amicus fuerat Phil-Alexandrum ipſe vocauit. Quod ad concham in infima nummi area poſitam pertinet, dubitari non poteſt, quin exhibeat conchylium purpuræ vel muricis Tyrii, ex cuius cruore fiebat purpureus ille color, toto orbe celeberrimus,

Magnatum & virorum principum veſtibus intingendis. Inſcriptionem quidem abundè probant antiqui autores : Colonia Septimia primùm dicitur, quod explicat Vlpianus, his verbis : *Sciendum eſt eſſe quasdam colonias iuris Italici, vt eſt in Syria Phœnice ſplendidiſſima Tyriorum vrbs, vnde mihi origo eſt, nobilis regionibus, ſeriè ſæculorum antiquiſſima, armipotens, fœderisque, quod cum Romanis percuſſit tenaciſſima. Huic enim Diuus Seuerus & Imperator noſter ob egregiam in Rempublicam Imperiumque Romanum inſignem fidem Italicum ius dedit*, quod ad Caracallam refertur, cui coæuus fuerat Vlpianus. Dicitur demum Metropolis Phœniciæ, cum honorem iſtum eſſet conſequuta ſupra Sidonem, per Imperatorem Hadrianum qui hac gratia donauerat Paulum Rhetorem Tyrium.

Dig. de Cenſibus Lib. 1. tit. 15.

Berytum dictam fuiſſe Iuliam & Auguſtam ſupra explicatum fuit pag. 39. Herculi Iunonem infenſam fuiſſe & ideo ſerpentes miſiſſe, quos heros fortiſſimus manibus comprehenſos ſuffocauit, palam teſtatur antiquitas. Eius facti memoriam denuò ſuppeditat Beryti nummus. 2.

Dig. de Cenſibus

Sequens templum repræſentat in quo figura coronatur à Victoria columnæ impoſita, quod aliquid egregium mihi ignotum ſubindicat. Inſcriptio eamdem Coloniam Iuliam Felicem Berytum declarat. 3.

Sinope quæ quartum nummum cudit vrbs eſt & Colonia Aſiæ minoris in Paphlagonia quam ad Pontum Euxinum condidere Mileſii. *Eſt in Ponto colonia Sinopenſis*, inquit Vlpianus. Iupiter Ægyptius cubat in lectulo ſeu Serapis, cuius capiti pro more impoſitus eſt modius. 4.

Diodor. Sicul.

Dig. de Cenſibus.

Celeberrima erat Ptolemaïs Phœniciæ quæ quintum nummum cudit : hæc vulgo à D. Ioanne Acrenſi nomen habet, quod antiquitus à Ptolemæo Rege deduxerat, cum foſſam inchoaſſet ab oſtio Peluſiaco ductam ad vrbem Arſinoem, niſi aliam in Arabia conſtitutam velis eiusdem nominis. 5.

Antiochenſis colonia duos hos nummos in honorem Caracallæ cudi curauit, *in qua per hyemem deliciis fruebatur*, inquit Dio. Herodianus tradit *eum Ilio decedentem Aſiaque omni & Bithynia, gentibusque reliquis pertranſitis, atque vbique rebus compoſitis deueniſſe Antiochiam, ibique exceptum honorificentiſsime atque aliquamdiu moratum.* Magnificentiæ autem eius temporis pars numiſmatum fabricatio & publicatio. Deinde *Antiochenſibus & Byzantiis interuentu ſuo iura vetuſta reſtituit, quibus iratus fuit Seuerus, quod Nigrum iuuerant*, inquit Spartianus. De Antiochia dictum eſt pag. 143. & de In Caracalla. Deo Luno qui in primo nummo ſignatus eſt, pag. 219. Prætermittendus tamen non eſt Spartiani locus quo conſtat Caracallam *cum* Herod. *hybernaret Edeſſæ Carrhas Luni Dei gratia veniſſe*, quod Imperatoris erga eum religionem innuit, aut potius hypocriſin. Notatu dignus eſt alter typus qui non coloniam exprimit ſed Genium Coloniæ.

1. Eiusdem Imperatoris ſimiles typos exponit hæc tabella. Lupam nempe Romulum & Remum lactantem; quod ad primordia Vrbis refertur. ROMA FELIX ſcripta eſt in primo nummo, ſed meo iudicio a quibusdam populis etiam gloriam & felicitatem celebrantibus. Rudes characteres videntur quidem in prouinciis ab Vrbe longe diſſitis ſcalpti.

COLONIA FLAVIA PACIFICA DEVLTVM in ſequenti legitur: Hanc à Veſpaſiano Flauiam dictam eſſe veriſimile eſt & Pacificam ob iſtius Imperatoris ſummum erga Deam Pacem cultum, cui Romæ templum ſuperbiſſimum condiderat. Nummo debemus eius rectam ὀρθογραφίαν, cum apud antiquos ferè ſemper corrupta ſit. Vrbem bellis dirutam inſtaurauit ſupra centum annos Baiazethus Turcarum Imperator, Amurathis Pater, vt narrat Chalcondylas: Hiſt. dictaque eſt *Zagora*.



Aquilam imperii Romani ſymbolum fuiſſe palam teſtatur antiquitas : has ideo vexillis legionum impoſitas fuiſſe nummi, marmora, libri ſatis probant, quas vt Deos Romani primùm venerabantur & barbaris adorandas proponebant, cultum etiam vi exigentes. Has variis modis exhibet hæc tabella: interdum innititur fulguri quod indicat ſummam rerum poteſtatem: ſtella inter eius pedes poſita Orientem deſignat, in cuius regionibus veriſimile eſt hos nummos cuſos eſſe. Quidni caput corona cinctum, Caracallam repræſentaret, qui foueretur à Ioue cuius aquila ales eſt perpetua & ſymbolum.



Tantus erat populorum erga Seuerum amor vt in eius filium etiam immeritum tot teſtimonia congeſſerint quot vlli alteri Imperatori. Huius quidem pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, grata Senatui, ipſi etiam ad amorem conciliandum ſalutaris fuit, inquit Spartianus. In Carac. Hinc à tot populis amoris teſſeræ quas exhibet hæc tabella, de quibus ſeorſim ſuo loco dictum eſt.

1. De Perinthiis pag. 164. Antiochenſibus pag. 143. hanc hic nomi-
2. nari coloniam & metropolim notandum eſt.
3. Quales fuerunt Adrianopolitani dictum eſt in ſuperioribus
4. pag. 253. Arcus quidem & ſerpens plurimis gyris implicatus nihil
5. aliud declarant præter Apollinem.
6. Epheſiorum nummi ſupra frequentes fuerunt, quapropter con-
7. ſulantur, præcipuè pag. 20. De Epheſo & eius templo Dianæ ſacro
ſic Solinus, *Epheſus in Aſia minore vrbs clariſſima eſt. Epheſo decus templum Dianæ Amazonum fabrica, adeo magnificum vt Xerxes cum omnia Aſiatica templa igni daret, huic vni pepercerit. Sed hæc Xerxu clementia ſacras ædes non diu à malo vindicauit. Namque Heroſtratus vt nomen memoria ſceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu ſua ſtruxit, ſicut ipſe faſſus eſt, voto adipiſcendæ famæ latioris. Notatur ergo eadem die conflagrauiſſe templum Epheſi, quo Alexander magnus Pellæ natus eſt, poſt Romam conditam anno* CCCLXXXV. hæc Solinus. cap. 53.
Hoc templum tam celebre & excellens fuit vt inter ſeptem orbis miracula annumerari meruerit. Vnde Plinius, *Græcæ magnificentiæ vera admiratio exſtat templum Epheſiæ Dianæ*, CCXX. *annis factum à tota Aſia. In ſolo id paluſtri fecere, ne fundamenta tantæ molis hiarentur, ante calcatis ea ſubſtrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerſo templo longitudo eſt* CCCCXXV *pedum, latitudo* CCXX. *Columnæ* CXXVII. *à ſingulis Regibus factæ,* LX. *pedum latitudine, ex iis* XXXVI. *cælatæ. Conuenit & inter auctores templi eius tectum fuiſſe è cedrinis trabibus, valuas è cupreſſo.* L. 36. c. 14.
8. De Tomis Metropoli Ponti dictum eſt pag. 283. Octauus labor fuit Herculis taurus enectus:

Octauo domuit magno luctamine taurum.

9. Byzantii vuam racemi obtulerunt ſuo Imperatori indicandæ ſuæ telluris fecunditati & præſtantiæ; ſeu quod *ipſe vini appetens erat*, teſte Spartiano, quod eximium prodit ex Byzantino ſolo. Thraces omnes Bacchum fuiſſe veneratos palam teſtatur antiquitas, quod illi vinoſi maxime eſſent & οἰνόφλυγες, quare fortaſſis *Byzantii delubrum Bacchi ædificauerant*, vt narrat Herodotus. Seuero eamdem racemi vuam pro ſui nummi typo exhibuerunt vicini Philippopolitani, quem ſcalptum vulgauimus ſupra pag. 282. In Melpom.
10. De Smyrnæis abunde ſupra dictum eſt & Cyzicenis pag. 238. &
11. Philippopolitanis pag. 253. Vrnam è qua palmæ quam in medio ſuo
12. nummo poſuerunt, eam eſſe quæ ludos Apollinares ſignificabat veriſimile eſt. ΠΥΘΙΑ enim, ſupple certamina, id indicat,

Neue operis famam poſſet delere vetuſtas
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos
Pythia perdomiti ſerpentis nomine dictos. Ovid. met. Lib. 1

Exercitationes autem ludorum Pythiorum ſic deſcriptæ ſunt.

Hic iuuenum quicunque manu, pedibusue rotâue
Vicerat, Herculeæ capiebat frondis honorem.

Suidas. Actia autem certamina ludi erant in Actio Epiri promontorio, quinto quoque anno celebrari ſoliti, in honorem Apollinis qui & ipſe Actius cognominabatur. Hos ludos vetuſtiſſimos fuiſſe conſtat, ſummo tamen apparatu ab Auguſto inſtaurati fuerunt, poſtquam Antonium & Cleopatram nauali prælio iuxta Actium ſuperaſſet. Tertio deinde quoque anno celebrantur, tribusque certaminibus inſignes erant, gymnico, equeſtri & nauali.

Strabo L. 7.

Stephan.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

Virgil. 3. Æneid.

De Chalcedonenſibus dictum eſt pag. 187. De Cæſarea pag. 50. 13. & Dea Syria Ierapolitanorum pag. 6. 14.

15.

Varios Græciæ populos Caracallam venerantes exhibet hæc tabella. 1. Primus nummus Seleucienſes quidem celebrat, quos quòd nouem ſint vrbes à Seleuco Rege conditæ eodem nomine donatæ, vix poſſemus coniicere quales fuerint, niſi tres litteræ ΚΑΛ. nodum ſoluerent. Cilicia enim vrbem habet Seleuciam ad Calicadnum fluuium qui in nummo ſcribitur, quaſi ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ ΚΑΛΥΚΑΔΝΟΥ. Eius mentionem facit Amm. Marcellinus, his verbis, *præterito Calicadni fluminis ponte, cuius undarum magnitudo, murorum Seleucia alluit turres, &c.*

Strabo lib. 14. Marcell. l. 14.

Plin. lib. 5. cap. 17.

Lib. 14.

Pallas captiuum ſternit, neque enim ſemper artibus dat operam, ſed etiam aliquando bello, quapropter interdum στρατία & Ἀρεία hoc eſt bellatrix & Martia dicitur. Plin. l. 5. c. 17.

2. Alter nummus templum exhibet, in quo vt in Iouis Caſſii templo lapis cernitur, aut conus Veneris Paphiæ ſimulachrum ex Tacito ſupra commemoratum pag. 80. Hanc Seleuciam Syriæ fuiſſe inſcriptio docet, vt quæ in tertio nummo legitur. Seleucia enim quæ in Syria iuxta mare eſt mediterraneum primaria dicebatur, quod exprimit Π. hoc eſt Πρώτη.

3. Tertius nummus rem clarius dilucidat, cum in illo Seleucia Πιερία dicatur, quod ſoli Seleuciæ quæ in Syria eſt, conuenit. Hanc illuſtrat caput Iuliæ Domnæ ex Syria ortæ, quam vt Deam ſuam Seleucienſes colere ſimulabant.

4. Odeſſeenſes celebrat quartus nummus qui Pontum accolebant, de quibus Stephanus. De Vrbibus.

5. Inſolitum typum quintus refert, militem nimirum ſibi manus inferentem ex cuius vulnere ſanguis in flores mutari videtur. Id ad Aiacem pertinere coniectura eſt, de quo Ouidius. Pruſa autem vrbs eſt Bithyniæ celebris, de qua ſupra dictum eſt, pag. 292. cum Iuliæ nummos vulgauimus. Meta-morph. l. 13.

6. De Edeſſenis ſupra dictum eſt pag. 77. Edeſſam à Caracalla aut coloniam factam aut inſtauratam veriſimile eſt. *Edeſſam in Oſroëna, in prouinciæ formam redegit, amico Rege Abgaro non victo ſed vincto perfidiſſime:* iuxta illam iter faciens necatus eſt. Spartian.

7. De MAPEΔECCA quæ in ſeptimo & octauo legitur præter
8. Edeſſam nihil auſim affirmare.

9. Nonus Metropolim deſignat quæ eſt in Ionia vt diſtinguatur ab aliis tredecim eiusdem nominis: hanc Ptolomæus inter Colophonem & Cayſtrum collocat in Lydia, quæ etiam in Ionia continetur. Dea ſtans Caracallam videtur excipere & proſperum in Parthos ad quos properabat euentum, promittere; ſiue illa ſit prouinciæ Genius ſiue Cibele Ioniæ patrona.

10. Dea ſedet in decimo ad cuius pedes fluuius natare videtur, eodem prorſus modo quo in Antiochenſium nummis.

11. Camelus Arabiæ ſymbolum eſt, in qua nummum cuſum fuiſſe veriſimile eſt: quamuis omnes characteres ſint eroſi.

12. Nauem Corcyræi ſuis nummis frequenter præfixere, aut illarum copiæ innuendæ, aut *quod*, vt ait Pauſanias, *Neptunus Corcyram cognouit*: illos CXX. armaſſe aduerſus Corinthios narrat Thucydides. Triplicem in illorum inſula collocat *Dio* portum, ex quibus vnus dulcis nominabatur, à fluuio eo ſe exonerante. Quod Corcyra Lib. 5. in Eliacis. Lib. 1. Lib. 50.

libera dicta fuerit à Romanis & suis vsa fuerit legibus, prouerbio locum dedit, ἐλευθέρα Κέρκυρα χεζ ὅπε θέλῃς *Corcyra libera est, caca vbi libet.* Dicterium illud Corinthii hostes perpetui in Corcyræos canebant. Corcyra hodie *Corfu* Venetorum Reipublicæ paret.

Quæ iam Seuero suos nummos dicauerat, Caracallam in se- 13.
quenti celebrat Imperatoris habitu paludatum, hastam dextra sinistra tenentem scipionem. Togata effigie antiquitus statuæ dicabantur, placuere & nudæ tenentes hastam ab Epheborum gymnicis exemplaribus quas Achilleas vocant. *Græca res est nihil velare, at è contra*
Lib.34. c.5. *Romana ac militaris thoracas addere*, inquit Plinius.

Ancyram sequens nummus celebrat: hanc Galatiæ metro- 14.
polim fuisse testantur plurimæ inscriptiones antiquæ. De illa dictum est pag. 4.

L. 5. c. 2. Midæum collocat Ptolemæus in Phrygia iuxta Ancyram nec 15.
procul à Synnada. Ex nomine suspicio est Midam quem fabulæ
Plin. l. 5. c. 29. prædicant Phrygiæ Regem illud condidisse. Æsculapius signatus est in nummo, qualis in tota fere Græcia colebatur.



Eodem habitu Thessali pinxerunt, Palladem in suis nummis dum 1.
Hadrianum aut Caracallam sunt venerati, de quo dictum est supra pag. 202.

Quod ad Alexandrum magnum spectat qui Bucephalum antea 2.
indomitum conscendit, dictum est pag. 13. Quæ Caracallam spe-
In Caracal. ctant hic dicenda sunt. *Is egressus pueritiam*, inquit Spartianus, *seu patris*

patris monitis seu calliditate ingenii, siue quod se Alexandro magno Macedoni æquandum putaret, restrictior, grauior vultu etiam truculentior factus est, prorsus vt eum quem puerum scirent, multi esse non crederent. Alexandrum Magnum eiusque gesta in ore semper habuit. Confirmat id Dio, his verbis, *Erga Alexandrum ita erat affectus vt armis poculisque similibus iis quibus ille vsus fuerat, vteretur; eique complures statuas in castris atque adeo in vrbe collocauit, comparauitque phalangem ex solis Macedonibus, in qua erant hominum sedecim millia, eamque phalangem Alexandri cognominavit. Hi vtebantur eodem armorum genere quo viuo Alexandro armati fuerant. Sese Alexandrum Orientalem Augustum appellauit, scripsitque aliquando ad Senatum, animum Alexandri in corpus Augusti introiisse, vt quoniam illi fuerat vita breuis, in hoc viueret diutius. Alexandrum & ipsos Macedones tanto amore prosequebatur*, &c. hæc Dio; Quibus inter Alexandrum & Caracallam coniunctio manifesta est, quæ hunc etiam in nummis alterius acta imitatum fuisse declarat. In Caracall.

3. Tertium nummum quodammodo explicare videtur Dionis abbreuiator. *Cum Caracalla hybernaret Nicomediæ, exercuit phalangem Macedonicam, ibique ludos gladiatorios fecit suo natali die, ne illo quidem abstinuit à cædibus.* De Nicomedensibus dictum est pag. 215. dum eorum originem ad anguem spectantem explicauimus. Tripus quidem & lauri ramus & corona mysterium quoddam designant, quod Apollini tribuendum videtur. Xiphilin.

4. Anthedonis symbolum exhibet quartus nummus, sub habitu fortassis Astartis Veneris, quæ Dea in Syria summo cultu colebatur. Anthedon in Palæstina, Agrippias deinde dicta est. De templo nihil memorabile suppetit.

5. Optarem quinti ampliorem inscriptionem suppeditare, & templum quale fuerit interpretari, id nobis eripit nummi detrimentum.

6. De Nicæensibus dictum est pag. 225. Templum in nummo scalptum illud forte ipsum est, quod pridem Iuliæ dicauerant.

7. Septimus ad Nyzeanos pertinet, sed ad quos ex Nizeanis, difficile esset coniicere, ob vrbium eius nominis multitudinem. Niza enim in Armenia, in Helicone, in Thracia, in Caria, in Arabia, in Ægypto, in Naxo, in India, in Libya, in Eubœa, in Bœotia, in Syria & in Arabia. Verisimile tamen est hanc quæ nummum cudit in limite Syriæ & Aegypti sitam fuisse in qua Bacchi templum fuisse magnificentissimum memorat Philostratus, ob id fortassis culti quod ibi natus fuerit, vnde Nyzæus dictus est, & vinum & hederam asportauerit. Satyrus quippe seu potius *Pan Deus Bacchi comes perpetuus censebatur*, τῶν Διονύσου θεραπόντων τὸν βακχικώτατον vocat Lucianus. Quid trahat nisi aut capram aut capræ pellem non satis noui. Nummum Plin. Stephan Solin. Diodor. l. 3. & 4. In vita Apoll. l. 2. c. 4. In Dialog. In his accusat.

8.

hunc ſequens illuſtrat, in quo dilucidè tygris & Satyrus Bacchum comitantur; De Sileno quidem res eſt vulgaris, ſed quid illi cum Satyris? Docet Pauſanias his verbis, *Maximos natu Satyrorum Silenos nuncupant.* Cæſareenſes quidem Agenenſes vbi fuerint, ignoro.

Carrhenorum coloniam eamque primariam dictam fuiſſe docet nonus nummus. Agrum celebrem facit Craſſi legionumque Romanarum ſtrages temporibus Auguſti. Nummum tunc temporis cuſum fuiſſe veriſimile eſt, *cùm Caracalla Edeſſâ Carrhas Dei Lunæ gratia veniſſet*, vt ait Spartianus. 9.

Eumdem fere typum ſeruat decimus, ſed diuerſam inſcriptionem, quam integrior aliquando fortaſſis docebit. 10.

Strabo. Stephan. Ptol. Maſtaura vrbs eſt in Lydia, cuius meminit Synodus ſexta Conſtantinopolitana & concilium Epheſinum: idem fere nomen adhuc hodie ſeruat. Quid dextra teneat Dea ſtans in nummo non ſatis noui. 11.

Duodecimum nummum non ſatis explicat inſcriptio: Gadaram enim Cœle-Syriæ triremis innuere videtur, de qua dictum eſt pag. 229. 12.

Ludorum ſymbola exhibent tres poſtremi nummi, priores quidem Apollinem celebrant, vltimus Neptunum. Vrnam, laurum & coronam illos indicare certum eſt. de iis abunde dictum eſt in ſuperioribus pag. 159. I... ΑΙΑ ΠΥΘΙΑ & ISTHMIA quæ ſcripta ſunt certamina denotant eſſe ſupplenda: Quæ quoniam in proximis Romæ regionibus celebrantur, ideo etiam caput Imperatoris, Romanis hoc eſt latinis characteribus circunſcribitur. 13. 14. 15.





Primum huius tabellæ nummum vulgauit Triſtanus, exceptis Damaſci epithetis, quam Metropolim & Coloniam nominat, cùm in noſtro nummo *ſacra & Aſylus* indigitetur: De ea iam dictum eſt pag. 47. addendum videtur quod Iulianus ſcribit: Epiſt. 24. Διὸς πόλιν ἣ τὸ τῆς ἑῴας ἅπασης ὀφθαλμοῦ, τὴν ἱερὰν καὶ μεγίστη Δάμασκον, hoc eſt, *Damaſcum eſſe Iouis vrbem & totius Orientis ocellum, ſacram & Aſylum.* Coniecturam ſuppeditat Cl. Triſtanus CEBACMIA quæ in medio nummo leguntur ad certamina referri debere quæ fortaſſis à Damaſcenenſibus in honorem Caracallæ celebrata ſunt, quæ prius ΑΥΓΟΥΣΤΑΙΑ & CEBACTA in gloriam Auguſti erant inſtituta:

firmat

firmat coniecturam corona quam vt Augusto sic Caracallæ tributam fuisse nummi testantur, in quarum vtraque legitur OB CIVES SERVATOS probabile est. Tot à Syris monumenta perhonorifica Caracallæ dicata fuisse, facit matris patria, etenim Iulia Domna è Syria orta erat, & quòd *Sacra Isidis Romam deportauerit & templa vbique magnifica eidem Deæ fecerit.* Spartian. in Caracc.

Sequens Tomos celebrat vrbem ad Pontum Euxinum exilio Ouidii claram. de ea dictum est pag. 283. sed quid typus exhibet: certè infans ille alatus prope pyramidem? mihi videtur Cupido: an illum Tomitæ signauerint in honorem eius Præceptoris Ouidii.

Tertius quin pertineat ad fretum Abydum inter & Sestos nullum est dubium. Celebris est historia ab Ouidio commemorata Leandri & Heronis. Hæc in excelsa turri cernitur, illo inter procellas luctante, Deosque itaque rogante,

Parcite dum propero, mergite cum redeo.

Quartus ad Philippopolitanos pertinet de quibus dictum est pag. 266. Corona videtur ea fuisse quæ in ludis istis Alexandrinis Pythiis Victoribus donabatur. De Pythiis quidem supra dictum est. Ludi Alexandrini obscuriores sunt. Ad eorum tamen elucidationem facere videtur Spartiani locus vbi Caracalla se Alexandro Magno Macedoni æquandum putabat; illum & eius gesta in ore semper habens. Fortassis ludi qui primùm Pythii erant instituti Alexandrini etiam dicti sunt in honorem Caracallæ, quem Alexandri imitatorem Græci iactabant, & præcipuè Macedones, quibus vicini erant Philippopolitani, nummi percussores.

In quinto ΠΡΥΜΝΗC manifestè legitur: an sit pars alicuius nominis nescio, subsunt enim alii characteres? an ad Prymnesiam debeat reuocari, Phrygiæ vrbem. Alia est eius nominis in Caria. Prymnesiensis Episcopi Phrygiæ Salutaris meminit Concilium Constantinopolitanum primum. Caput turritum certe vrbem indicat: sed quid hæc cum Caracalla, sane non video, præter generalem populorum erga Romanos Imperatores adulationem.

1. Duo serpentes in primis nummis signati sunt, quorum primum
2. signauerunt Pautaliatæ, alterum Nicæenses: de his dictum est pag. 225. de illis pag. 251.

Ad quid referri debeat tertius nummus certe vix possum defi- 3.
nire: Imperator quidem ad aliquam expeditionem properare videtur, quam quod eques sit & quod lanceam teneat hostibus veluti feriundis, intelligere est. Characteres detriti locum vbi cusus est, ni fallor, indicant. 4.

Quartus templum repræsentat in quo caput turritum quod vel Genium alicuius vrbis vel Fortunam refert. 5.

Quinti quidem inscriptio omnimode legitur, non tamen magis constat cui suam debeat originem, siquidem ΠΥΛΙΩΝ nil nisi Pylum indicat. Tres autem huius nominis in sola Messenia Peloponesi regione enumerat Strabo. Pylus quidem est in Macedonia prope Illyridem: At Æsculapius: qui per vniuersam Græciam colebatur, priores subindicat.

Priores duos nummos Tarsi nomine inscriptos difficile est inter- 1.
pretari. corona primum occupare videtur in qua ΔΗΜΙ legitur: an ad plebeiam aliquam coronam, an plebi concessam pertinere videatur, an quid aliud non satis liquet.

In secundo quidem Tarsus dicitur Libera quod figura muliebri 2.
sedente innuitur suffragii tesseram in vas mittente, id enim summam libertatem indicare videtur. Cur eius beneficii à Caracalla accepti gratum animum Tarsus testata non fuerit cum se Antoninianam & Seueram dici voluerit, quod patet ex nummis? Tarsus vrbs erat Ciliciæ metropolis, in qua D. Paulus educatus fuerat.

Liberam aliquam vrbem exhibet tertius nummus, cum Dianæ Ephesiæ typo inter tauros erecto, quale in aliis cernitur: nomen vrbis eripit erosio nummi.

De Samosata Comagenes metropoli supra dictum est pag. 201. 3.

Amm. Marcell. lib. 31. Nicopolim quintus exhibet, quam ex pluribus eiusdem nominis sacræ nomen indicat eam esse quæ in Mysia iuxta Iatri & Danubii confluentiam est constituta, notissima quoniam deuictis Sarmatis Traianus eam ædificauit, & appellauit *Victoriæ ciuitatem.* Hanc liberam fuisse probat id solenne Nicopolitanorum sacramentum,

Epictet. l. 4. cap. 1. *Ita nos fortuna Cæsaris*, Hadrianum intelligebant, *adiuuet, liberi sumus*, οὕτω καὶ Νικοπολῖται ἐπιβοᾶν εἰώθασι, νὴ τὴν Καισαρος τύχην ἐλεύθεροί ἐσμέν.

Vlpia Serdica Thraciæ vrbs à Traiano ſuum agnomen accepit quemadmodum Pautalia, de quo ſupra pag. 251.

1. Ceres cernitur in primo nummo Proſerpinam quærens, indicant id angues currum vehentes.

2. Æſculapius ſtat in altero, quem Pergami primum deinde in vicinis regionibus cultum fuiſſe tradit Pauſanias.

3. Tertius ſeu Deum ſeu Imperatorem ſedentem repræſentat, quem vulgauit Cl. Triſtanus.

Plautilla Fuluii Plautiani viri ditiſſimi filia vxor fuit Caracallæ: *illam impudentiſſimam fuiſſe* docet Dio, ἀναιδεστάτην. In Siciliam primùm fuit relegata: vixit in Lipara cum fratre Plauto calamitoſiſſimè in maximo metu & inopia rerum neceſſariarum, donec tandem ambo iuſſu Caracallæ interfecti fuerint. Lib. 77.

1. Venvs Victrix in primo eius nummo cernitur: eam pridem Fauſtinæ filiæ nummi celebrauerant, ſed diuerſo habitu. Plautilla vt Venus altera pomum tenet & palmam, orbis & victoriæ indicia. Per præeuntem Cupidinem demonſtrare videtur eximia ſua forma Caracallam ſibi devinxiſſe. Amorem hoc ſimulacro indicari docet primum ætas, tum alæ, quamquam eius oculos vt ſolet nulla vitta cingit, fortaſſe ne cæcus Cæſaris amor in Plautillam exiſtimaretur, & ſubindicaretur tam iudicio quam affectu hanc ſibi vxorem cooptaſſe. Clipeus in quo leo ſcalptus eſt victum

Cara-

Caracallam demonſtrat: is enim quàm auidè leonis ſymbolum ſuſceperit, in eius commentariis dictum eſt. Illam Venerem celebrat hæc inſcriptio.

Gruter. pag. 70.

VENERI VICTRICI
L. CORDIVS SYMPHORVS MEDICVS
SACR. EX VOTO.

Notatu etiam dignum eſt illud epigramma quod Veneris victorias celebrat,

Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis,
Penſa dedi Alcidæ, Bacchum ſeruire coëgi
Quamuis liber erat, feci ſeruire Tonantem
Quamuis liber erat, Martem ſine marte ſubegi. 2.

Concordiam Auguſtorum exponit alter ſub habitu Deæ ſedentis pateram & cornucopiæ tenentis. Primis coniugii annis veriſimile eſt hunc nummum fuiſſe cuſum, non procul enim diſſociatis animis vir vxorem in perpetuum relegauit. 3.

Pietatem exprimebant Romani Deâ puellum fouente: ſic in hoc nummo Plautillam venerantur quæ filium ſuum Antoninum aut filiam, vtrosque enim ex Caracalla ſuſceperat, ſanguine primum deinde amore materno quo nullus maior, fouere videtur.



Coloniam Latinam Iuliam Corinthum ſuos nummos frequenter Romanis Imperatoribus obtuliſſe ſupra dictum eſt. Exempla ſunt nummi Iulii, Auguſti, Caligulæ, Neronis, Galbæ, Hadriani, Sabinæ, M. Aurelii, Veri, Commodi, & Seueri, quos ſupra ſuo loco vulgauimus. Quid in illam beneficii congeſſerit Plautilla quod hoc redhoneſtamentum merita fuerit, non noui, niſi propter virum Caracallam.

Perrarus hic nummus nomine & cognomine Fuluiæ Plautillæ inſcriptus eſt, quæ Fuluii Plautiani filia fuerat, de quo Spartianus. In Seuer. & Caracal. Auerſam partem explicat Triſtanus, Gazam Azeorum. Gaſa enim enim in illa Syriæ parte ſita eſt quæ Aza dicitur, ob montem eius nominis. Diana & Iupiter in templo cernuntur qui præcipuè Gaſæ colebantur.

Eumdem Æſculapium Plautillæ offerunt Elaitæ quo pridem Iulia eius ſocrus condecorata fuerat. Is nummum indicat potius in Aeolide cuſum, quam in Palæſtina, ob Pergami viciniam, ibi enim cultus Aeſculapii originem. de qua ſic Stephanus, Ελαία πόλις τῆς Ασίας Αιολικῆ Περγαμηνῶν ἐπίνειον. De Vrbibus.



SEPTIMIVS GETA patre Seuero, matre Iulia genitus, adoleſcens aſperis moribus non tamen impiis, natura decorus, guloſus, ciborum cupidus & vini conditi, veſtitus nitidi cupidiſſimus, probus, moderatus & lenis, litteris & honeſtis ſtudiis deditus, diſciplinarum gloria viros celebres amauit, & in palæſtra exercitatos, placidus, humanus in optimos quosque, matri amabilior quam frater, cui ſemper erat inuiſus. Poſt Parthicum bellum cum ingenti gloria floreret, Baſſiano Principe imperii appellato, Geta quoque Cæſaris & Antonini nomen accepit. Mortuo patre à fratre petitus eſt inſidiis, quos Seueri amici & Conſiliarii reconciliare ſtudebant, diuiſo vtrisque conſentientibus Romano imperio, vt Europa cum partibus meridionalibus Baſſiano cederet, Aſia & Orientis
Herod. imperium Getæ. At Iulia mater illos alloquens, Terram quidem & mare, ô filii, iam inueniſtis quo pacto diuidatis, matrem vero quonam modo diuidetis? quonam modo infelix ergo deſtituar inter vtrumque veſtrum, aut diſſecabor? &c. Sed odium fraternum in dies gliſcebat, & Antoninus fratri infenſus quia eum maior pars ob probitatem ſectabatur, primum parauit inſidias veneno, quibus non procedentibus, nihil tale expectante Geta, in eius irrumpit cubiculum & ſupra matris pectus obtruncat. Mortuus in Septizonium quod Seueri ſepulchrum erat, in via Appia illatus eſt. Vixit annis XXII. menſ. IX. Obſeruandum in nummis Getæ & Lucii & Publii nomen exſtare; Interdum etiam aut Cæſarem aut Auguſtum nuncupari.

1. Rem ſanè illuſtrem exhibet primus nummus, cum hoc titulo NOBILITAS. Figura muliebris ſiniſtra tenet exiguum victoriæ ſimulachrum, niſi mauis imaginem quod ad id referri poteſt, quod nobiles apud Romanos demum ii dicebantur qui magiſtratum curulem geſſerant, quorum primus erat ædilitas curulis, quâ ius imaginis ponendæ habebant, vt & paſſim ſe adeptum gloriatur Cicero, poſtquam Aedilis curulis factus eſt. Fortaſſis imaginem teneret Nobilitas tanquam propriam honoris notam.

2. In altero miles ſtat dextra coronam imponens trophæo qui virtutem Getæ bellicam celebrat: *Is enim in Parthico & Britannico bello ingenti gloria floruerat*, inquit Spartianus. Notandum autem in hoc nummo Getam Auguſti nomen ſumpſiſſe quod ex autoribus non patet. In Geta.

3. Tertius templum exhibet in quo Hercules ſtat inter duos angues. Similem typum ſibi prius vindicauerant Seuerus & Caracalla, quòd Herculem tanquam ſuum & proprium Deum venerabantur. Veriſimile eſt ambos fratres Herculem ſibi propitium ambiiſſe, qui Seuero ſemper fauiſſe videbatur; Is enim à Tripolitanis colebatur apud quos Seuerus natus erat, hinc Deus patrius dicebatur. Θεὸς πατρῴους vocabat antiquitas,

Dii patrii ſeruate domum, ſeruate nepotem. Virgil.
——— ——— *patriosque penates.*

4. Quartum ſic interpretatur Triſtanus. *Roma ſedet*, inquit, *felicis habitu: ſerpens oliuæ intortus felicitatem & pacem indicat, cornix clypeo inſidens fratrum concordiam.* Coniecturam deſtruit nummus noſter integrior; noctuam enim exhibet non cornicem. Quamobrem Palladem non Romam ſedere certum eſt, quæ ſerpentem paſcit prudentiæ ſymbolum. Ei enim oliuam ſacram eſſe palam teſtatur antiquitas.

Oleæque Minervæ——Inuentrix.

Mineruam celebrant Getæ nummi ex argento, cum hoc lemmate, MINERVA, aut MINERVÆ SANCTÆ, aut MINERVA VICTRIX.

5. Fortunam indicabant Antiqui figura muliebri temonem & cornucopiæ tenente; dum illam vt reducem venerabantur rotam ſuperaddebant, qua iter ſignificabatur: ſic via Traiana in ſuperioribus muliebri figura rotam moderante ſcalpta eſt. Rotam quæ Fortunæ appoſita eſt illuſtrat Boëtius, ipſam Fortunam ſic loquentem fingens. *Rotam volubili orbe verſamus infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus.* De conſol. philoſoph. lib. II.



Rariores & illuſtriores Getæ nummos exhibet hæc tabella. Pri- 1.
mus quidem FELICITATEM SÆCVLI demonſtrat ſub typo Imperatoris Seueri ſedentis in theatro congiarium Populo Romano largientis coram filiis Caracalla & Geta. Cum enim imperium Romanum ſumma frueretur pace, Seuerus Caracallam iterum, Getam primùm Conſules fecit, in cuius honoris memoriam & liberaliter egiſſe & nummum cudiſſe verisimile eſt. Mulier iis aſſidens videtur eſſe Iulia ſub Liberalitatis habitu.

Geta in ſecundo nummo gaudet equis, cum duobus aliis Prin- 2.
cipem iuuentutis comitantibus.

Virgil. Æneid. 5.

Hunc morem hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius longam muris cum cingeret Albam
Rettulit, & priſcos docuit celebrare latinos.
Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes
Albani docuere ſuos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem,
Troiaque nunc pueri Troianum dicitur agmen.

Vnde eiusmodi luſus Troia dicebatur, ab Iulo Troiano inuentore: ſic Feſtus, *Troia luſus puerorum equeſtris dicitur.* Eius frequenter meminit Suetonius. Illius frequens eſt mentio apud antiquos autores. pro omnibus ſit locus ille Dionis, *Porro in ſacrarii conſecratione, ludi omnis generis facti ſunt*, de templo Iulio Cæſari dicato loquitur, *Patriciique pueri Troiam luſerunt, virique ſimili ratione equis celeribus bigis & quadrigis certauerunt.* Celare non debeo in meas manus incidiſſe nummum Seueri indubitatæ antiquitatis cum eodem typo: an Monetarii errorem commiſerint, patris faciem nummo filii applicantes: nusquam enim Seuerus dictus eſt PRINCEPS IVVENTVTIS.

In Aug. In Ner. Alex. ab Alex. l. 6. Lib. 51.

De Sæcularibus ludis dictum eſt abunde pag. 158. Hos celebra- 3.
uit Seuerus, cuius honoris participes filios fecit: cernitur ideo inter vtrosque ſacrificans ſuper ara in illorum medio poſita. Typus ſimilis exſtat in nummis patris & filiorum.

An Parthicam an Britannicam victoriam celebret hic nummus 4.
incertum eſt, poſteriorem tamen arbitror. Victoria trophæo impoſita coronat Caracallam togatum & Getam paludatum; infra iacet captiuus: Res ita clara eſt vt vberiori explicatione non indigeat,

5. Dexteritatem Getæ in regendis equis poſtremus nummus docet, dum illum Caſtori comparat. Hic generoſiſſimum equum Cyllarum à Iunone muneri acceperat, quem Deæ Neptunus dederat. De eo ſic Propertius, Lib. 2. eleg. 6.

Quod ſi Romanæ comitarent caſtra puellæ,
Non mihi ſat magnus Caſtoris iret equus.

1. Colonias plurimas Getæ gratulatas eſſe teſtis ſit hæc tabella, quas
2. tiue ob claram eius indolem ſiue ob patrem Seuerum id feciſſe veriſimile eſt. Quæ fuerit Colonia Latina Iulia Corinthus in ſuperioribus frequenter dictum eſt.

3. Coloniam Helviam Ricinam eoſdem honores in Getam contuliſſe quam in Caracallam & inſtauratorem Seuerum hic nummus demonſtrat: de ea dictum eſt pag. 282.

4. Quartus Coloniam Ptolemaidem refert iugo boum à colono acto: ſed qualis fuerit hæc Ptolemais in tanto vrbium eiusdem nominis numero non nobis conſtat.

5. Piſcis in medio nummo cernitur cum inſcriptione Sinopes: hæc Aſiæ minoris vrbs eſt & colonia in Paphlagonia ad Pontum Euxinum: cur Pelamidem eſſe dubitaremus cum iis piſcibus Pontus Euxinus abundaret, de quibus dictum eſt in Plotinæ nummo pag. 188. Præcedentes litteras C. I. F. non intelligo, C. quidem coloniam indicat.

6. Stabov in ſexto ſcriptum eſt quod interpretari difficillimum fuiſſet, niſi typus, vacca nempe rem noſtram elucidare & illuſtrare videretur. Docet Galenus noſter lac Stabianum Phthiſicis eſſe ſalubre: hæc ſunt Symmachi verba ad Nicomachi filios, *Stabias ire deſiderant vt reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant.* An Stabiæ legendum an Tabii? vtrumque enim apud Autores, hoc tamen mendosè. Locus eſt Campaniæ in imo ſinu qui inter Neapolim & Surrentum conſpicitur: hodie vocari *Monte de la Torre* Lib. 5. meth. medendi.

De Thermis. ſcribit Andr. Baccius: quare eundem eſſe locum ſuſpicor quem *lacteum montem* vocat Procopius circa Veſeuum ad Draconis fluminis ripam. Cum igitur lacte vaccino locus ille commendaretur, ideo vaccam in nummo cœlatam eſſe exiſtimamus, quemadmodum cœteri populi id quod aut ſoli, aut quod pretioſius habebant ſuis nummis inſculpebant, ſic Perinthii vuam, Damaſceni pruna, Byzantii pelamides, Carthaginenſes equum in nummis ſcalpſiſſe ſupra expoſuimus.

Occurit iterum Mvnicipium Stobensium, eadem Victoria inſignitum quam Seuero patri, Iuliæ matri, Caracallæ fratri iam pridem Municipes obtulerant. De iis dictum eſt pag. 143. Coniectura eſt eos ſibi conciliandæ Imperatoris beneuolentiæ gratiâ tum ipſi tum familiæ dilectiſſimæ ſuos nummos dicauiſſe, eodem typo inſignitos.

De Laodicæa dictum eſt pag. 229.... Templum & Dea in templo adquid referri debeant incertum. certè characteres partim latini partim græci vtriuſque populi & viciniam & concordiam innuunt, qui & Seuero & Caracallæ ſuos nummos iampridem dicauerant.



Eandem Ponti metropolim celebrat primus hic nummus: hæc iampridem ſuos nummos Seuero & Caracallæ dicauerat. Tomenſes de quibus dictum eſt pag. 282. Getæ etiam gloriæ & victoriæ honores tribuerunt, dum aquilam aræ impoſitam quaſi Iouis alitem triumphantem inter duo ſigna militaria in nummis eius ſignarunt. De Adrianopolitanis dictum eſt pag. 203. Hercules leonem ſuffocans pro typo eſt, cui Getam comparabant,

Ex Catalect. Virgilii.

Compreſſit Nemeæ primùm virtute leonem.

1. Quæ primum Stratonice ab vxore Antiochi dicta est, Hadrianopolis ab instauratore Hadriano demum est nominata. Fertilitatem soli indicat typus: Ceres ambabus manibus faces tenet quibus filiam Proserpinam quæsiisse fabula est: iuxta pedes cernitur eius currus à serpentibus vectus. De Cerere abunde dictum in nostris FAMILIIS ROMANIS. In gente Vibia.

2. Corcyræos suos nummos dicasse Caracallæ supra dictum est,
3. eosdem Getam simili honore affeciisse probant hi nummi. Quamobrem verisimile videtur eos populos qui Seuero gratulati sunt, etiam
4. Caracallæ & Getæ suos nummos eodem consilio obtulisse: Patet id
5. ex sequentibus, Nicæenses enim, Chalcedonenses, Perinthii, Pautaliatæ,
6. Ephesii, quorum nummos qui ad Getam pertinent hic subiecimus
7. aut Seuero aut Iuliæ aut Caracallæ nummos iampridem cuderant,
8. quod populorum mentem beneuolam erga istam familiam satis
9. demonstrat. Strabo Steph.

10. Diana quam omnes fere Asiatici summa religione colebant cernitur in decimo nummo venatricis vt solet, habitu. Anchialam autem Tarsum ipsam Ciliciæ fuisse aut ei vicinam satis constat ex Autoribus quos legi, quamuis vtra sit harum non ausim affirmare.

11. Viginti quatuor vrbes fuisse Apolloniæ nomine memorat Stephanus, septem alias Ortelius, quæ an ad nummum ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ pertineant nec ne, dubito: *Apollonias quidem vrbs est metropolis maioris Phrygiæ*, inquit Strabo; hæc tamen quæ propius ad nummum nostrum accedit videtur esse Apollonia Corinthorum colonia in Illyria prope Epidamnum, in finibus Plin.

Macedoniæ, quod multi vicinarum huic vrbium nummi ſuperſint. Interpretatio typi non liquet quamuis elegantis. Nauis maritimam vrbem denotat: id confirmat nummus Seueri ex magno ære quem poſſideo, in quo Neptunus pro typo eſt, ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ pro inſcriptione. Porro iterum notandum & Getam in hoc nummo Auguſtum ΣΕΒΑΣΤΟΝ nominari.

Sicyonenſium typus exſtat in duodecimo: Salus pateram tenet eius collo ſerpens inuoluitur. Sicyon vrbs eſt Peloponneſi, quæ apud Suidam Ελλάς, Stephano Τελχινία & Μήκων, Straboni Αιγιάλεα quaſi littoralis & Ιωνία. Supra dictum eſt Sicyoniis mandatam fuiſſe ludorum Iſthmiorum curam vaſtata Corintho apud quam fieri ſolebant, reſtituta Corinthiis commiſſam, quod proximitatem locorum arguit. 12. Pauſan.

Decimus tertius Heracleam in Ponto denotat expreſſis verbis quibus à viginti duabus aliis eiusdem nominis vrbibus differret. *Oppidum Heraclea Lyco flumini appoſitum*, inquit Plinius, *abeſt à Ponti ore milliariis ducentis, Portus Acone veneno aconito dirus*, Palladem ibi cultam fuiſſe teſtatur nummus noſter, etſi Iouem & Bacchum vt in Thracia etiam adorari ex aliis nummis certum ſit. 13. L. 6. c. 1.

Poſtremos nummos à quibus fuerint cuſi, alii integriores, ſi aliquando occurrunt, docebunt. 14. 15.

M. Opelivs Severvs Macrinvs natione Maurus, obſcuro genere natus, probitate & æquitate ſua obſcurabat ignobilitatem generis, neque enim æquum bonumque tam diligenter didicerat, quam tractabat fideliter. Prætorio Præfectus magiſtratum iuſtiſſimè adminiſtrauit. Quarto poſt interfectum Caracallam die, à militibus Imperator creatur, homo animi atque oris impudentis. Imperium aſſecutus nunc Seuerum, nunc Antoninum ſe vocauit, militibus promittens ſe liberaturum eos bello quò maximè defatigabantur. Magiſtratus indignis hominibus dedit; ratus hoc modo contegere ignobilitatem generis. Cum Artabano Magno Rege duobus diebus conflixit, cum quo tandem fœdus percuſſit. Interea factionibus Soëmiadis Elagabalus Imperator eſt deſignatus, cuius ætatem ac mores Macrinus ad Senatum per litteras notat & Diadumenianum filium Elegabalo multo iuniorem Imperatorem deſignat: ſed legiones ad Antoninum deficiunt, qui magna celeritate cum Macrino conſligit in vico Antiochenorum, eumque in fugam vertit. Hic miſſo ad Artabanum filio Antiochiam venit, mox Ægas Ciliciæ, tandem Chalcedonem nauigauit, vbi à militibus Elagabali cum filio comprehenſus occiſus eſt, abſciſſumque vtriusque caput ad Elagabalum perlatum. Regnauit menſibus XIV. homo faſtuoſus, arrogans, & ſanguinarius.



NOn modo boni Imperatores ſed etiam qui malis artibus ad ſummam imperandi poteſtatem erant euecti, ſolebant omnia tuta Senatui Populoque Romano promittere; idque non modo priuatim ſed & publicè per ſuos nummos patefaciebant: ſic Macrinus plurima promiſit quorum duo teſtimonia hic exprimi curauimus.

SECVRITAS TEMPORVM Deâ columnæ innixâ repræſentatur & 1.
FELICITAS Deâ caduceum tenente. 2.

Tertius nummus Iouem eſſe Imperatorum patronum teſtatur, 3.
dum Macrinum exhibet quem tuetur Iupiter conſeruator, ſimili habitu in priorum Imperatorum nummis repræſentatus.

Sequentes duo Victoriam de Parthis reportatam celebrant,
5. milliones aureor. gallicor. quamuis Macrinus copias Artabani vix fuderit, ſed pacem ingenti 4.
pecunia mercatus fuerit, nimirum ad bis millies H-S. Hic tamen 5.
ad Senatum epiſtolis laureatis vt victor, ſcripſit. Et reuera de ea re
ſic eſt apud Spartianum, *Pugnauit tamen & contra Parthos & contra*
In Macrin. *Armenios & contra Arabas, quos Eudæmonas vocant, non minus fortiter quam feliciter.* Alter triumphum exhibet Macrini in quadrigis à
victoriâ coronati. Nummum hunc deſcribit Occo, medicæ artis &
Herodian. nummariæ peritiſſimus, ſe tamen illum non vidiſſe teſtatur. Eius
autem triumphi nullum apud Autores veſtigium ſupereſt. Quomodo triumphaſſet qui ab eo tempore quo factus eſt Imperator nunquam in Vrbem introiit.



Xiphilin. DUplicem de Cæſarea in Macrini nummis ſententiam aperit 1.
Triſtanus. Ea eſt fortaſſis in Mauretania ex qua Macrinum ortum eſſe arbitrabantur, ὁ μὲν γένος Μαῦρος ἀπὸ Σικελίας Καισαρείας, quod tamen ita corrigi poteſt ὁ μὲν γένος Μαῦρος ἀπὸ Κιλικίας Καισαρείας. Rem dirimere nobis videtur Cedrenus, his verbis, Μετὰ Αντωνῖνον ἐβασίλευσε Μακρῖνος ὃς ἦν τὸ γένος Μαῦρος Καππαδόκης, hoc eſt, *Poſt Caracallam regnauit Macrinus genere*

genere Maurus Cappadox. Strabo Cappadociam Ponticam diuidit in quinque præfecturas, Maurimenam, Cammanenam, Sargaricenam, Sarguſenam & Lauinoſenam. Quibus cum Triſtano Cæſaream illam quæ nummum cudit illi tribuendam eſſe exiſtimamus, quæ eſt in Cappadocia ex qua ortus erat Macrinus. Hanc Mazacam prius dictam à Claudio Imperatore Cæſareæ nomen ſumpſiſſe ſupra dictum eſt. Colonus agit bouem in nummo, quod reſtitutam coloniam indicat. Lib. 12.

2. Bos etiam in ſecundo coloniam eſſe SEPFYRVM indicaret, niſi colonia in eodem nominaretur, vt & Metropolis. De ea iam dictum eſt. Vexillum militare in quo LEGIO XII. ſcripta eſt, coniecturam facit legionem duodecimam hac in vrbe hyemaſſe: concha in ima nummi parti poſita ex earum genere quæ purpuram fundere ſolent, viciniam Tyri indicat, de qua dictum eſt pag. 299.

3. Quid indicet tertius nummus incertum eſt. Ælium municipium videtur deſignare Hieroſolymam: De ea appellatione dictum eſt pag. 196. Sed ad quid prora nauis? Hieroſolyma enim vrbs eſt mediterranea.

1. Phaneam in Palæſtina ſupra explicauimus pag. 241. Aquilæ alis expanſis mons eſt impoſitus, in cuius vertice templum conſpicitur: Nummum noſtrum & ſi integerrimum illuſtrat ille ex maiori modulo, quem in ampliſſimo ſuo nummario penu poſſidet vir bono publico natus Illuſtriſſimus Galliarum Senatus Princeps LAMONIVS.

2. Nicæenſes ſecundum nummum cudere, in quo Macrinus ſtat ſub habitu Iouis vrbis Cuſtodis: Is enim Πολιεὺς à Nicæenſibus vocabatur & ſumma veneratione colebatur. De eo ſic Dio Chryſoſtomus, Ἔυχομαι δὴ τῷ τε Διονύσῳ τῷ Προπάτορι τῆς τε τῆς πόλεως καὶ Ἡρακλεῖ τῷ κτίσαντι τήν τε τὴν πόλιν καὶ Δία Πολιέα καὶ Αθηνᾶν; hoc eſt, *Precor Bacchum primum authorem huius vrbis, Herculem conditorem, Iouem protectorem & Mineruam.* Statuam fortaſſis eo habitu Macrino dicauerant, qui eos à Parthorum bello liberauerat. Orat. 39.

3. Effigies Diadumeniani tertium nummum illuſtrat de quo ſuo loco dicetur.

Diana venatrix arcu & pharetra ornata cum cane venatico frequenter occurrit in nummis Ephesiorum. De illa frequenter dictum est in superioribus. 4.

Gabalitanorum Fortunam sedentem exhibet postremus nummus. Gabala in Cæle-Syria sita est, de qua dictum est pag. 243.

Plures eiusdem nominis vrbes à Geographis perhibentur, quarum confusionem omnimodè dirimit epithetum cùm appositum est, vt in hoc nummo in quo NICOPOLIS AD ISTRVM, scriptum est: Id diuitias numismatum supra libros arguit: sic nomina fluuiorum vel montium vel prouinciarum, vrbes in numismatibus frequenter illustrant. Legitur ΜΑΓΝΗΤΩΝ CYΠΙΛΟΥ in nummo Domitiæ, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΠΡΟC ΕΥΦΡΑΤΗΝ in nummo Seueri, ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΚΑΛΙΚΑΔΝΟΥ in nummo Caracallæ, ΗΡΑΚΛΕΙΑC ΕΝ ΠΟΝΤΩ & ΜΗΤΡ. ΠΡΟΥCΙΕΩΝ ΠΡΟC ΥΠΙΩ in nummis eiusdem Macrini: plura alia sunt in hoc libro similia exempla, quæ breuitatis causâ tacebo. Celeberrima erat illa Nicopolis prope Actium, iuxta quam Augustus vicit Antonium & Cleopatram; altera etiam in Thracia, vt cœteras taceam, ad Nessum fluuium, sed hæ ad nummum nostrum non pertinent. Nicopolis enim ad Istrum vrbs erat Mysiæ quam indicium victoriæ contra Dacos Traianus condiderat. Ister autem apud antiquos idem erat quam nunc Danubius. Æsculapius & filia Hygiea hic scalpti sunt, vt in Antonini nummo supra vulgato & explicato pag. 225.

Amm. Marcel. lib. 31.

M. Avr. Anton. Diadvmenianvs puer fuit omnium ſpecioſiſſimus, ſtatura longiuſcula, crine flauo, nigris oculis, naſo diducto, ad omnem decorem mento compoſito, ore ad oſcula parato, fortis naturaliter, exercitio delicatior, Macrini, & Noniæ Celſæ filius fuit. Hunc cum Patre Imperatorem dixit exercitus. Stupenda ei facta erant omina imperii, ſed non diuturni, vt euenit. Eius verba ad milites commemorat Lampridius cum ad Imperium euectus eſt. *Gratias ago vobis, Commilitones, quod me imperio donaſtis & nomine*, nempe Antonini quod nummum explicat, *ſiquidem dignos & me & patrem meum duxiſtis quos Imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis Rempublicam. Et pater quidem meus curabit ne deſit imperio: Ego autem elaborabo ne deſim nomini Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri ſuſcepiſſe nomen, quibus ſatisfacere difficile eſt. Interim tamen cauſa imperii, cauſa nominis, id omne quod pater & tantumdem promitto, honoribus vt venerandus Macrinus pater præſens promiſit, duplicatis.* Macrinus tandem ob inciuilem atque aſperum principatum ab exercitu interfectus eſt: Plures tunc Diadumenum ſeruare voluerunt; ſed exſtitit cubicularius, qui eius epiſtolas concioni legit quibus illum vltra ætatem fæuiſſe compertum eſt. quare cum patre interfectus eſt. Amborum capita pilo affixa ſunt. Vixit annis ſedecim: Duodecim tantum ſcribit Lampridius. Lampríd.

HOs nummos hic apponi curauimus ob eximiam pulchritudinem. 1. Inſcriptio nihil nos docet præter honores Cæſari Diadumeniano 2. delatos. PRINCEPS IVVENTVTIS dictus eſt quemadmodum antea plures Auguſtorum filii. Inſcriptam dignitatem ſuppeditat Pag. 271. Gruterus.

M. OPELII ANTONINI
DIADVMENIANI CAES.
PRINCIPIS IVVENTVTIS
C. PERPINIANVS V.C.
PRAEF. VRB. D. D.

Spem publicam in eo florere indicat tertius nummus, quæ 3. ſæpe in puerorum & adoleſcentium nummis viſitur, quia in illis Seruius. *non res laudanda eſt ſed ſpes*, inquit Cicero.

DE Tyro quæ legitur in duobus hiſce nummis dictum eſt pag. 166. & 299. typum interpretari lubet. Palma quæ Φοίνιξ à Græcis appellatur Phœniciæ nomen dedit ob copiam, eiuſque perpetuum eſt ſymbolum: patet id ex nummis. Herculis Tyrii facta eſt mentio pag. 299.

1. Raritatem horum nummorum illustriorem facit illorum typus & inscriptio. Quæ Phana vrbs Palæstinæ nummos Macrino dicauerat, eadem Diadumeniano etiam obtulit. Dea medium templi occupat, quam Palladem esse ex habitu suspicor.
2. Byzantini Victoriam Diadumeniano offerunt, quæ coronâ & palmâ nil nisi faustum præbere videtur.

Primus hic nummus à Corcyreensibus videtur cusus; nauem enim propemodum similem supra vulgauimus in Caracallæ nummo, qui vix occurrit in aliorum populorum nummis. Rationem diximus pag. 305.

Alterum nummum explicasse videtur Lampridius, dum Diadumeniani habitam ad milites concionem refert, gratias agentis quod illi imperium & Antonini nomen donauerint: *Hac enim habita concione, statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est:* Aquila & corona ex laurea frequenter occurrunt in aliis Antiochiensium nummis. In Diadum.

Quomodo autem S. C. hic Senatus consultum significet, sane non video, nec enim Senatus de moneta Antonini cudenda decreuerat aut decernere potuerat, tanta erat populorum distantia, tanta imperii breuitas. Coniectura est Antiochenses id placiturum Senatui quod exercitui placebat arbitratos esse, nec Antonini electionem irritam fore, quare Senatus ratihabitionem suis votis designare voluerunt, ad id fortassis coactos fuisse verisimile est.

AVREL. ANTONINVS ELAGABALVS Varii Marcelli Sacerdotis Solis, ſimulatus eſt Baſſiani Caracallæ ex Soëmiade filius. A primis incunabulis in ſummo enutritus luxu & tantùm matri deditus, vt cum ipſâ meretricis more omnia turpia exerceret. Cum templi Elagabali Sacerdos eſſet, à militibus Imperator creatur; homo omnium impuriſſimus qui fato quodam Romanum deformauit imperium. Morte mulctauit homines ſibi amiciſſimos quod ipſum hortarentur modeſtè & temperanter viuere: Tandem omnibus inuiſus à militibus interfectus eſt & cum eo mater quæ eum mordicus tenebat. Vtriuſque capita abſciſſa, denudataque cadauera, primùm per Circum & totam vrbem trahuntur, deinde mulieris corpus aliò, iſtius cadauer in Tiberim pondere annexo præcipitatur, ne vnquam ſepeliri poſſet. Vitæ & regni anni incerti ſunt, varios enim tradunt autores: certum eſt non ſupra viginti vixiſſe, nec quinque regnaſſe.

Impuriſſimum ſacerdotem ſi vnquam fuerit habes in prioribus nummis: fuit enim hic Imperator Alagabali vel Iouis vel Solis ſacerdos. *Cum primùm Varius à patre dictus eſſet, Antonini nomen ſibi aſciuit, poſt Heliogabalus dictus eſt, à ſacerdotio Dei Alagabali cui templum Romæ conſtituit quem è Syria ſecum aduexit; deinde Alagabalum in Palatino monte iuxta ædes imperatorias conſecrauit, ſtudens & Matris typum & Veſtæ ignem & Palladium & ancilia & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens ne quis Romæ Deus niſi Alagabalus coleretur. Dicebat præterea Iudæorum & Samaritanorum religiones & Chriſtianam deuotionem illuc transferendam, vt omnium culturarum ſecretum Alagabali ſacerdotium teneret*: Hæc Lampridius. *Inter eius ſcelera illud eſt de Eliogabalo, non ſolum quod Deum peregrinum introduxit in vrbem, aut quod eum nouis & magnis honoribus affecit, ſed quod Ioui eum antepoſuit, ſeque Sacerdotem eius fieri decreto ſenatus iuſſit: itaque indutus veſte barbara quali Syri ſacerdotes vtuntur, ſæpe publicè viſus eſt*, ex quo potiſſimum Aſſyrii cognomen cepit. Dubitatum à Capitolino & Lampridio de hoc Syrorum idolo, Solne eſſet an Iupiter, ſed tollunt omnem dubitationem lapides in quibus coniunctim SOL ALAGABALVS nominatur, & hi nummi quorum tertius Solem capite radiato exprimit. Dio deinde & Herodianus Ἥλιον Solem ſine vlla dubitatione interpretantur. Plerasque gentes orientis præcipuo cultu Solem veneratas eſſe cum alia multa teſtantur, tum etiam ex hoc nomine poteſt colligi; vt enim Athenienſes τὸν Θεὸν ſimpliciter cùm dicerent Mineruam intelligebant, ſic iſti Solem communi nomine Deum dixerunt: notanda veniunt hæc Herodiani verba. Φήσας δὲ ἀπαρέσκεσθαι, hoc eſt, *Negans autem cordi eſſe ſuo Deo belligeram vxorem atque armatam*, Palladem ſubintelligebat, *ſimulacrum Vraniæ iuſſit afferri, quod ſcilicet Carthaginienſibus omnique Africæ incredibilem in modum venerabile poſitum fuiſſe à Phœniſſa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem diſſecto corio ædificauit. Hanc Afri Vraniam vocant, Phœnices Aſtroarchen, Lunam eſſe affirmantes: Congruere igitur aiebat Elagabalus matrimonium Solis & Lunæ.* Frequenter occurrunt nummi ex argento, in quibus circum Imperatorem ſacrificantem legitur SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALVS. Prætermittendum non eſt

Lamprid. in Eliog.

Xiphil. lib. 24.

Caſaubon.

in ſingulis Elagabali nummis latinis ſydus cerni in ſtellæ modum cum ſex aut 7. aut 8. radiis, quod procul dubio Solem repræſentat, Imperatoris numen præcipuum. Autumant quidam hoc perpetuò in eius nummis reperiri, ex quo Baſſiani Caracallæ nummos ab Eliogabali differre arbitrantur, cùm vtriusque ſimilia ſint nomina, ſimiles tituli: verum quamuis hâc notâ ſignatos prorſus ad Eliogabalum referam, alteri tamen adſcribendos omnino non cenſeo qui hac nota carent. Præterea Caracallæ facies longior eſt, Eliogabali eminet & veluti pendet labrum inferius.



Eliogabalo eosdem delatos eſſe honores ac bonis Imperatoribus denotat hæc tabella. Eques cernitur in primo nummo cum Romam venit è Syria poſt deuictum Macrinum. In ſeiuge vehitur triumphantium more quamuis nullâ victoriâ potitus fuerit, nullum bellum geſſerit: ſi illud excipias quo Macrinus fugatus eſt, deinde occiſus. Quis tamen de Macrino illum triumphaſſe dicere audeat, cum veteres omnes tacuerint? Veriſimilius eſt ſuperbum Imperatorem etiam in aurigandi certamine quo ſummoperè oblectabatur triumphos ſibi decreuiſſe; *nam eo proceſſit veſaniæ*, vt teſtatur Lampridius, *vt gemmata vehicula & aurata habuerit, contemptis argentatis & choratis & æratis.* 1.

In Eliogab.

Scribit Lampridius, *Elagabalum vna die ad omnes circi & theatri & amphitheatri & omnium vrbis locorum meretrices, tectum cuculione mulionico ne agnoſceretur, ingreſſum, quum tamen omnibus meretricibus ſine effectu libidinis aureos donaret addens, Nemo ſciat, Antoninus hæc donat.* Hæc tamen minùs ad nummum ſpectare videntur cùm priuata ea cenſeri debeat prodigalitas potius quam liberalitas publica, cui laudandæ nummi fabricabantur. Herodianus propius rem attingit his verbis, *Diuiſo igitur congiario in populum, vt mos eſt imperium ſuſcipientibus, ſpectacula omnifariam edebat magnificentiſſima*, &c. 2.

In Eliogab.

Tres hos nummos quos Eliogabalo tribuo etiam Caracallæ posse adscribi non inficior, cum ex facie, titulis, aut auersis typis vix quidquam certi coniicere possim, omnia enim vtrique conveniunt.

1. Coniectura est ex facie Eliogabalum in his signatum esse. De
2. Stobensium municipio dictum est pag. 143. & de Tyro pag. 299. quam & ex inscriptione & ex concha muricis & rustico & palmâ eam esse certum est.

3. Quamuis de Laodicea iam facta fuerit mentio pag. 117. quid illam interfit & Eliogabalum aperiendum videtur. Supra dictum est hunc res sacras coëgisse in templum quod Alagabalo sacrauerat, *Lapides qui Diui dicuntur*, inquit Lampridius, *ex proprio templo abstulit, & Dianæ Laodiceæ simulachrum ex adyto suo in quo id Orestes posuerat, auferre voluit: Et Orestem quidem ferunt non vnum simulachrum Dianæ nec vno in loco posuisse sed multa in multis.* In Elagab. Horum autem lapidum diuinorum historia sic perhibetur: *Est Pharis aqua Mercurio sacra. Prope ipsum Dei signum lapides fere triginta erecti sunt quadrangula figura; singulos certis Deorum nominibus appellantes venerantur. Et sane Græcis olim omnibus patrium fuit rudes lapides pro Diis perinde ac simulachra ipsa colere.* Pausan. lib. 7. Ex iis constat hanc Laodiceam Achaiæ fuisse quam Pausanias *Orestidem* ideo vocat, Λαοδικεια της Ορεστιδος. Siue Dianam in templo siue Genium vrbis, ex eo quod eius caput turritum sit intellexeris, scalpturam nummi intelliges.

Interdum nummi annos imperii designant. Hi tres Herodiano fauent qui Elagabalum sex annis imperasse asserit, cum Dio, Lampridius, & Victor tribus tantum scriptò reliquerint. Δ porro &

E annum quartum & quintum ſignificant. Quod Serapidem ille coluerit Deum patrium, Deum Syrum & Ægyptium, ſi quemquam coluerit, veriſimile eſt. Teſtantur etiam inſcriptiones antiquæ,

Gruterus pag. 85.

SERAPI SACR.
IMP. CÆS. M.
AVREL. ANTONINVS
AVG. PIVS FELIX
COS. IIIII.
P. P.

PRO SALVTE IMP. CÆS.
M. AVR. ANTONINI AVG.
PII FEL. P. P.
VOTO SVSCEPTO
DEI MAGNI SERAPIDIS
TEMPLVM COLVMNIS &c.

Ab Antiochenſibus cuſos eſſe duos poſteriores nummos vbi ouis & aquila cernuntur, ex iis quæ ſupra dicta ſunt pag. 143. probabile eſt Poſtremus quidem ab iis certo cuſus eſt ex inſcriptione & typo ſolito. In eo lubet obſeruare numerum Græco more poſitum & notam ſenatus-conſulti Romanis characteribus.

Comm. hiſt. Tom. 2. In Eliogab.

Rariſſimi huius nummi inſcriptionem vix eſſem aſſequutus, niſi prænium haberem πολυμαθέσταλον Triſtanum. ΑΔΗΡ, inquit ille, Lingua Syriaca ſolem ſignificat quod capiti radiato Solis & Elagabali conuenit: ΒΗΝΟC non plurimum à Belo diſtat quem Iouem fuiſſe conſtat. Illorum dotes Elagabalo tribuuntur ab Hierapolitanis in auerſo nummo ſignatis: hi Salutem ſedentem exprimunt quam eam fuiſſe denotant ſerpens è patera comedens & Teleſphorus de quibus ſupra pag. 201. dictum eſt. Illam etiam ſuſpicatur Adargatim Deam in iis regionibus cultam, quo nomine Iuno, Cybele, Veneris, Iſis, Terra, Ceres, Hygieia, Salus deſignabantur; quod mirè nuſquam

Strabo lib. 16.

noſtro conuenit. Edeſſæ enim quæ Hierapolis nominatur, Adirgatis colebatur. Serapidem ab iis cultum fuiſſe teſtantur duo nummi quorum alter Serapidem ipſum, alter Iſidem in auerſa parte denotat, & nummum noſtrum illuſtrant. Faciem Imperatoris cum facie Solis in nummo coniunxerunt Hierapolitani, quo ſuam erga vtrumque venerationem illuſtrius teſtarentur: quippe Sol à Syris ſupra cæteros Deos colebatur: Elagabalus SVMMVS EIVS SACERDOS & INVICTVS dictus eſt, quod patet ex nummis.

1. Nicopoleos epithetum illud quod in his duobus nummis scri-
2. ptum est, facit, ut ab aliis eiusdem nominis vrbibus secernatur. De illa iam dictum est in Macrino pag. 322. Sub Nobio Ryfo cusos esse nummos inscriptio docet, quem Romanum fuisse Magistratum ex nomine coniectura est. Turris & mœnia fortassis vrbis instaurationem indicant, vt Imperator paludatus sacrificans adeptam aliquam victoriam.
3. Sequens nummus in vicina vrbe Avgvsta Traiana cusus est. De ea dictum est pag. 283. Annivs Marcvs eius Prætor in inscriptione indicatur. Cybele sedens ex leonibus, capite turrito & tympano demonstratur.

1. Duos priores huius tabellæ nummos illustrat Marcianopolitano-
2. rum nomen quod à Marciana Traiani sorore deducebant. Ii in Mysia ad Pontum Euxinum inter Odyssum & Anchialam. De ea passim. Ivlivs Antonivs aut Antoninvs Selevcvs, & Sergivs Tatianvs quales fuerint non est facile asserere, nisi Magistratus vrbis coniicias: Cœterum monendus est lector me alium vidisse nummum fere primò similem, in quo non Fortuna sed Dea pateram tenens iuxta aram sacrificat. Am. Marcel.
3. Vrbes Apolloniæ nomine tres & triginta fuisse constat, quare difficile esset eam designare quæ tertium nummum cudit. Mercurius rupi insidet, caduceum tenens; qui in nummis rarus est.
4. Quarti typus perrarus est & nisi me fallat coniectura, Saturnum Deorum Parentem exhibet, quem in nullo alio nummo vidisse memini. Herculis suæ vrbis conditoris auum fortassis Heracleotæ hoc monumento celebrauerunt. Heracleæ autem vrbes non minus fuere quam quinquaginta, quare difficillimum est certò nummum hunc alicui assignare: coniectura est ex superioribus nummis eam esse quæ in Mysia prope Marcianopolim & Nicopolim.

Asiæ populos exhibet hæc tabella. Gadaræenſes primum cuderunt. Sunt ii Cœle Syriæ populi, de quibus dictum eſt pag. 229. Quod ſupereſt in detrito & rariſſimo nummo, quanquam non ſatis eſt ad eius intelligentiam, ſufficit tamen ad accendendum deſiderium, reliqua ſi vnquam datur occaſio cognoſcendi.

Quales fuerint hi tres qui in Tripolitanorum nummo ſcalpti ſunt, non ſatis ſcio: An alludant ad tres populos Tripolim habitantes, Tyrios, Sydonios, Aradios. 2.

Dianam in tota fere Aſia cultam eſſe vt priores ſic tertius nummus docet: gradiens è pharetra ſagittam carpit poſt exploſum arcum, eam ſequitur canis ſiluaticus innuendæ venationis ſtudio. Thyatiram vrbem fuiſſe Lydiæ ſupra dictum eſt pag. 155. 3.

Sardiani Aſiæ propriæ populi fortaſſis leonem in ſuis nummis expreſſere quo Eliogabalum ſibi celeriùs demererentur, ſymbolum exprimendo illius quem patrem deſignauerat. Impurus enim Imperator cum Macrini mortem audiiſſet, non amplius Varium Marcellum ſed Caracallam citra veritatem ſibi in patrem aſciuerat. De coniunctione Leonis cum Caracalla dictum eſt in ſuperioribus pag. 295 Sydus appoſitum Solem deſignat cuius ſub Alagabali nomine ſummus erat Pontifex Eliogabalus. 4.

De Nizæa ſupra dictum eſt pag. 225. Signa militaria videntur deſignare ſummam imperii per exercitus delatam fuiſſe Eliogabalo poſt Macrini necem. 5.



Ludos exhibent hi nummi aut potius ludorum præmia. Primus quidem Auguſtales, quos Damaſci ab Auguſto inſtitutos eſſe licet coniicere tum ex nomine, tum ex corona quercea quam ſibi palam adſcripſit in nummis cum hoc titulo Ob Cives Servatos. Similem 1.

nummum

nummum Caracallæ tribuit Triſtanus ob eius matrem Syram Eliogabalo propius accedit qui ipſe Syrus erat. 5 Comm. hiſt. tom. 2. Epiſt. 24.

2. Herculeos Olympienſes alter deſignat & typo & inſcriptione : Palma è medio vaſe prodit, quod videtur oleis ornatum. Horum enim ludorum præmium erat corona ex oleaſtro, velut grande virtutis præmium : ſunt in iſthmiis ex pinu, pythiis ex lauro, in nemeis verò ex apio : Bene herculè cum poſteritate actum quod Græcis in mentem venerit hoc ludicrum ſumma religione quinto quoque anno celebrare ; nam eius beneficio, temporum exacta fuit poſtea notitia obſeruata, & hiſtoriæ res geſtas per olympiadas diſtinguunt. Curru primo certatum, mox varia certamina fuere addita, præcipua verò fuere iactus diſci, ſtadii curſus, luc̃ta, ſaltus & iaculatio, vnde & πένταθλον Græcis, Latinis Quinquertium dictum. Obſeruare oportet in hoc nummo & nomen & titulos Imperatoris. Etenim circum caput viſuntur Romani characteres, cum vas Græcis ornetur : quæ circum illud ſcripta ſunt ex integriori ſi vnquam appareat ſcire expecto.

Anniam Favstinam primam Elagabali vxorem celebrat perrarus hic nummus, quæ iampridem Pomponio Baſſo nupſerat ob id ab Elagabalo necato. Auum habuerat Marcum Aurelium per patrem Claudium Seuerum qui vxorem duxerat Vibiam Aureliam Sabinam Aurelii & Fauſtinæ quartam filiam. Herodianus illam, ſed mendosè, nuncupat tertiam Elagabali vxorem. Auerſam partem Triſtanus vulgauit, ex cimeliarchio viri ſuo æuo in antiquitatis peritia primas tenentis illuſtris Peireſcii. Characteres Græci vix leguntur. Dexteras iungunt vir & vxor quemadmodum in Caracallæ & Plautillæ nummis viſitur, cum eadem inſcriptione, innuendæ coniugum Concordiæ. Aſtrum etiam appoſitum eſt Solis ſignum, quod frequenter in nummis Elagabali occurrit.

Eamdem Anniam Fauſtinam repræſentat rariſſimus hic nummus. Doleo plurimùm quod vrbem in eo legere nequeam quæ Colonia & Metropolis indicatur: Colonus agens iugum boum, & vexillum in quo Legionis alicuius nomen ſcriptum eſt, denotant certe inſtauratam vel ornatam fuiſſe aliquam coloniam, cui firmandæ aliqua legio conſtituta eſt; integrior cœtera docebit. Attendendum ad Fauſtinæ ornatum, caput cuius in Luna falcata collocatumeſt.

Græcos nummos vt ſolemus, poſt latinos & colonias adiicimus. Vrbem in qua cuſus eſt hic nummus non facile eſt ſcribere: Coniectura eſt aliquem eſſe ex iisdem locis vbi tot eius viro Elagabalo fuerunt cuſi, nempe aut in Thracia aut in Macedonia. Fortuna temonem & cornucopiæ tenens ſtat in auerſa facie, quaſi eius habitum induiſſet hic Fauſtina. Sic olim Liuiæ Auguſti Cnidenſes nummum percuſſerant, quem ob conformitatem typi & raritatem apponi curaui. Vtrumque illuſtrat rarus ille Anniæ Fauſtinæ nummus, quem poſſidet in ſuperbiſſimo ſuo cimeliarchio Sereniſſima Suecorum &c. Regina Christina Alexandra, in quo circum ſtantem Fortunam legitur ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ ΝΙΚΑΙΕΩΝ quaſi illa Auguſta diceretur Bona Fortvna Nicaeensivm. Ingenioſiorem adulandi formulam vix reperires.

IVLIAM CORNELIAM PAVLLAM illustrissimam feminam duxit Elagabalus quo fieret pater celeriùs, qui ne vir quidem esse poterat. Hanc etiam Augustam appellauit, cum eâ tamen haud ita multo post, eo quod maculam haberet in corpore, sicut dicebat, diuortium fecit; ademptisque honoribus priuatam vitam agere iussit. Illam arbitror filiam fuisse Iulii Pauli insignis Jurisconsulti, qui Præfectus prætorio in exilium actus est, deinde ab Alexandro Seuero patriæ redditus. Aur. Victor.

Concordiam coniugum exhibent hi nummi & cum ipsa sedet, & cum vtrumque coniugem ita iungit vt vix vnquam separari dubium esse possit. Vetus erat mos Concordiæ sacra facere vt concordes inter se coniuges in perpetuum essent, quare in eorum medio apposita est ara.

Rarissimum hunc nummum fusè explicat Tristanus. Anazarbus vrbs est metropolis Amanicæ Ciliciæ, è qua Dioscorides: nomen habuit à conditore, deinde ab instauratore Augusto Cæsar-Augusta dicta est. *Intus autem dicendi Anazarbeni qui nunc Cæsar-Augustani vocantur*, inquit Plinius. Dio-Cæsarea est nuncupata fortassis propter Diuum Iulium quemadmodum legitur apud Ptolomæum Καισάρεια πρὸς Αναζάρβῳ. Quartùm motu terra concussam & pœne deletam quod frequenter accidit in his regionibus, Iustinus è suo condidit Lib. 5. cap. 26.

In Anecdotis. nomenque indidit Iustinopolim, Illam Procopius *illustrissimam* vocat Ἐπιφανεστάτην Ἀναζάρβου. Typum nouit qui lemma Augusti non ignorat, capricornum orbi moderantem, de quo dictum est pag. 32. Anazarbenos illud in suis nummis seruasse ad maiorem Instauratoris gloriam arbitror. Quid illi cum Paula, ignoro. Inscriptionem sic lego cum Tristano ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΝ ΜΗΤΡΟπολτῶν ΑΜανικῆς Κιλικίας, ANAZARBENSIVM METROPOLITANORVM AMANICÆ CILICIÆ. Hi vltimi characteres etiam in aliis nummis occurrunt. Γ. & Β. etiam in nummis Gordiani leguntur qui Tarsi cusint sunt, eorum interpretatio me latet.



Xiphilin. IVLIAM AQVILIAM SEVERAM Elagabalus duxit apertè, contra ius fasque: eam enim habuit, cum probro & dedecore cum esset virgo Vestalis, idque se fecisse ausus est dicere, vt ex ipso Pontifice & ex sacerdote Vestali liberi diuini nascerentur. Illam paulo post remisit, quarta ducta, quæ referre suum genus ad Commodum dicebatur, deinde aliam atque aliam, postea iterum ad Seueram rediit.

Nonnus lib. 4. Dionys. Pars auersa antiquæ Tyriorum religionis insigne monumentum exhibet. Astrochiton Hercules, cui cognomen à veste astris ornata, Tyrios docuit nauem fabricare & tandiu nauigare quandiu occurrerint fluctantes Petræ Ambrosiæ inter quas oliuæ ramus esset enatus, cui insideret aquila iuxta quam crater. Oliuam esse circundatam flammæ intortam serpente, vtramque innoxiè. Cumque id offenderint, præcepit vt aquilam sacrificarent Neptuno, sanguinem eius Ioui cæterisque Diis libarent: subitò has Petras forè stabiles super quas vrbem condere iussit: inter nauigandum illis occurrisse nautilum qui concha sua artem naues regendi & illos docuit; tandem hæc facta esse & Tyrum conditam. Quæ ferè omnia perrarus numnus noster exhibet, Ambrosias Petras, oliuam cui serpens est implicitus, & concham quæ vocatur nautilus. Credibile est canem qui iuxta concham scalptus est eum esse qui purpuram primus detexit cum post comestas ostreas ad herum rediit ore purpurato quod ad Tyrum pertinet. De ea dictum est pag. 165. Sacrum Herculi templum opulentissimum Tyri fuisse

In Euterpe. memorat Herodotus, in quo columna ex auro, altera ex smaragdo

L. 37. c. 5. spectantium oculos abripiebant, καὶ ἐν αὐτοῖ ἦσαν στῆλαι δύο, ἡ μὲν χρυσοῦ ἀπέφθυ, ἡ δὲ σμαραγδυ λίθυ &c. huius meminit Plinius his verbis, *se scribente*

ſcribente eſſe in templo ſtantem pilam è ſmaragdo, quæ ipſiſſima verba è Theophraſto deſumpta eſſe videntur. Cultum Herculis ex his Tyri denotari patet. Macrobii verba hac de re clara ſunt, *Deus Hercules religioſè quidem & apud Tyrum colitur.* Aras Herculis apud Tyrios fuiſſe, cuius numini vrbem dicauerant narrat Q. Curtius. Ei ſacrificare voluiſſe Alexandrum Magnum idem teſtatur. Lib. de Lapidibus. Saturnal. l. 1. cap. 20. Lib. 4. cap. 3. Cicero de Nat. Deor. 3. 16.

COLONIAM ALEXANDRIAM Troadem Phrygiæ vrbem ſæpe vidimus in ſuperioribus nummis: De ea abunde dictum eſt pag. 221. Rarum efficit nummum cum Aquiliam Seueram celebrat.

IVLIA MAESA Soror Iuliæ Domnæ vxoris Seueri Imp. mater fuit Soæmiadis, auia Eliogabali, ab Emeſa vrbe oriunda. Hæc viuente ſorore multos annos in aula vixit Seuero & Antonino Principibus; ſed poſt mortem Baſſiani ex aulica domo per ſuperbiam Macrini expulſa. Huius aſtu ad imperium peruenit Elagabalus, militibus enim perſuaſit eum eſſe Baſſiani filium: Plurimam pecuniam largita eſt, vt legiones à Macrino abduceret, quod factum eſt. Hæc frequenter in Senatum deducta eſt ab Eliogabalo: cognitis tandem prauis eius moribus ita prudenter cum eo egit, vt Alexandrum ex ſorore Mammæa nepotem deſignaret Cæſarem. Obiit ſexagenaria femina fortis, prudens & bellicoſa. Quoniam *adepta erat honores imperatorios, vt mos Romanis eſt, inter Diuas relata eſt*, inquit Herodianus. Auerſæ nummorum partes PVDICITIAM & FECVNDITATEM AVGVSTÆ celebrant, quas frequenter in feminarum nummis vſurpabat antiquitas. Lib. 6.

Coloniam Avreliam Metropolim Sidonem celebrat hic nummus, de qua iam dictum est pag. 182. Tria signa militaria indicare videntur legionum quæ tum in Syria erant beneuolentiam erga Mæsam nepotemque Eliogabalum post necatum Macrinum,

Sagaci fœminæ etiam Græcæ vrbes suum obsequium testatæ sunt. Amastriani qui primum nummum cudere quales fuerint dictum est pag. 9. Typus profectò eximius. Deus & Dea stant hastam gerentes præ manibus duodecim signis cœlestibus in circulo rite dispositis: cernuntur etenim Aries, taurus, gemini, cancer, leo, virgo, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces. Puto figuras illas & Deis posse tribui orbem regentibus, aut Mæsæ & Alexandro quorum prudentia imperium Romanum florebat. Auget coniecturam Mæsæ nomen quod Syro-Phœnico idiomate solem significat orbis moderatorem.

De Nicæensibus & serpente qui illorum typus est dictum pag. 225. vt de Laodicensibus pag. 229. & Philadelphensibus pag. 8.

Officio solito non defuere Perinthii favorem sui Imperatoris ambientes, quam per aviam sollicitabant. Hos ex nummis comperi supra cæteros Græcos adulantes. Idem typus etiam in aliis nummis occurrit: at hic rarissimus est, quem nec in libris editum nec in cimeliarchiis latentem obseruaui.

IVLIA SOÆMIAS filia fuit Mæsæ, mater Elagabali ex Vario Marcello, quem tamen filium Caracallæ asseruit. Non parum contulit cum Mæsâ ad promouendum Elagabalum, legiones omnibus artibus sibi deuinxit; cum filio Senatum ingressa est, quamuis iuris priuati publicique ignara. Senatum muliebrem constituit in quo decernebantur ridicula de legibus matronalibus, quæ quo vestitu incederent, quæ cui cederet, quæ ad cuius osculum cederet, quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, & vtrum pellicea an ossea, an eborata, argentata & quæ aurum vel gemmas in calceamentis haberent. Tandem omnibus infensa, femina impurissima cum filio à militibus necatur; post mortem vnco trahitur & in cloacam præceps data est.

Veneris cœlestis typi in vtroque nummo cernuntur: pomum Augusta tenet, quod ad Paridem refertur, qui neglectâ Iunonis & Palladis formâ, pomum aureum pulcherrimæ munus Veneri detulit. Duplex autem Venus, alia cœlestis quæ οὐρανίη coniugalem amicitiam fouebat & liberos donabat; altera popularis πάνδημος quæ scortatorum Dea.

Templum istud eo auidius dignoscere cuperem quo simile cernitur in Elagabali nummis, circum quod characteres ita sunt detrii vt quale fuerit intelligere non potuerim: ex integriori si vnquam occurrat, edocebor. Cœterùm cum vel Semiamira vel Symia, vel Semiramis vel Soœmis vel Soœmias à variis dicta sit, variam hanc nomenclaturam nummorum inscriptionibus emendare debemus, in quibus & græcè & latinè legitur SOAEMIAS.

Byſantii hunc nummum cudere in honorem Soæmiadis ; arbitror primis imperii menſibus poſt deuictum Macrinum: hæc enim ſuas & filii copias à Macrino in fugam verſas intuens, militibus ſeſe interficiendam obiecit, ni vellent in hoſtes iterum impetum facere & vincere : Pudore ii perculſi & fortaſſis metu in Macrini copias victrices irruunt, illaſque deleuerunt. Quo facto vicinas ciuitates facinoris memoriam poſteris conſignare voluiſſe hoc nummo veriſimile eſt. De Nemeſide hic appoſita dictum eſt pag. 5.

IVLIA MAMMÆA filia Iulii Auiti Lupi & Iuliæ, oror Soæmiadis, primùm Marciano nupſit viro Conſulari, è quo Alexandrum peperit, deinde Claudio Iuliano. Pia erat mulier & moribus caſtis modeſtisque. Lib. 5. cap. 17. Ἡ γὰρ ἡ γυνὴ θεοσεβὴς μᾶλλον ἢ τὸν τρόπον εἴπερ τις μάλιστα εὐλαβής, inquit Nicephorus Caliſtus. Dicitur ad ſe Origenem acciuiſſe, ab eoque religionem Chriſtianam edocta eſſe. Matris conſilio & artibus Alexander factus eſt Imperator, qui ad nutum matris omnia peragebat. Cum ipſo necata eſt à Maximini militibus. Pars auerſa nummi typum exhibet elegantiſſimum, ſcalptura quippe in tam paruo opere eam refert Mamææ ſimilitudinem, vt aqua aquæ non ſit ſimilior. Sedet ipſa vt Auguſta & Domina. Retro Mæſam habet quæ caduceo pacem in orbe vt in familia imperatoria fundaſſe videtur. Coram duæ figuræ muliebres Theocliam filiam & Memmiam Alexandri vxorem ſignificare coniectura eſt, quod inter eas & Mamæam tanta eſſet concordia vt FELICITAS PERPETVA per illas deſignari videatur.

Omnibus fere Imperatorum vxoribus aut matribus nummi ſunt dicati etiam ab vltimis & remotiſſimis imperii Romani vrbibus. Coniectura eſt ſic has ab Imperatoribus gratias aut expetere aut agere. Id DEVLTVM ſeu Deueltum colonia Thraciæ videtur feciſſe, quæ Flauia & Pacifica à Veſpaſiano dicta eſt. Is enim cum Flauius eſſet origine, ſuum nomen plerisque dedit vrbibus aut à ſe conditis aut reſtitutis. De illa dictum eſt in Caracallæ nummo pag. 301. Dianam in hiſce regionibus cultam fuiſſe ſæpe dictum eſt, tametſi Serapidem Mercurium & Charites exhibeant eiusdem coloniæ nummi.

Boſtra vbi ſita & qualis fuerit dictum eſt pag. 265.



1. Græcos nummos Mamææ hic habes. Primus quidem concordiam innuit matris & filii, qui in vtraque nummi parte ſignantur: Hanc vsque ad inuidiam extollunt veteres, dum Imperatorem accuſant quod nihil inconſulta matre fecerit. Illius tamen ſcueritate & auaritiâ factum eſt vt milites rebellauerint, Maximinumque ad imperiatoriam dignitatem euexerint, necatis Alexandro & Mamæa. Annus quintus in nummo deſignatur, quod ad imperium Alexandri pertinet. Locus vbi cuſus fuerit nummus non deſignatur, obſeruandum eſt in hoc nummo MAMEAM per E ſimplex ſcribi, cum in cæteris ſcribatur per AI, MAMAIA.

2. A Smyrnæis alter cuſus eſt. Hercules aut Bacchus in eo ſignatus eſt, fortaſſis vterque. De illorum cum Mamæa coniunctione nullum apud Hiſtoricos monumentum reperi.

3. Tertium nummum illuſtrem facit inſcriptio ΠΕΡΙΟΔΟC ΔΕΚΑΤΗ. Nullus enim alter hanc profert numerandi formulam, quamuis certum ſit hâc decimum imperii annum deſignari, ſiue ad Alexandrum referatur, quod veriſimilius eſt, ſiue ad Mamæam.

Poſtre-

Poſtremus ſolitis numerandi characteribus ſignatus eſt. Annus 4. decimus tertius in eo deſignatus eſt, qui tum matri tum filio imperii vltimus fuit. Ad quid referatur trophæum cum captiuis & palma non ſatis ſcio, certum eſt tamen ex iis quamdam innui victoriam, quam ad Parthicam reuocari placet.

Tres alteros eiusdem Mamææ nummos vulgauit Cl. Triſtanus. Primum quidem inſcriptio docet ad Magnetes ad Sipylum referri, de quibus dictum eſt pag. 169. Alter ad Ægienſes de quibus pag. 5. Alter ad Epheſios de quibus paſſim. Non mirum ſi adulatores populi Imperatoris matrem venerati ſunt, cuiusnutu omnia in imperio dirigebantur.

ALEXANDER SEVERVS Marciani & Mamææ filius fuit. In pueritia ingenio clarus, dexteritate conſpicuus, tam ciuilibus quam militaribus artibus inſtitutus, & tantæ aſſiduitatis, vt ne vllum diem ſine exercitio aliquo tranſire liceret. Mortuo Macrino, Cæſar à Senatu dictus eſt; poſt adoptionem Elagabali, iterum Cæſar declaratus, poſtea Imperator, familiarem ſe omnibus præbuit. Parthos & Perſas vicit. Romam reuerſus ſpecioſum egit triumphum. Bello Germanico collecto exercitu in Gallias profectus eſt, ibique à militibus, quod ſeuerior eſſet & mater auarior, Maximino Duce tracidatus eſt, Moguntiæ XXVIII Iunii, qui fuit dies mortis Alexandri Magni, ætatis XXIX. eodem die quo natus erat, cùm imperaſſet annis XIII.

S.P.Q.R. ei cenotaphium in Gallia, Romæ deinde ampliſſimum ſepulchrum ſtatuit, & in Deos retulit. Dati ſunt & Sodales qui Alexandrini appellati ſunt. Chriſto templum facere voluit, eumque inter Diuos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri; quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur. Sed prohibitus eſt ab iis qui conſulentes ſacra repererant omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato eueniſſet, & templa aliqua deſideranda. Hæc frequenter in ore habuit optimus Imperator, quæ in periſtylio domus ſuæ ſcalpi curauerat, ALTERI NON FECERIS QVOD TIBI FIERI NON VIS.

Optimi ſi vnquam fuit Imperatoris perhonorifica teſtimonia hic habes. Sub Martis Vltoris habitu cernitur Alexander in primo nummo, quem ſumpſiſſe veriſimile eſt cum audiiſſet Artabanum ab Artaxerxe victum eſſe, Aſſyriam Meſopotamiamque occupatam. Cum enim ille Populi Romani amicus eſſet, oppreſſus copias petit, quibus ſua regna & recipere & tueri poſſet. Vtrumque præſtitit Alexander: magno apparatu in Perſas profectus eſt, quod teſtatur ſecundus nummus. Peculiarem iſtius profectionis mentionem facit Herodianus his verbis, Ὁ δὲ ὁπόσῃς αὐδοῖς χρήματα, &c. hoc eſt, Alexander *diuiſo largiter ſtipendio iubet ad iter accingi: mox ad eam ferme ſententiam loquutus in Senatu diem diſceſſui dixit: qua vbi aduenit, ſacris diſceſſus cauſa de more peractis, deducente Senatu populoque vniuerſo Roma proficiſcitur, reſpectans vrbem ac lacrymans. Sed neque populariũ quisquam fuit qui ſiccis oculis aſpexerit abeuntem* &c. Expeditionem bellicam fuse narrat Lampridius è quo hæc excerpſimus. *Artaxerxem Regem potentiſsimum vicit, ſeptingentis ſtipatum elephantis, falcatis mille & octingentis curribus, de quo triumphum egit pulcherrimum:* quare Parthicus & Perſicus dictus eſt. Hunc exponit tertius nummus. 1. Lib. 6. cap. 4. 2. In Alex. 3.

Quartus Imperatorem ſacrificantem exhibet coram Iouis figura. Retro miles illum coronare videtur FIDEM MILITVM celebrans. *Alexandrum ſeptimo quoque die in Capitolium aſcendiſſe Ioui ſupplicaturum*, autor eſt Lampridius. 4. In Alex.

Alexandrum quintus celebrat tanquam RESTITVTOREM MONETÆ, de quo ſic Lampridius. *Vectigalia publica in id contraxit, vt qui decem aureos ſub Heliogabalo præſtiterunt, tertiam partem auri præſtarent, hoc eſt triceſimam partem. Tuncque primum ſemiſſes aureorum formati ſunt: tunc etiam quùm ad tertiam partem auri vectigal deciderat,* 5.

disſet, tremiſſes dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quod minus non poſſet. Quos quidem iam formatos in moneta detinuit, expectans vt ſi vectigal contrahere potuiſſet & eosdem ederet. Sed cùm non potuiſſet per publicas neceßitates, conflari eos iußit, & tremiſſes tantùm ſolidosque formari. Formas binarias ternarias & quaternarias & denarias etiam atque amplius vsque ad bilibres quoque & centenarias quas Heliogabalus inuenerat, reſolui præcepit, neque in vſu cuiusquam verſari, atque ex eo his materiæ nomen indictum eſt, cùm diceret plus largiendi hanc eſſe Imperatoris cauſam, ſi cùm multos ſolidos minores dare poßit, dare decem vel amplius vnâ formâ, triginta & quinquaginta & centum dare cogeretur. Cæterùm nummos ex argento puriori ab eo cuſos eſſe, eius nummi non teſtantur.

6. Sextus nummus ſic explicatur. *Opera veterum Principum inſtaurauit; ipſe multa noua conſtituit; in his thermas nominis ſui, iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta quæ Alexandrina nunc dicitur*, inquit Lampridius. Et paulo poſt, *Vectigal pulcherrimum inſtituit, ex eoque iußit thermas & quas ipſe fundauerat, & ſuperiores populi vſibus exhiberi. Alexandrinum opus marmoris de duobus marmoribus, hoc eſt porphyretico & Lacædemonio primus inſtituit, palatio exornato hoc genere marmorandi. Baſilicam Alexandrinam inſtituerat inter campum Martium & ſepta Agrippiana in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita vt tota columnis penderet, quam efficere non potuit morte præuentus.* Pulcherrimum hoc ædificium, Thermas interpretati ſunt qui ante me ſcripſerunt, ſed cur ad Baſilicam non retulerint, ſane non video.

7. *Congiarium populo ter dedit, donatiuum militibus ter, carnem*
8. *populo addidit, deinceps poſt triumphum Perſicum.* Quæ verba ſeptimum & octauum nummum explicant. Principem fuiſſe liberalem, nec ſordidum nec prodigum teſtantur infinita eius acta quæ paſſim apud Lampridium, Herodianum & Victorem ſcripta ſunt.

Pulcherrima & integerrima numiſmata exponit hæc tabella: quorum pars vna Alexandri & Mamææ concordiam denotat. *In matrem Mamæam vnicè pius fuit*, inquit Lampridius, *ita vt Romæ in palatio faceret diætas nominis Mamææ. Puellas & pueros quemadmodum Antoninus Fauſtinianas inſtituerat, Mamæanas & Mamæanos inſtituit.* Et cùm puer ad imperium peruenisſet, fecit cuncta cum matre, vt & illa videretur pariter imperare, mulier ſancta; Vno verbo egit omnia ex conſilio matris, cum quâ occiſus eſt. Sed quoniam res antiquas imitari conantur poſteriora ſæcula, obſeruandum eſt priſcè perſonarum ſitum diſpoſitionemque in nummis parùm curari. Politior ætas omnia ordinauit, dextrum latus nobiliori tribuens, ſiniſtrum alteri. Sic in nummis antiquis Nero Poppææ anteponitur, Titus Domitiano, Traianus Plotinæ, Aurelius Vero, Macrinus Diadumeniano, in his Alexander Mamææ. Hoc ipſum imitati ſunt in Hiſpania, cùm Ferdinandum Regem Catholicum Iſabellæ vxori anteponunt nummi ex auro, quamuis in auerſis partibus regni Caſtellæ lemmata à dextris collocata ſint, Aragoniæ typo ſiniſtras occupante. Caſtellam enim Reginæ ditionem ideo prætulerunt, quia nobiliorem. Ad nummos noſtros reuertamur. FIDEM MILITVM exponit primus: Ab iis tamen proditus & occiſus eſt bonus hic Imperator. Scribit Lampridius: *eum de præda quam Perſis diripuit ſuum ditaſſe exercitum:* Nouerat ille militum fidem ex lucro pendere quod liberaliſſimè illis elargiebatur.

In Alex.

In Alex.

Colonias quæ in honorem Alexandri nummos cuderunt, exhibet hæc tabella. Colonia Alexandria Troas Augusta toties in nummis repræsentatur, vt quamuis eam quoties occurrit in diuersis Imperatoribus vulgare non tædeat, tamen vltro aut interpretari aut repetere non placet. De illa dictum est pag. 221. Diana venatricis habitu columnæ innixa & stans in medio templo, ea est quæ in tota fere Asiâ colebatur. Troiani fortassis suam cum Imperatore coniunctionem celebrant; cùm enim Troia Alexandria ab Alexandro Paride diceretur, cur etiam in verbo non luserint, cognomen ad Alexandrum suum Imperatorem deferentes.

De Tyro supra dictum est pag. 166. & 299. Typus vtrumque Alexandrum celebrat Macedonem, & Romanum, inter quos maxima erat conformitas. Hic enim elaborabat vt dignus illo nomine videretur, imo vt Macedonem vinceret, dicebatque *inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere. Illum tamen præcipuè imitatus est & inter Diuos & optimos in lavario maiore consecrauit.* Victoria columnæ imposita Imperatorem coronare videtur, manu trophæum attingentem ad cuius basim Satyrus vel Silenus cernitur; *Maximos enim Satyrorum Silenos nuncupant*, inquit Pausanias. Ad id fortassis refertur quod narrat Plutarchus, *Dormienti Alexandro Tyrum obsidenti euenit insomnium. videre se Satyrum exsistimabat qui procul ei iocabundus applauderet, cumque ipsum capere vellet, fugiebat. Postremo cum multa versatus oraret, in manus venit. Consulti vates partito nomine longe credenda dixerunt:* SA *hoc est tua* TYRVS *est.* Nonne suspicio est eosdem honores Alexandro Romano in hisce nummis tribui quos olim Macedo sibi parauerat. De concha quæ Tyriorum nummos semper illustrat dictum est pag. 299. *Purpuram claram dictam fuisse Alexandrinam*, docet Lampridius, *quamuis eius gratissimus & fastidiosus exactor exstitisset Alexander.*

Lampridius.

Lib. I. in Attic.

In Alex.

Colonia Flauia Pacifica Deultum & Colonia Augusta Pia Metropolis Sidon supra explicatæ fuerunt, hæc pag. 182. & 301. illa pag. Currus Cibeles in postremo notandus est, etenim Alexandrum coluisse matrem Deûm certum est, cùm *eius die qui* Hilaria *nominabatur phasianum suæ mensæ adhibuisse* scribit Lampridius, qui quidem celebrabatur VIII Kal. April.

Macrob. Casaubon.

In Alex.

Ad horum nummorum explicationem satisfaciunt hæc Lampridii verba, *Isium & Serapium* templum *decenter ornauit, additis signis & deliacis & omnibus mysticis.* Suæ enim gratitudinis monumenta Ægyptios hisce nummis dedicasse verisimile est. Anni in nummis scripti designant annos imperii.

Romam etiam illas veneratos esse sequentes demonstrant, edocti Alexandrum noluisse existimari Syrum sed à maioribus Romanum, in odium fortè Elagabali. *Stemma depinxerat quo ostendebatur genus eius à Metellis descendere.*

Lamprid.

Effigiem galeatam ad Alexandrum Magnum refert Cl. Tristanus, id tamen, pace eius dixerim, minus congruum videtur: Quamuis enim Alexander Romanus Macedonem summopere dilexerit, vt supra diximus, hunc nummum ad eum non pertinere indicat facies venusta quidem & iuuenilis sed muliebris, qualis aut Palladis aut Romæ esse solet. Characteres certo explicare non possum, quamuis nummus cætera sit integerrimus.



1. Græcos nummos Alexandri Seueri exhibet hæc tabella. Seleucia
2. ad Calycadnum quam referunt duo priores ſupra fuit expoſita pag. 304.
3. Laodicenſes Bacchum ſignauere in tertio quem in iis regionibus ſummopere cultum fuiſſe teſtantur nummi antiqui, libri & marmora.
4. Marcianopolitani quartum cuderunt, quorum Magiſtratus videtur fuiſſe TIBIVS RAPHISTVS. De eorum vrbe dictum eſt, pag. 333. in nummis Heliogabali.
5. Typus quinti qualis Epheſiorum eſſe ſolet, Dianam exponit venatricem, cane ſiluatico quaſi ad captandam prædam ſagitta confixam currente. Epheſios quartùm tunc Neocoros indicat illud appoſitum TETPAKIC. Eumdem fere nummum habemus, in quo circum eamdem Dianam legitur Epheſios primos eſſe Aſiæ, hoc eſt primatu gaudere; de quo magna inter eos, Smyrnæos & Pergamenos diſceptatio fuerat.
6. Smyrnæis frequens mos fuit in Romanorum Principum honorem templa extruere: veriſimile eſt ſextum hunc nummum aliquod repræſentare quod propter Alexandrum ædificatum fuerit, cuius tamen nihil apud Autores repperi.
7. Nicæenſes ſeptimum & octauum nummmum cudere: Hos
8. victoriam à quâ nomen habent, vt ſuam Deam coluiſſe, ſupra dictum eſt. Eam autem cum Nemeſide vnam eſſe iam explicauimus. Rota & perpendiculum huius veluti ſunt indicia. Signa legionum quæ

priùs

priùs Elagabalo dicata erant, ideo fortaſſis Alexando offeruntur à Nicæenſibus, quo ſuam erga peſſimum Imperatorem obſeruantiam delerent, optimo ſeſe committentes.

Figuram illam quam Nicomedienſes ſignauerunt non ſatis noui. 9.

Decimus & ſequens ad Metropolim Cæſaream pertinent, de qua ſupra dictum eſt pag. 50. Fertilitatem ſoli indicant ſpicæ. 10. 11.

Nummus hic non minus integritate quam typo & inſcriptione eſt conſpicuus. Vrna medium nummum occupat è qua palmæ prodeunt, victoriæ præmia. Byzantinos eum cudiſſe inſcriptio docet, reliqua ad ludos refertur Antoninianos, quos ad Caracallam referri certum eſt. ANTΩNEINIA enim ſcriptum eſt, & in media vrna, ni me fallant oculi, ΣEBAGT. *Auguſta*, quibus ſi AΓΩNEC *certamina* ſuperaddas, rem claram reperies. Illuſtrat hunc nummum alter Imperatoris Caracallæ ex ære maximi moduli, quem nobis benigniſſimè communicauit Sereniſs. FRIDERICVS Marchio Badenſis-Durlacenſis. Eius vt multorum Principum Germanorum ſumma eſt delectatio Romanorum monumenta penes ſe habere & intelligere.

In hoc cuius cælaturam hic habes, ludorum Pythiorum Alexandrinorum facta eſt mentio. Caracalla autem & Alexander Seuerus Alexandrum Magnum quantùm potuerunt ſunt imitati, vt dictum eſt in ſuperioribus. Mentionem iſtius nummi facit eruditorum ſuperioris ſæculi facilè princeps Ioſeph Scaliger: Seldenus eum doctiſſimè explicat, cum marmora Arundelliana aggreſſus eſt.

De emend. tempor. V.

Pag. 159.

Nummum hunc efficit rariſſimum vtraque facies. Mæſa ſuo nepoti Alexandro Seuero coniuncta eſt, quemadmodum Mamæam vidimus in ſuperioribus. Tam gratus erat iſtius Imperatoris animus, vt omnis generis honoribus ſuos affecerit benefactores. Certum eſt imperium Romanum in eius manus deueniſſe ope ac induſtriâ ſagaciſſimarum fœminarum auiæ & matris. Vtraque artibus pene infinitis Alexandrum ab Elagabali fœuitiâ ſeruauerat, ſtudiiſque & moribus egregiis condecoraverat: quare non mirum eſt ſi & hanc & illam in eius numiſmatibus ſignatam videamus. De iis dictum eſt ſupra. BONA FORTVNA in auerſo nummo repræſentata eſt ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, ad quam alludebant Tuccitæ Terebentinorum Carthaginenſium propè Carthaginem, qui fortaſſis ob nominis ſimilitudinem eam vt Deam ſibi aſſumpſerant. Tuccæ Terebentinorum facit mentionem Antonini Itinerarium.

I. Temnus prodit in primo nummo vrbs Æolidis in Aſia minore, *parua quidem*, vt ait Xenophon, *ſed munita & antiqua & propriis vtens legibus*, αὐτόνομον vocabant: Concuſſam terræ motu cum quatuordecim aliis reſtituiſſe Tiberium Imperatorem docent Tacitus & Nicephorus. Docet etiam nummus ex ære magno in quo legitur CIVITATIBVS ASIÆ RESTITVTIS: Cuius facinoris memoriam poſteris commendare voluit Imp. Titus cùm ſimilem nummum vulgauit propriis reſtitutionis notis. Quem ob egregium factum hic apponi curauimus. Minerua Victrix ſubindicat hanc vrbem Athenienſium fuiſſe coloniam, quorum præcipua Dea Minerua Ἀθήνη, quemadmodum in eorum monetis cernitur. Strabo. lib. 13. lib. 14. Tacit. Annal. l. 2. c. 47.

Lectiſternium alter exhibet, de quo abundè dictum eſt 2. Ariſtides. pag. 246.

Deſſeni hunc nummum ſignauerunt: hi prope Nili catarractas 3. ſiti ſunt in Ægypto prope Æthiopiam. Eorum vrbis & Deæ idem eſt nomen Deſſa, quæ prouinciæ caput MHTPOΠOAIC in inſcriptione indigetatur. Iſis ſiſtrum tenens in hiſce regionibus colebatur: Aſtrum retro poſitum Solem ſeu Oſiridem indicat.

Quartus nummus ad Tenienſes pertinet. Tenos vrbs & inſula ex Cycladibus non ignobilis, quam etiam ſupra Delum extollunt. Tridens Neptunum indicat, cui ſacra vrbs erat: ſerpens ei intortus ad copiam referri poteſt aut potius ad Æſculapium, qui vbicunque terrarum hoc lemmate ſignificabatur.

Nummus hic ab Epheſiis ſe primos Aſiæ nuncupantibus cuſus eſt Carpentum Dianæ appoſitum eſt, quaſi donum pretioſiſſimum Imperatori futurum. Similem typum infra vulgabimus inter Valeriani nummos.

MAXIMINVS in prima pueritia paſtor & opilio in montibus Thraciæ vbi & natus erat, occiſo per fraudem Alexandro Seuero ſine ſenatus conſulto Auguſtus à militibus dictus eſt, filio ſibi in imperii adminiſtratione participe adſcito. Crudelis in omnes, præſertim nobiles, quô fortaſſis ignobilitatem tegere conabatur. Virili formâ decorus, moribus agreſtibus, proteruus atque ſuperbus, corpore adeo procerus vt & proceritate & candore atque oculorum magnitudine omnes excelleret. Pedum octo & prope ſemis longitudine, calceamentum eius pede maius hominis veſtigio atque menſura, tantæ voracitatis vt vno die LX. carnis libras ederet, amphoram Capitolinam vini biberet. A Senatu propter immanitatem hoſtis iudicatus eſt. Gordiani Africani à militibus Africæ Auguſti erant appellati. Poſt eorum necem Pupienus & Balbinus Senatores à Senatu dicti ſunt Auguſti, contra quos Maximinus è Germaniâ venit cum inſtructiſſimo exercitu. Hic tamen iuxta Aquileiam quam obſidebat, in caſtris quieſcens in tentorio trucidatur. Filius Maximus etiam necatus eſt. Capita haſtis ſuffixa Romam tranſmiſſa ſunt: cadauera in profluentem abiecta. Vixit annos LXV.



Herodianus. Maximinus illuſtrem exercitum ſecum in Germaniam duxerat & Mauros & Oſdroënos & Parthos & omnes quos ſecum Alexander ducebat ad bellum : horum virtute magnam ſibi gloriam Capitol. comparauit, *Ingreſſus Germaniam Trans-Rhenanam per* CCC *vel* CCCC *millia barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit, cepit innumeros. Et niſi Germani per amnes & paludes & ſiluas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet.* Hæc ſatis huius tabellæ nummos explicant.



Græcos Maximini nummos hic habes. Primus quidem à Side- 1.
Proïom. Pauſan. Arrian. Plin. tenſibus cuſus eſt. *Perge & Side vrbes ſunt præcipuæ Pamphiliæ:* Παμφυλία ἔχει δὲ δύο πόλεις ἐπιφανεῖς Πέργην καὶ Σίδην. Hanc Cumæorum ex Aeolia coloniam fuiſſe conſtat. Vrna menſæ impoſita, vrceolus, rami, indicant ſacros quosdam ludos. Mineruam à Sidetanis cultam
Lib. 14. fuiſſe docet Strabo, cui templum condiderant. Rami videntur eſſe ex oliuis, ſiue in honorem Mineruæ cui ſacræ erant, ſiue ad indicandam copiam : *Sidetenſium enim campos oliuis refertos eſſe* ſcribit idem Strabo.

Nicæenſes forte Maximini fortitudinem per leonis typum ex- 2.
Capitol. primere voluerunt, animalium fortiſſimi. *Maximinus quippe cum erat iuuenis* XVI. *lixas vno ſudore deuicit ; hamaxas manibus attrahebat, rhedam onuſtam ſolus mouebat, equo ſi pugnum dediſſet dentes ſoluebat, ſi calcem Aura frangebat, lapides tophicios friabat, arbores teneriores ſcindebat.* Quare vir ſui temporis fortiſſimus dictus eſt, & Crotoniates Milo & Antæus & Hercules & Aiax. De Nicæenſibus di- 3.
ctum eſt paſſim in ſuperioribus, vt de Diana Epheſiorum.

Elegantes videntur poſtremi nummi, in quorum primo Iupiter 4.
cernitur aquilæ volitanti inſidens, in altero vero fluuius decumbens, 5.
quem ob victorias Germanicas Rhenum ſuſpicantur : At characteres numerales Græci Nilum potius videntur indicare, qui in ſuperioribus nummis eodem habitu ſignatus eſt.

MAXIMVS Maximini & Paulinæ filius fuit: adoleſcens inſolentiſſimæ ſuperbiæ, ita vt etiam cum pater ſuus homo crudeliſſimus, plerisque honoratis aſſurgeret, ille reſideret. Tantæ erat pulchritudinis vt paſſim amatus ſit à procacioribus feminis: & vt etiam caput eius mortui iam nigrum, iam ſordens, iam maceratum, defluente tabo, velut vmbra pulcherrima videretur. Vitæ fuit lætioris, vini parciſſimus, cibi auidus, maximè ſilueſtris, ita vt nonniſi aprugnam, anates, grues, & omnia captiua ederet. Veſtibus tam accuratus fuit, vt nulla mulier nitidior eſſet in mundo. Vſus eſt idem adoleſcens & aurea lorica exemplo Ptolemæorum: vſus eſt argentea, vſus & clipeo gemmato inaurato & haſta inaurata, Fecit & ſpathas argenteas, fecit etiam aureas, & omnino quidquid eius pulchritudinem poſſet iuuare. Anno ætatis XVIII. aut vt ſcribit Capitolinus XXI. cum patre in tentorio necatus eſt, conclamantibus cunctis militari ioco, ex peſſimo genere ne catulum habendum.

Maximus Princeps Ivventvtis dicitur in primo nummo quemadmodum plures alii Imperatorum filii ſequens nihil peculiare indicat, quod priùs non dictum fuerit.

Colonias duas tantum vidi ſignatas in Maximi nummis: Troadem & Deultum, de hac dictum eſt pag. 301. de illa pag. 221. Earum cum hoc Cæſare coniunctionem nullam apud antiquos repperi.

Quò breuius fuit Maximo imperii tempus eo rariores eius cenſendi ſunt nummi: Græcos deſignat hæc tabella cum typis non vulgaribus. Primus quidem à Sardianis cuſus eſt, ſed qua ratione non intelligo, niſi gens adulationis auida cum aliquem Cæſarem perſentiſceret, ſtatim nummis ſuis vulgabat. Spica & malum Granatum quid indicent non facile eſt coniicere. Fortaſſis ſerpens in vaſe ad illud refertur quod ſcribit Capitolinus, *Omen ſane imperii illud fuit: Serpens dormienti Maximo caput circumdedit.* 1.

Rhene inſula eſt maris Ægæi, Delo proxima. Vtramque catena ligatam à Polycrate dicatam fuiſſe Apollini docet Thucydides. *In Rhenem deportabantur & mortui & moribundi, ne Delum quodammodo profanarent, inquit Strabo.* Quemadmodum nulli ſepores Itacæ, apri aut cerui in Africa, ſerpentes Aſtypalææ, ſic *in inſula Rhene nulli feles occurrebant*, διὸ ἐν Ρηνείᾳ τῇ πρὸς Δήλῳ γαλῆ. Defertam ſuo æuo ſcribit Strabo: floruiſſe Alexandri Seueri temporibus teſtatur nummus à Golzio commemoratus, illam *metropolim* nominans, ΡΗΝΙΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. 2. Lib. 5. Strabo. lib. 10.

De Nicomedia dictum eſt pag. 164. Nauis aut vires maritimas indicat aut magnum quid quod me latet. Templa explicare non minoris eſt operis.

M. Antoninvs Gordianvs Africanvs Africæ Proconſul ab Africana iuuentute octogenarius Imperator eſt creatus, in Maximini odium. Vir erat longitudine Romana, canitie decora & pompali vultu barbatus, ruber magis quam candidus, facie bene lata, oculis, ore, fronte verendus, corporis qualitate craſſiuſculus, moribus ita moderatus, vt nihil poſſis dicere quod ille aut cupidè, aut immodeſtè aut nimiè fecerit. Aiunt eum Auguſti vultum ſic repræſentaſſe vt & vocem & mores & ſtaturam eius exprimeret. Scripſerat ille poëmata, ac inter ea verſibus diſertiſſimis, vitam, bella & priuatim publiceque geſta Antonini Pii & Marci Aurelii, Antoniniadωs inſcripſerat, quemadmodum Virgilius Æneidωs, Statius Achilleidωs & multi alii Iliadωs. Imperium quidem vir bonus recuſauerat, invitus accepit. Paulo poſt Capeliano Maximini partes tuente Gordianum filium aduerſus eum miſit, qui victus & interemptus eſt. Pater, vt vincula hoſtium effugeret, laqueo ſibi vitam finit. Vixit annos LXXX. Imperauit menſes VI. Eum Senatus Auguſtum primùm appellauit, deinde inter Deos retulit.

Imaginem ſedentis Romæ exprimit hic nummulus, quam vbique gentium adoratam fuiſſe conſtat. *Æternam* dictam fuiſſe ex omni eius ævo docent Scriptores. Interdum hoc epitheto à cæteris vrbibus dignoſcebatur, Vrbs enim Æterna Romam deſignabat. Cùm populi ſuos Imperatores ſalutabant Æternitatem vt dignitatis nomen frequenter habebant in ore, qua illos demereri conabantur. In Codice ſæpe repetitur ore Principum ÆTERNITAS NOSTRA quo modo poſteritoribus temporibus, claritas, maieſtas, ſerenitas.



Hypæpæ vrbs eſt Lydiæ inter Tmolum & Cayſtrum. De ea ſic Plinius: *Epheſum vero alterum lumen Aſiæ remotiores conueniunt Cæſarienſes, Metropolitæ, Cylbiani, inferiores & ſuperiores Myſo-Macedones, Maſtaurenſes, Brullitæ, Hypæpani*, &c. De his dictum eſt pag. 293. Epheſiæ Dianæ cultum denotat ipſa Diana velata templi medium occupans. Inſcriptionem non ita tamen detritam aſſequi & interpretari non potui. Diſſimulandum non eſt circum caput, AFRICANI cognomen inſcriptum non eſſe, quare Gordiano tertio poſſet etiam tribui, faciei tamen ſimilitudo facit vt Gordiano ſeniori adſcribam.



M. Antoninvs Gordianvs Africanvs patrem habuit eiusdem nominis, quare ſecundus dictus eſt. Erat corpore vaſto, in ſtudiis grauis, formâ conſpicuus, memoriæ ſingularis, bonitate inſignis, & iuris peritus. Pompeio fuit ſimillimus quamuis obeſus non fuerit. Fuit vini cupidior, ſemper tamen vndecunque conditi, nunc roſa, nunc maſtiche, nunc abſintio, cæterisque rebus quibus gula maxime delectatur. Cum Parente Africæ præfuit & Auguſtus eſt appellatus: tandem à Capeliano Mauretaniæ rectore & Maximini partium, cui in vita priuata ſemper aduerſus fuerat, victus & interemptus eſt, ætatis anno XLVI. A Senatu Auguſtus appellatus eſt, & inter Diuos cum patre relatus. Quòd plurimas habuerit concubinas, præſertim vero ſibi decretas viginti & duas, & ex omnibus ternos aut quaternos filios, Priamus dictus eſt, ab aliis per iocum Priapus. Vixerat in deliciis, in hortis, in balneis, in amœniſſimis nemoribus, &c.

PIETAS Augusti & lemmate & typo designatur. Illam exprimunt signa pontificalia & auguralia quæ ad res diuinas pertinebant. De illis dictum est in Caracallæ nummis, pag. 296. Obseruandum autem Romanos etsi non ita religiosos, religionis tamen tantam habuisse rationem vt quotiescumque occasio occurreret eius ornamenta suis monumentis non omisisse testantur innummeri lapides, innumeri nummi.

Cui tribuendus sit hic nummus, non satis video: inscriptio enim Gordianum tantùm designat illumque Cæsarem, quod Africano filio & etiam Gordiano tertio competit, vterque enim Cæsar dictus est. Annus primus imperii per L.A. designatus est. Aquila imperii vt & Iouis symbolum coronam rostro tenet quam Imperatoris capiti imponere parata videtur. Cœterùm nummus est & antiquissimus & integerrimus.





DECIMVS COELIVS BALBINVS familiæ vetuſtiſſimæ, bonitate, ſanctitate & verecundiâ ingentem ſibi amorem conciliauit. Staturâ procerus, corporis qualitate conſpicuus, eloquentiâ clarus, voluptatibus deditus, quas adiuuabat diuitiarum abundantia. Iterum Conſul fuerat, rector prouinciarum infinitarum: nam & Aſiam & Africam & Bithyniam & Galatiam & Pontum & Thracias & Gallias ciuilibus adminiſtrationibus rexerat, ducto nonnunquam exercitu, ſed rebus bellicis minor fuerat quam ciuilibus. Eo Romæ imperium contra Maximinum adminiſtrante, maxima fit ſeditio inter Prætorianos & populum, ita vt potiſſima pars vrbis incenderetur & conflagraret, templa fœdarentur, plateæ omnes cruore polluerentur: nec ſedaretur donec Balbinus Gordianum purpuratum ad populum produxiſſet longiſſimi hominis collo ſuperimpoſitum: quo viſo illius amore in concordiam rediere. Pupienus ad bella pronior contra Maximinum iuit, Balbino Romæ res publicas moderante. Eo truncato Imperatores clam inter ſe diſſentientes ſeditioni militari locum dedere, in qua vterque occubuit, ante adeptum imperii biennium. Vixit Balbinus annos LX.

Balbinus his in nummis Deos precari videtur. Primus quidem illum exhibet ramum oleæ dextra tenentem, siniſtram ſcipionem. Hic pacem optare videtur, qui tamen, ſi cogatur arma capere, paratus eſt: quod Balbini mores explicat. 1.

Vota ſuſcipiebat in ſecundo quibus ſibi per S. P. Q. R. felicitas perpetua denunciabatur. Iouem in tertio ſollicitat quem ſuum profitetur Conſeruatorem. 2. 3.

Notandum porrò Balbini nummos ex ære mediocri ita raros eſſe, vt pauci occurrant in cimeliarchiis.

Nummos Balbini paucos Romæ cuſos fuiſſe ex ære mediocri dictum eſt, pauciores adhuc in Græcia. Hic vnus illuſtrat illud cimeliarchium quod in hoc opere deſcribitur. Fortunam is refert ſub Iſidis imagine. Nullum nomen ſcriptum eſt quod aut vrbem, aut regionem deſignet. Ex characteribus L. A. patet nummum primo Balbini imperii anno cuſum eſſe.

Alium nummum Græcum Balbini exhibet hæc tabella cum templo Solis Didymæi qui Mileti colebatur: De Didymæo & de Mileto abunde dictum eſt ſupra pag. 94. De ceruo quem habet præ manibus adi Illuſtriſſ. Seguinum à quo hunc accepimus nummum. In Select. Numiſm.



M. Clod. Pvpienvs Maximvs domi forisque ſemper ſeuerus, ita vt & Triſtis cognomen acceperit, vultu grauiſſimus & verecundus, ſtaturâ procerus, corporis qualitate ſaniſſimus, iuſtus, ampliſſimæ virtutis. Pater ei fuerat vnus è plebe, vt nonnulli dicunt, faber ferrarius, vt alii, rhedarius, vehicularius, fabricator. Operam Grammatico, Rhetori non multam dedit, ſiquidem ſemper virtuti & militari ſeueritati ſtuduit. Militaris Tribunus fuit, Prætor, Proconſul Bithyniæ & deinceps Græciæ ac tertiò Narbonæ. Miſſus præterea Legatus Sarmatas in Illyrico contudit, atque inde translatus ad Rhenum, rem contra Germanos ſatis feliciter geſſit. Poſthæc Præfectus vrbis prudentiſſimus, ingenioſiſſimus & ſeueriſſimus approbatus eſt. Quare veluti Senatus ei homini, quod non licebat nouæ familiæ, imperium tamen detulit, confeſſus omnibus eo tempore in Senatu aptiorem non eſſe qui deberet Principis nomen accipere. A Senatu vnâ cum Balbino Auguſtus dictus eſt & cum ingenti exercitu miſſus contra Maximinum: qui cùm ad Rauennam bellum pararet maximo apparatu, eò perferuntur capita Maximini & filii Maximi, quæ à Pupieno Romam transmiſſa ſunt: Paulo poſt tamen per ſeditionem à militibus Maximini vna cum Balbino interemptus eſt. Imperauit ferme annos duos: Vixit LXXIV.

Nummi antiqui Concordiam frequenter exhibent, Deam ſedentem cornucopiæ tenentem. Concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur: vtriusque dicterii exemplis non immorabor. Balbinum & Pupienum in regendo terrarum orbe concordes fuiſſe teſtantur plures nummi ex argento cum his titulis vtrique Imperatori dicatis, AMOR MVTVVS AVGG. CHARITAS MVTVA AVGG. FIDES MVTVA AVGG. PIETAS MVTVA AVGG. Capitolinus tamen vtriusque diſcordias commemorat, ſed tacitas, & quæ intelligerentur potius quam viderentur. Victoria ſtans quæ tum inſcriptione tum alis & palmâ & coronâ dignoſcitur, Pupienum & Balbinum coronare videtur, ea enim in vtriusque nummis ſcalpta eſt, ob deuictum & necatum iuxta Aquileam Maximinum. Quamvis Balbinus ad pacis munera Pupienus ad bella pronior fuerit, vtrique tamen honores omnis generis in ſolidum deferebantur.

In Maximo & Balbino.

M. Ant. Gordianvs ſenioris Africani aut ex filio aut ex filia nepos, iuuenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita iucundus, in litteris nobilis, prorſus vt nihil præter ætatem deeſſet imperio. Anno æt. xv. Cæſar factus eligitur cum Balbino & Pupieno contra Maximinum, quibus cùm biennio imperaſſent, militari ſeditione interemptis, ſolus imperio ſucceſſit. Contra Perſas profectus Saporem vincit, Antiochiam, Carras & Niſibin recipit, atque hæc omnia auxilio Miſithei ſoceri Præfecti prætorio, viri doctiſſimi quem eloquentiæ cauſa dignum parentela ſua putauit. Is à Senatu tutor Reipublicæ ob merita in Rempublicam eſt appellatus & Parens principum populi Romani. Quo per fraudem à Philippo ſublato tandem & ipſe Gordianus eiusdem inſidiis interficitur, ætatis anno xxii. imperii vi. Inter Deos à Senatu relatus eſt : Eius ſepulchrum in finibus Perſidis poſitum erat cum hac inſcriptione, Græcis & Latinis & Perſicis & Iudaicis & Ægyptiacis litteris, vt ab omnibus legeretur.

Divo Gordiano
Victori Persarvm Victori Gothorvm Victori Sarmatarvm
Depvlsori Romanarvm Seditionvm, Victori Germanorvm
Sed Non Victori Philipporvm.

Tantam quæ adhuc hodie ſupereſt nummorum Gordiani copiam ad id reuocare placet quod narrat Capitolinus, his verbis, *Philippum cum eum interfeciſſet, neque eius imagines tollere, neque ſtatuas deponere, neque nomen abradere*, &c.

Spectant hi nummi ad bellum Persicum, de quo sic Capitolinus, *Gordianus aperto Iano gemino, quod signum erat indicti belli, profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro, vt vel auxiliis vel militibus facile Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam atque in ipso procinctu quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugauit, expulit atque submouit. Inde per Syriam & Antiochiam recepit & Carras & Nisibin, quæ omnia sub Persarum imperio erant. Rex sane Persarum tantum Gordianum Principem timuit* &c. *Effectum denique est vt Persæ qui tam in Italia timebantur in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumque Orientem Romana Respublica detineret.* Quas ob causas *quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt a Senatu vtpote qui Persas vicisset, vt triumpho Persico triumpharet. Misitheo autem Imperatoris socero quadriga equorum & triumphalis currus & titulus huiusmodi,*

MISITHEO
EMINENTI VIRO PARENTI PRINCIPVM
PRÆTORII PRÆFECTO ET TOTIVS VRBIS
TVTORI REIPVBLICÆ
S. P. Q. R.
VICEM REDDIDIT.

Triumphi imaginem repræsentat primus nummus, quem ideo cusum esse arbitror ne debita gloriâ fraudaretur victor Gordianus qui Romam nunquam reuersus est, sed nefarie oppressus est & occisus à Philippo.

Alter Romam clipeo insidentem exhibet, galeatam vt solet, orbem Gordiano tradentem, sed habitu consulari, quod pacem indicat post victos tot hostes imperii Romani.

Tertii nummi typus non minus est illustris. Imperatorem spoliis insidentem coronat Victoria, milite coram ei palmam tradente; quæ omnia vt & inscriptio VIRTVTEM Gordiani celebrant. In quarto etiam coronatur Imperator : Pons scaphis impositus expeditionem trans Euphratem denotat. Quintus iterum Imperatorem coronatum exponit à Victoria juxta templum, præ cuius foribus mactatur victima. Triplici illo loco fortassis significare voluerunt Romani suum Imperatorem coronam in solo, in salo, & in cœlo meritum esse.

Colonias exhibet hæc tabella quæ nummos cuderunt in honorem Gordiani, *qui adoleſcens à militibus & populo & Senatu & omnibus gentibus ingenti amore ingenti ſtudio & gratia Auguſtus eſt appellatus. Amabatur autem merito avi & auunculi ſiue patris qui ambo pro Senatu & pro populo Romano contra Maximinum arma ſumpſerunt & militari vel morte vel neceſſitate perierunt.* hæc Capitolinus. Ad colonias redeamus. In Gordian.

1. Colonia Ivlia Avgvſta Felix Berytus in duobus primis tabellæ nummis repræſentatur: ea frequens occurrit in nummis antiquis quos ſupra vulgauimus. Qualis fuerit, dictum eſt pag. 39. Aquilæ legionariæ à Berytenſibus iam Imperatoribus Romanis dicatæ fuerunt, quod probat nummus Traiani ſupra expoſitus, pag. 179. Id veriſimiliter arguebat legionem quamdam Beryti ſtatiua agere ſolitam, quæ ſe vrbemque ſibi commiſſam Imperatoribus Romanis
2. fidelem & deuotam eſſe profitebatur. Dea in templo quin ad Venerem Aſtartem referatur, nullum eſt dubium. Videntur adhuc in templo ſed ſubobſcurè duæ aquilæ legionariæ quæ idem quam ſuperius dictum eſt indicant.

3. Sequentis coloniæ inſcriptionem ſatis difficilem aperuit & interpretatus eſt Cl. Triſtanus, Prouinciæ Myſiæ Superioris Colonia Viminacium. Locum enodationi dederat Ptolemæus, Viminacium collocans ad Danubium in Myſia ſuperiori, & Procopius ſcribens eam in Dacia conſtitutam vetuſtate collapſam à Iuſtiniano nouam & validam reſtauratam eſſe. Myſia etenim pars erat Daciæ. Illius in Seuero vrbis plura apud antiquos reperiuntur, *Et quùm Seuerus iret contra Albinum*, inquit Capitolinus, *in itinere apud Viminacium filium ſuum maiorem Baſſianum, appoſito Aur. Antonini nomine Cæſarem appellauit, vt fratrem ſuum Getam ab ſpe imperii quam ille conceperat, ſubmoueret.* Eò loci Carus Carini filius à militibus Diocletiano fauentibus derelictus & interemptus eſt, *inter Viminacium & Aureum montem*, inquit Victor. Legionis nomen legitur in inſcriptione antiqua à Grutero commemorata quæ illam Victricem Frvmentariam nominat. Obſcuri ſunt characteres in ima nummi parte ſignati An. xii. Ad Annonam refert Triſtanus, certè illi aſſentior cum id annos ſignificare non arbitratur. Taurus & Paul. Diac. lib. x. Pag. 371.

Leo appoſitus quomodo conveniant difficile eſt ſoluere: ille quidem coloniarum erat ſymbolum, hic fortitudinis. Eos exprimunt verſus ſancti Paulini quos in honorem Nicetæ Dacorum Epiſcopi fecerat,

Poemate. 30.

Paſcitur concors vitulus Leoni &c.

Alias colonias exhibet hæc tabella. COLonia TYRus METROpolis 1. in primo nummo ſignata eſt, quam & typus & inſcriptio demonſtrant. Concha purpuræ ſeu nautilus nonniſi in Tyriorum nummis expreſſa eſt, de qua dictum eſt pag. 299. Ambroſiæ Petræ ſupra fuerunt explicatæ pag. 338.

Pella Alexandri Magni patria in nummo Hadriani iam ſupra 2. ſcripta eſt pag. 195.

Tertii nummi characteres mihi ſunt admodum obſcuri. 3. Capricorni globum moderantis typus ad Octauium Auguſtum refertur, qui in eius nummis ſimiliter occurrit. Vide pag. 32.

Diximus raros eſſe eos omnes antiquos nummos qui plures facies exhibent. Serapis Deus & Gordianus Imperator hîc cernuntur; alter ſuam habet lauream caput cingentem, alter impoſitum modium cum appoſito retro copiæ cornu, indicendæ rerum omnium vbertati, quam Serapidem procuraſſe dicebant.

ODYSSVS vel ODESSA quemadmodum in nummo legitur vrbs 1. eſt Mæſiæ inferioris non procul à Ponto, quæ hodie *Varna* nuncupatur.

patur. Illius provinciæ vrbes in nummis Gordiani frequenter occurrunt: procul dubio ii cusi sunt cum *is per Mysiam iter fecit*, ut narrat Capitolinus. Imperator sacrificare videtur pro felici sui itineris successu, quem euentus non fefellit, *Parthos enim vicit* &c.

2. Vicini Marcianopolitani eumdem typum in Gordiani nummis usurpaverunt, Serapidem nempe & ipsum Imperatorem sese in vicem respicientes. Imperatorem stantem in secundo nummo designatum esse nullum est dubium.

3. In tertio Bacchum suspicor, attamen non satis novi. Menophilus in vtroque nummo scriptus est qui certe magistratum indicat, de quo nihil legisse memini. Quod illi a Marciana Traiani sorore nomen habuerint & cur, dictum est pag. 333. Nummum illustrat hæc inscriptio, quam de aula Principis Transiluaniæ refert Gruterus, Pag. 272.

IMP. CÆS. M. ANTONIO GORDIANO
PIO FELICI AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. COS. PP.
COL. VLPIA TRAI. AVG. DACIC. SARMIZ.
METROP. DICATISSIMA NVMINI MAIESTATIQVE EIVS.

4. Dionysopolitani plures fuerunt, in India intra Gangem, quos nummi nostri certè non designant, cum ii nimis essent ab Vrbe remoti. Alii sunt in Libya, quos ex Serapide in suspicionem trahere meritò possent Antiquarii: meo tamen iudicio ad hoc pertinere non arbitror. Si enim attendatur ad id quod sculptum est in duobus prioribus nummis, nempe eumdem Serapidis & Gordiani habitum Odessæ & Marcianopoli signatum, certè ii ritus designabuntur qui illis vicini sunt. ΔΙΟΝΥCΟΠΟΛΙΣ autem vrbs est in Mysia inferiori ad Pontum Euxinum, Odessæ fere contigua & non procul à Marcianopoli: *Crunos* antea vocabatur. Augent coniecturam tot antiqui nummi quos in honorem eiusdem Gordiani cudi curauerunt aliæ inferioris Mœsiæ vrbes, quemadmodum in sequentibus demonstrabitur. Plinius. Ptolem. Strabo.

ODESSA iterum occurrit, de qua dictum eſt in ſuperiori pagina. Palmæ ex vrna prodeuntes ludos ibi celebratos demonſtrant qui ei inſcripti ſunt : ex detritis characteribus libet hoc ſuſpicari ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. De ludis Antoninianis Alexandrinis dictum eſt ſupra pag. 351.

Græcos populos iteſum exhibet hæc tabella, qui Gordiano ſuo Imperatori iter ad bellum Perſicum facienti ſuas dedicavere monetas. CALLATIANI primi occurrunt, prope Tomos ſiti ſunt in Myſia inferiori ad Pontum : Serpens quid ſignificet in hoc nummo cuperem ſcire : ΚΑΛΛΑΤΙΑ nominatur à Ptol. ΚΑΛΛΑΤΙϹ, à Strab. quam primùm ACERVETIM appellatam fuiſſe ſcribit Plinius.

Nicopolis ſequentem vulgauit, quam dignoſcere inter tot eiusdem nominis non facile eſt : eam ſuſpicor quæ ad Danubium ſita eſt ad confluentiam Iatri, in Myſia inferiori, non procul à Traiani ponte. Huic interdum nummi antiqui epithetum addiderunt, ut diximus pag. 333. in qua ſcalpti ſunt nummi ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ ΠΡΟΟ ΙϹΤΡΟΝ. Cybele ſedet, ex tympano & cubantibus leonibus dignoſcitur : Ea occurrit frequenter hoc habitu in antiquis nummis & marmoribus, ex quorum numero hoc ſeligemus ex Grutero cum hac inſcriptione :

DEÆ SYRIÆ SACR.
VOTO SVSCEPTO PRO SALVTE &c.

Vix poteſt ſciri quisnam fuerit ille Magiſtratus qui in nummo legitur: ſic ſe habent Characteres : ΕΠ. ϹΤΡ. ΑΥΡ. ΔΙΟΓΕΝΟΥϹ ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. hoc eſt, *ſub Prætore Aurelio Diogene, Nicopolitanorum.*

1. Ab eâ provinciâ non prius ad alias pergemus quin vrbes celebraverimus quæ nummos tunc temporis cuderunt in honorem Gordiani. Eo ſunt illuſtriores quo eius faciei coniuncta eſt etiam uxoris Tranquillinæ facies: de hac ſuo loco dicetur.

TOMIS vrbs eſt Myſiæ inferioris ad Pontum quam nobilitauit ſuo exilio Ouidius, eius nummos iam frequenter in ſuperioribus vulgauimus. Dea Salus nihil peculiare demonſtrat.

2. ANCHIALVS etiam in Ponto collocata eſt quæ procul dubio à
3. Traiano VLPIA dicta eſt. Serapidem in nummo auerſo ſatis illuſtrant ſuperiores in quibus Serapis ipſe Gordiano coniunctus eſt. De eo abundè ſupra dictum eſt pag 64. De figura muliebri ſtante quæ in tertio nummo ſculpta eſt nihil auſim coniicere.

1. Aſiaticos populos hic habes qui etiam ſuis nummis Gordianum ſunt venerati. Cyziceni priores occurrunt, de quibus iam dictum eſt pag. 239. Vulcanus ſæpe ocurrit arma fabricans, interdum coram

Pallade aut Venere, ſed præcipuè in nummis ex maximo modulo.
Iliad. lib. 18. Typus attinet ad id quod deſcribit Homerus, in gratiam Palladis Vulcanum Achilli fabricaſſe, de quo in THESAVRO dicemus.

Miletopolitanis alterum nummum tribuit Cl. Triſtanus, quam- 2.
uis ab illa voce parùm differant characteres. Ii in Myſia Aſiatica non procul à Cyzico. Eos Dianam coluiſſe vt plures alios Græciæ populos typus demonſtrat: de his dictum eſt pag. 268.

Magnetenſes in tribus ſequentibus celebrantur: quorum lon- 3.
ge eſt illuſtrior ille qui locum inter Aſiaticas vrbes Magneſiæ tribuit; 4.
hæc enim nona in nummo declaratur, quod rariſſimum eſt. Illam 5.
diſceptationem non minus politè quam eruditè vulgauit Ezechiel Spanhemius Sereniſſimi Electoris Palatini ab intimis conſiliis, in ſuo quem edidit libro DE VSV ET PRÆSTANTIA NVMISMATVM ANTIQVORVM. De Magneſia dictum eſt pag. 170. De typo nihil auſim affirmare.

Sextus nummus Epheſios celebrat Alexandrinos dictos, ſiue 6.
quòd, vt inquit Triſtanus, Troas quæ Alexandria dicta eſt cum Epheſo communitatem inierit, ſiue quod Epheſii à Seuero dicti fuerint Alexandrini, ſiue quod in Alexandria Ægypti, Epheſiorum multitudo commercia agens vtriusque populi ſocietatem in nummo celebret: Etenim inter vtramque vrbem maxima erat neceſſitudo.

Sardiani ſeptimum cuderunt de quibus ſatis ſupra dictum eſt, 7.
Iupiter ſedens nihil peculiare denotat.

Edeſſa vrbs eſt Meſopotamiæ non longe ab Euphrate, Metro- 8.
polis Oſrhoenicæ regionis & Abgarorum Regum domicilium. Videtur hæc, caput enim turritum quid aliud indicaret, Romam inſidentem clypeo coronare propter partam à Gordiano victoriam qua Parthos ſuperauerat: tunc enim ſuæ ditioni redditus & reſtitutus eſt Abgarus.

Poſtremis duobus nummis Carrheni inſcripti ſunt. Carrha vel 9.
Amm. Marcell. lib. 23. Carrhæ vrbs eſt Meſopotamiæ, *oppidum antiquum Craſſorum* & 10.
Romani exercitus ærumnis inſigne. Eamdem Lunam iam vidimus in Caracallæ nummis pag. 306. Quæ tum fœminino tum maſculino habitu religiosè per hos tractus colitur. Columna & ara indicant Gordiano ab hac vrbe ſacrificia oblata fuiſſe vt Deo Marti, qui illam ab hoſtibus vicinis liberauerat. Parthi enim temporibus Maximini has regiones inuaſerant.

1. Iterum Græcos nummos populorum Asiæ exhibet hæc tabella.
2. Nicomedienses duos primos cuderunt. De illorum origine iam scripsimus ex Libanio quod ad rem nostram facit, cum inter Domitiani nummos anguis veniebat explicandus, pag. 164. Aquila & ara accuratius adhuc illorum originem demonstrant. Duæ figuræ stantes ad templi seu vrbis fores Gordianum & Tranquillinam fortassis exhibent cum palmis hinc inde, victoriæ nempe præmiis, quam ille contra Parthos adeptus erat. Orat. 6.
3. Nicæenses vicini legionum signa suo Imperatori exhibent, quemadmodum & Caracallæ & Alexandro Magno fecerant.
4. Pallas quæ in quarto nummo repræsentata est sic se habet in Caracallæ nummo supra exposito pag. 304. Quo loci diximus de Seleucia ad Calycadnum.
5. De Hypæpis dictum est pag. 292. ad quod refertur Dea nuda in medio templo quam Venerem interpretor, *cuius dono*, vt inquit Stephanus, *mulieres Hypæpenenses supra cæteras erant formosissimæ.* De Vrbibus. Miror Cl. Tristanum hanc Dianam esse asseruisse, cum neque vbera, neque quæ ad venationem pertinent hic exhibeantur.
6. PATARA quæ sextum nummum cudit vrbs est Lyciæ maritima in Asia prope Pamphiliam & Cariam: Arsinoë dicta est ab Ptolemæi Philadelphi vxore. Celebris erat ob oraculum Apollinis. *Pataram*, inquit Pomponius Mela, *nobilem facit delùbrum Apollinis quondam opibus & oraculi fide Delphico simile.* Lib. 1. cap. 15. Quare non mirum est si nummus Apollinem repræsentet, eumque vt vatem, Musarum habitu quem etiam induit dum ACTIVS dicitur in Augusti nummo. Laurus & tripus ad ipsum pertinet & serpens ei implicitus. Coruus frequenter Apollini dicatus est diciturque à Statio *comes obscurus tripodum* Lib. 3. Thebaid. Hunc Batto apud Callimachum muneri dedit qui viam ostenderet locum quærenti Cyrenæ condendæ,

Καὶ λιβύην ἐσιόνει κόραξ ἡγήσατο λαῶ

Egregium typum exhibet ſeptimus. Gordianus vt Genius mon- 7.
tem gerit in capite, quo Argæus ſignificatur, cui impoſita erat Cæſarea Cappadociæ metropolis. Non inuſitatum erat antiquis Deos pro montium Geniis vſurpare, imò pro ipſis montibus: ſic Iupiter Caſius pro Deo Caſii montis in nummo Traiani ſupra expoſitus eſt: ſic Argæus mons in nummis argenteis quos poſſidemus Pii Antonini & Seueri & Iuliæ, quos publici iuris facere cum reliquis noſtri Theſauri in animo eſt.

COLOPHON quæ octauum nummum cudit vrbs erat Ioniæ in 8.
Aſia minori, quæ ſe cum ſex aliis Homeri natalitiis iactitabat. Apollo ſedens pro typo eſt, ex cithara & lauro ei ſacra dignoſcitur. *Apud Colophonios lucus viſitur Apollinis, fraxinis condenſus*, inquit Pauſanias. *Habebant etiam templum & oraculum Apollinis Clarii, ipſa antiquitate ſanctiſſimum.* Quis fuerit ille Callinicus Colophonienſis Prætor, nihil niſi ex hoc nummo didici.

In Achaic. lib. 7.

Vicina METROPOLIS vt Colophon Gordiano ſuum nummum di- 9.
cauit de illa dictum eſt pag. 305. cum nummum vulgauimus eodem prorſus typo & inſcriptione. Veriſimile eſt eumdem eius fuiſſe animum cùm & Caracallæ & Gordiano ad bellum Parthicum properantibus hos honores congeſſerunt.

Decimi nummi typus egregius eſt. Tripodi vrna eſt impoſita è 10.
qua prodit palma. Vas à ſiniſtris collocatum eſt, à dextris quidem aliquid quod vetuſtas eripuit: hæc omnia ad ludos pertinent fortaſſis Apollinis. THESSALONICHE ad oſtium ſinus maris Ægæi in Macedonia.



Hunc nummum Cl. Triſtanus ad Temnitas refert Ioniæ populos quamuis in eius nummo, vt etiam in meo, THMEITΩN legatur, non THMNEITΩN. Mallem vtriusque originem quærere apud Timum ſeu Temum Aſiæ propriæ vrbem quæ temporibus Tiberii terræ motu concuſſa & euerſa fuerat, deinde refecta. Sed aliud eſt in hoc nummo quod res noſtras antiquas ſummopere illuſtrat. Duarum Nympharum quæ pro typo ſunt, habitus ſimilis conſpicitur in nummis Sacro Senatui oblatis, cum hac inſcriptione IEPA CYNKAHTOC. Duodecim huic dicatos ſcalpi ſupra curauimus pag. 4. inter quos hic vndecimum locum obtinet, eadem inſcriptione conſpicuum

ſpicuum nempe ΕΠ. CT. ΑΥ. CTPATONIKIANOY ΤΗΜΕΙΤΩΝ; *Sub Prætore Aurelio Stratoniciano.* Hæc omnia locum dedere coniecturæ, quam hic eruditorum cenſuræ lubens exhibeo, nempe hos omnes nummos Senatui dicatos temporibus Gordiani huius cuſos fuiſſe: conueniunt typus & inſcriptio vtriusque nummos illuſtrantes: conueniunt & facies, nec enim plurimum mihi differre videtur Gordiani effigies ab ea quam finxerunt Senatui. Et quod rem mihi dirimere videtur, id eſt quod pleræque vrbes quæ vni nummos ob uelerunt, alii etiam dicauerunt, Gordianum vt ipſum Senatum venerantes.

Ex quatuor huius tabellæ nummis vnus eſt, quem quantum potuit Cl. Triſtanus interpretatus eſt, Grifs inquit id fortaſſis indicat *Gordianus Romanorum Imperator Filius Serapidis:* laudo quidem ſolertiam, ſed ea non ſufficit: quamuis ampliorem ſuperaddere nequeam. Anni in nummo signati CCCVIII. ænigma penes ſe habent cuius ſolutionem non noui.

Cæteri vel annos imperii vel tribuniciæ poteſtatis exhibent. Captiui iuxta trophæum victorias Gordiani demonſtrant, quas è Parthis reportauit.

Nummus hic ab Illuſtri Seguino iam vulgatus fuit. Iunonem pronubam interpretatur ſtantem in templo tetraſtylo habitu nubentis. Eius ſacra anniuerſaria nuptiarum ritu à Samiis celebrabantur quia apud eos adoleuerat, & Ioui nupſerat. Nummum in eius honorem cuſum ab iisdem Samienſibus inſcriptio docet, illam Imperatori ſuo dicantibus, pro more Græcorum. In Select. Numiſm.

De Abgaris Edessenorum Dominis Regibus & Phylarcis dictum est pag. 240. At iste qui hic signatus est tripliciter suam erga Romanum Imperatorem gratitudinem testatur, tùm eques, tùm pedes, tùm ad προτομὰς scalptus, quod Galli vocant *en demy buste*. Triplex ille habitus denotat Abgarum omni officiorum genere Gordiano deuinctum, omnibus modis aut in pace aut in bello gratias acturum. Interpretatur Cl. Tristanus eum ab Artaxerxe fugatum à Gordiano restitutum fuisse, in cuius rei recordationem tot nummi cusi fuerunt. De Tiara seu Cydaride, tunica manicata quam de græca latinam fecerunt chiridotam, vt & de cœteris Magnorum Regum ornamentis, dixit abunde Theophylactus Simocatta, & post eum Brissonius, cùm egit *De regno Persico*. Quæ ad nummos antiquos spectant excerpsimus, ad illustrandum nummum Persicum quem volente Deo cis paucos menses in THESAVRO nostro vulgare propositum habemus.

Lib 4. cap. 3.

Tranquillina Misithei filia fuit, vxor Gordiani. Plures exstant apud Gruterum inscriptiones illam celebrantes, in quibus interdum FLAVIA, interdum VALERIA, interdum FVRIA SABINA nominatur, certè in omnibus eius nummis quos vidi sic legitur ΦΡΟΥρια ΣΑΒΕΙνα ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. Tristano non placet lectio. *scribitur*, inquit, ΦΟΥρια: Fortassis quòd Furia fuerit nomen à Romanis sæpe vsurpatum, sed

ſed omnes vt iam dixi conclamant nummi. De eius moribus & liberis penes Autores altum eſt ſilentium: SANCTISSIMAM nominant frequentes inſcriptiones, quare illam tanto patre & tanto coniuge dignam facile crediderim. Sanctitas priſcè pro caſtitate vſurpabatur, quam præcipuè viri laudant in mulieribus. Plinius Plotinam nuncupauit ſanctiſſimam fœminam, quod de paucis dictum eſt. Ad auerſas nummorum typos procedamus. In Paneg.

Illi certè tales ſunt quales nulli alii in tota nummorum ſerie: ad Epheſios quidem pertinent, ſed cum diuerſiſſimo Dianæ habitu. Ea enim vel in curru ſtat a ceruis velociter currentibus vecto, vel vni ceruo inſidet, vel pedes cernitur cum adſtante cane venatico. Vbique Epheſii ſignificantur Primi Aſiæ, quod Antoninus comprobat Epheſium nominans *Primam Metropolitarum* πρώτου τῶν μητροπόλεων Ἐφεσου. Stephanus *Illuſtriſſimam* illam nominat ἐπιφανεστάτην. Inſcr. obſer. Dig. de offic. Proc.

EIdem Tranquillinæ hi tres nummi dicati ſunt, quam non Sabinam ſed ΣΑΒΕΙΝΙΑΜ nuncupant. De Chalcedonenſibus dictum eſt pag. 186. Vt de Apolline à cygno in cœlos delato.

Alter à Nicomedienſibus cuſus eſt de quibus etiam dictum eſt pag. 165. Serpens ille tot gyris circumuolutus eorum originem certè denotat quam ſupra declarauimus. Sed cur caput humanum ei eſt impoſitum mihi obſcurum eſt, niſi morem ſuſpicer Ægyptiorum ad Nicomedienſes etiam translatum eſſe, qui ſuas belluas cum capitibus humanis adorabant Διὸ εἰς τὰ θεοποίητα παρέλαβον πᾶν ζῶον ἡμῶν ὁμοίως πῶ ἔ ἀνέμιξαν θηρία ἡ ἀνθρώπε καὶ πάλιν ὀρνέων σώματα ἡ ἀνθρώπε &c. inquit Porphyrius. Cernitur etiam idem caput humanum anguino corpori impoſitum in Caracallæ nummo. Lib. 4. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων.

Perinthii frequenter Romanis Imperatoribus & eorum vxoribus ſuas dicauerunt monetas, exſtant plura exempla in ſuperioribus, præcipuè pag. 164. 185. & 188.

M. Ivlivs Philippvs Arabs, humillimo ortus loco fuit, patre nobiliſſimo latronum ductore, virtute rei militaris clarus, ordinis comes, dux & Præfectus prætorio creatus, cum Gordiano contra Perſas profectus, Miſitheum fraude necauit: poſt eius mortem à Gordiano tanquam parens dilectus, eumdem tandem interfecit, ſibique imperium arripuit, Senatui ſcribens Gordianum morbo extinctum, ſe Imperatorem creatum ab exercitu. Deceptus Senatus credit, ipſumque Auguſtum appellat. Superbus erat qui ſe in nouitate atque enormitate fortunæ non tenuit: Oppidum à ſe nominatum Philippopolim in Arabia condidit ſacramentis interuenientibus, amicitia cum Sapore conſtituta, belloque ſopito Romam proficiſcitur contra Decium tandem educens exercitum mente turbatus ac veluti furore percitus Veronæ cadit pulſo amiſſoque exercitu. Tradunt illum à militibus interfectum medio capite ſupra ordines dentium præciſo. Imperauit annis quinque, deinde inter Diuos cum filio relatus eſt. Chriſtianum eum fuiſſe tradunt Euſebius & alii. Inſcriptionem Veronæ exſtantem ex annalibus Baronii excerpſit Zozimus. Gruterus:

Anno Christi CCLIII.
Imp. Divvs Philippvs Senior
Veronæ et Romæ Ivnior
a Satellibvs Interficivntvr

Sibi proſpiciant qui antiquam arbitrantur: ſane cum Scaligero
In Euſeb. ſuppoſititiam puto, non is erat tunc temporis mos ſcribendi.

Duos Philippi nummos vulgabimus rem illustrem demonstrantes. Ludos nempe sæculares & Imperatoris liberalitatem. De his supra diximus pag. 158. Eorum quos Philippus celebrauit magnificentiam quodammodo describit Capitolinus his verbis, *Fuerunt sub Gordiano Romæ elephanti triginta & duo, quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem; alceos decem, tigres decem, leones mansueti sexaginta, leopardi mansueti triginta, belbi id est hyænæ decem: gladiatorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes decem, camelopardali decem, onagri viginti, equi feri quadraginta & cætera eiusmodi, animalia innumera & diuersa; quæ omnia Philippus ludis sæcularibus vel dedit vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas & præterea efferas, Gordianus parabat ad triumphum Persicum; sed votum publicum nihil valuit, nam omnia hæc Philippus exhibuit sæcularibus ludis & muneribus atque Circensibus, cùm millesimum ab vrbe condita annum in consulatu suo & filii celebrauit.* In Gordiano Ea ad vtriusque nummi interpretationem referantur, quam adhuc illustranto alii quos penes me habeo in quibus legitur SÆCVLARES AVGG. I. II. III. IV. V. VI. cum variis animalibus tunc temporis productis, ET SÆCVLVM NOVVM, ET MILLIARIVM SÆCVLVM quamuis apud Occonem & alios MILLENARIVM non MILLIARIVM legatur. Eos autem ludos exhibuit Philippus secundo imperii anno vel tertio, per tres dies continuos noctesue, quibus natum est incendium. Locus Cassiodori hac de re spectabilis: *Æmiliano & Aquilino Coss.* inquit, *millesimus annus vrbis Romæ expletus est: ob quam solennitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in Circo magno interfecit: ludosque in Campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus populo perugilante celebrauit &c.* In Chronico.



Philippi nummos hic habes quos Coloniæ in eius honorem cu-derunt. Viminacivm in Mœsia iam pridem Gordiano suum 1. nummum dicauerat, quem supra vulgauimus pag. 369. Idem typus occurrit, mulier nempe inter taurum & leonem de quibus ibidem dictum est.

Alter ab vniuersa Dacia videtur cusus absque vllius vrbis desi- 2. gnatione. Obseruandum eundem typum etiam repræsentari in nummis Otaciliæ Seueræ, & eius filii Philippi iunioris. Galerus quo mulieris caput ornatum est, Dacis erat vsitatus: id probant plures nummi Decebalum Daciæ Regem sic exprimentes, & plures figuræ in columna Traiana, quæ bellum Dacicum à Traiano confectum egregiè repræsentat. An aquila & leo vtriusque animalis in illis regionibus prouentum significet, incertum est, sed certè ibi frequentes occurrunt. Leones & aquilas in Austria vidi è Transiluania abductas, quæ olim Dacia nuncupabatur. Vexillum illud meo iudicio aliquam legionem indicat, firmandæ contra barbarorum impetum prouinciæ in Dacia degentem. Characteres in eo conspicui De assequi non possum.

Tertius nummus templum exhibet quod Colonia Heluia 3. Ioui Optimo Maximo Heluio dicauerat. Illud in nummis Seueri Caracallæ & Getæ supra vulgauimus. De ea dictum est pag. 281.

De Colonia Laodicea Metropoli supra dictum est pag. 229. 4. & de Colonia Damasco pag. 47. cur aries in eius nummo sit expres- sus non satis noui. 5.

1. Primus tabellæ nummus ad Zeugmatenſes pertinet de quibus dictum eſt pag. 223. Cur in ima nummi parte appoſitus ſit caduceus non facile eſt coniicere. Non me latet Clariſſ. Occonem & Triſtanum Philippo filio hunc nummum tribuiſſe qui forte vtrique dicatus eſt, ſed certè meus faciem exhibet ſexagenariam, & ideo ſoli patri competit, cum Philippus iunior anno ætatis duodecimo ſit necatus.

2. Alter ad Cyrreſtenſes. Iupiter in ſuo templo ſedet fulgur tenens quaſi miſſurus: de eo dictum eſt pag. 226. Hunc ſicut priorem aſſignauit Cl. Triſtanus Philippo filio, fortaſſis vtrique dicati ſunt, ſed certè mei Philippum patrem referunt.

3. Theſſalonicenſes tertium cudere, in quo Apollo nudus lauream tenens & vrna è qua palma certè ludos Pythios indicant. Figuram coram ipſo ſtantem refert Cl. Triſtanus ad Philippum; ſed cur orbem ab Apolline reciperet & id quod humeris geſtat: mallem eum Cabirum eſſe vel Philippum ſub Cabiri ſpecie, cui præcipuus iſtius regionis cultus deferebatur: Cabiros enim malleum vbique ſimilem humeris geſtantes repræſentauit antiquitas & præcipuè nummi: De iis vide pag. 291.

4. Phoceenſes quartum ſignauerunt: plures eorumdem nummos ſupra vulgauimus: vide pag. 292.

5. De Coienſibus dictum eſt pag. 43. Victoria gradiens lauream & palmam gerens Philippo gratulari videtur *ob pacatum Orientem & compoſitum*, vt loquitur Aur. Victor. De Cæſarib.

6. Hyrcanos demonſtrat quintus nummus: an ii ſint qui mari Caſpio nomen dedere, veriſimile eſt. Cl. Triſtanus arbitratur mulierem cum cane eſſe pro typo: pace eius dixerim Bacchus ſtat cantharum dextrâ tenens ſiniſtrâ thyrſum, pedes eius lambente tygride, ſimilem typum

typum vulgauimus inter Aurelii nummos quem explicat inſcriptio ΔΙΟΝΥCΟC ΚΤΙΣΤΗC ΤΙΑΝΩΝ *Bachus conditor Tianenſium.* vide pag. 247. Eum illuſtrant quæ dicta ſunt pag. 224,

Septimus nummus triremem exhibet quam nondum in Ephe- 7,
ſiorum nummis videram. Is quantumuis integer in vna parte corruptus nomen eripit ſpectabile quod felicior quiſpiam coniiciet: certè pars ſuperior Epheſiorum primatum ſignificat. Diſſimulandum non eſt hunc nummum poſſe tribui iuniori Philippo, nomina enim conueniunt deinde facies in eo expreſſa quæ iuuenilis videtur: at malui cum Occone errare, ſi quid ſit erroris, quam in re incerta virum tam doctum reprehendere,

Octauus ad Pergam pertinet Pamphiliæ vrbem. Perga vel Pergæ 8,
dicebatur, Aſylum fuiſſe inſcriptio docet, & ibi cultam Dianam, ſicuti nummus ſupra vulgatus pag. 286. Quod hic ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ legatur fortaſſis ad exemplum factum eſt alterius nummi in Iulia in qua legitur ΕΦΕCΙΩΝ ΤΡΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΙ ΤΗC ΑΡΤΕΜΙΔΟC.



De Antiochia ſupra diximus. Senatus conſulti notam hic latinis characteribus appoſitam eſſe notabile eſt, fortaſſis ob populorum erga eum reverentiam à quo etiam dialectum mutuabantur.

De Fortuna in Lectiſternio cubante diximus in nummis M. Aurelii pag. 246. Eadem occurrit etiam in Lucilla pag. 258. Cætera annos imperii deſignant, qui in nummis frequenter notantur, Aquila & Iupiter ſummam Imperii Maieſtatem deſignant.



Strabo. Plinius. Stephanus. Ptolem.

Meſambria vrbs eſt Mœſiæ ad Pontum Euxinum de qua paſſim apud antiquos. ΜΕCΑΜΒΡΙΑΝΩΝ in his nummis legitur non ΜΗCΑΜΒΡΙΑΝΩΝ vt ſcribunt quidam. Coloniam fuiſſe Byzantinorum & Chalcedonenſium docet Herodotus, repugnantibus Stephano

Stephano & Strabone alium conditorem assignantibus. Postremus hic nomen ad vetus Thracicum idioma reuocat, quo BRIA vrbs significatur. De Genio in auersa primi parte nihil suppetit, de Serapide vbique terrarum ferè culto dictum est pag. 154. Cæterum illustres faciunt nummos coniugum facies, Philippi & Otaciliæ Seueræ. De hac nunc dicere ordo noster postulat. Lib. 6.

MARCIA OTACILIA SEVERA vxor fuit Philippi patris, mater iunioris. Hæc Christum coluisse fertur, & cum marito ac filio baptismate insignita, ab Origene edocta. Pauca de ea sciuntur, Scriptorum incuriâ. Primus nummus LVDOS SÆCVLARES celebrat quos edidit Philippus de quibus supra pag. 381. Ad id etiam refertur alter in quo scriptum est MILLIARIVM SÆCVLVM. alium plurimi notant autores in quo scriptum MILLENARIVM, at illum non vidimus.



1. SIcuti PROVINCIA DACIA suos nummos Philippo dicauerat, eumdem etiam honorem in Otaciliam Seueram eius vxorem contulit eodem planè typo, qui supra explicatus est. Coniectura est hanc ei fuisse patriam.
2. Nummus alter egregius quidem est, tùm propter falcatam Lunam cui imposita est Augustæ effigies, tùm propter templum illud rupi impositum in auersa parte. Tota inscriptio non legitur quæ tamen Berytum subindicat. Templum prorsus simile cernitur in

Macrini nummo ſupra deſcripto pag. 323. Quod ad Phanæam pertinet, Colonus agens boues aut coloniæ inſtaurationem aut reſtaurationem demonſtrat, quod Otaciliæ Seueræ deberi docet nummus. Notanda venit inſcriptio circum caput, M. Ot. Severæ Avg. M. C. quam ita interpretor Marciæ Otaciliæ Severæ Avguſtæ Matri Cæſaris.

Colonia Damaſcus Metropolis in tertio nummo ſignata eſt. 3. Romanis eam paruiſſe indicant Romulus & Remus cum lupa lactante. Legio vii. vexillo inſcripta procul dubio Damaſci commorabatur, ſuæque fidelitatis hoc perhibet teſtimonium, cuius etiam per alios nummos quos vidi, Philippum certiorem fecerant.



Photius. Hæc tabella nummos Græcos exhibet eiusdem Auguſtæ in quibus 1. obſeruandum eam non Otacillam vocari ſed Otaciliam. Primum quidem iam explicauit Cl. Triſtanus Apollinem ad Ierapolitanos Phrygiæ referens, quòd apud eos coleretur & antrum haberet præſtigiis ac miraculis clarum: ſic antiqui.

Strabo. lib. 13. Hierapolitanis vicini Magnetenſes ſuam etiam Cybelem Otacilia Seueræ obtulerunt: de illis dictum eſt pag. 170. 2.

Tertius nummus à Nicomedienſibus cuſus eſt bis Neocoris. 3. Serapis & Iſis illum ſummoperè illuſtrant, de quibus abundè ſupra dictum eſt.

Antiochienſes quemadmodum ſolebant tum Imperatoribus 4. tum eorum vxoribus & filiis ſuos nummos offerebant: De iis ſupra dictum eſt. ΜΗΤΡΟΛΟΛΩΝ interpretor Metropolitas Coloniæ.

Temnitenſes quintum nummum percuſſere: De iis dictum 5. eſt pag. 253. Veriſimile eſt hunc fluuium decumbentem eſſe eum qui Temnum alluit, Hermum ſcilicet, in Aſia propria ſatis celebrem.

M. Ivlivs Philippvs filius fuit Philippi Imperatoris & Otaciliæ Seueræ. A patre in consortium imperii adscitus est, & Romam adductus. Adeo seueri & tristis animi fuit vt iam tum à quinquenni ætate nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solui potuerit, patremque ludis sæcularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notauerit auersato; quare ἀγέλαστος dictus est. Patre aduersus Decium profecto, hic Vrbi relictus est, vbi audita Philippi morte à Prætorianis militibus interficitur, annum agens duodecimum. Obseruandum eius nummos nullo discrimine à Parentis nummis differre, nisi illis interdum Cæsaris dignitas apposita sit, his Avgusti: Cæteri eodem prænomine nomine & agnomine, interdum etiam faciebus, quamuis parens eo profectus fuerit ætatis quæ senem illum faceret, Filius verò nondum adolescens necatus fuerit.

Philippo filio non defuit Provincia Dacia; eumdemque typum illi obtulit quem pridem patri Philippo & matri Otaciliæ Seueræ dicauerat.

EIusdem Philippi iunioris nummos aliquot Græcos hic expoſuimus. 1.
In Seleſt. Numiſm. Primus ab Illuſt. Seguino vulgatus & explicatus eſt. Typus ſanè vt inſolitus ſic eſt elegantiſſimus. Tres Furias exhibet, ſorores ſceleris vltrices Deas; Alecto, Tiſiphone, Megæra ab antiquis vocabantur: *Tunicis ad talos demiſſis cingulo pectus incinctis* illas deſcribit
Lib. 4. Geogr. Strabo, quas inſuper nummus terribiliores demonſtrat, ſerpentibus, tædis, flagellis, & ſtimulis quos habent præ manibus. Cur eæ ab Antiochenſibus in nummo ſignatæ, aut cur Philippo dicatæ, mihi quidem obſcurum eſt. Mos erat antiquis etiam iratis Diis templa dicare, aras erigere, victimas ſacrificare. Teſtes ſunt nummi Ve-Iouis,
In Famil. Roman. Pauoris, Palloris, quos poſt Fulv. Vrſinum publici iuris fecimus. Febri etiam aras & templa erexerunt Romani, quò minus noceret.
Valer. Maxim. Sic recentiores Indi Orientales Dæmones non honoris cauſa ſed timoris adorant: At de his ſatis.

Aram inter ſerpentes Cyziceni in ſuo nummo expreſſerunt: an 2.
ij Aſiam voluerint indicare quemadmodum Auguſtus fecerat eodem fere typo cum hac epigraphe ASIA RECEPTA: an aliquid aliùd difficile eſt coniicere: Ii quippe ad littoris Propontidis oram quaſi Aſiæ limen occupant. De iis dictum eſt pag. 238. & 302. In qua nummum Caracallæ dicatum ſimilem vulgauimus.

De Hyrcanis ſupra dictum eſt pag. 383. Veriſimile eſt eos patri 3.
& filio eodem animo ſuos nummos dicauiſſe.

De Magnetenſibus etiam dictum eſt pag. 170. Typus binas 4.
aquilas exhibens, imperium orientale & occidentale non exhibuiſſe conſtat, cum ante Theodoſium illius partitionis nullum exſtet veſtigium: niſi potentia imperii Romani ad vtrumque extenſa ſignifi-
Herodian. cetur. Caracallæ quidem & Geta inter ſe diſſentientes illam orbis diuiſionem tentauere, at precibus Iuliæ neutrum deſerere volentis, res infecta eſt.

Quid de Epheſiis dicendum eſt aut de Diana, quod prius non-dictum fuerit? breuitati ſemper operam dedimus, quæ aut repetitione aut locis communibus offenderetur.

CNEVS MESSIVS QVINTVS TRAIANVS DECIVS Sirmienſium vico ortus Budalia quæ nunc Buda dicitur in Pannonia inferiori militiæ gradu ad imperium conſpirauerat. Vir erat artibus cunctis & virtutibus inſtructus, placidus & communis domi, in armis promptiſſimus: quare Traiano adæquatus eſt, & nomen optimi Principis iudicio Senatus meruit. A militibus Illyricianis contra Philippos Imperator factus eſt, deuicto & occiſo patre, à Senatu Auguſtus appellatus. Filium ETRVSCVM nomine Cæſarem fecit, quem paulo poſt aduerſus Barbaros trans Danubium miſit: Sequutus & ipſe in acie cum filio necatus eſt, copiæ omnes proſtratæ imperiumque Romanum Scythis & Getis deſpectui habitum corpuſque paludis voragine abſorptum, nec vſquam repertum eſt. Dicunt illum à Treboniano Gallo Duce limitis Mœſiæ proditum. Vixit annos L. imperauit biennio: In Chriſtianos acriter ſæuierat. Eius temporibus oppreſſi ſunt duo imperium ambientes, Iotapianus ſeu Papianus & Priſcus, quorum nulli exſtant nummi. Decii hæc exſtat inſcriptio Tarracone in Hiſpania citeriori. Gruter. pag. 275.

PIO ATQVE INCLITO DN. TRAIANO
NOBILISSIMO AC FORTISSIMO ET
FELICISSIMO CAESARI &c.

Liberalitatem exponit primus hic nummus, quam Tr. Decium erga populum Romanum exercuisse verisimile est, cùm imperium consentiente Senatu adeptus est. Plurima eiusmodi exempla supra vidimus. 1.

Alterum typum in quo DACIA baculum seu vexillum tenet cuius vertici impositum est asini caput perdoctè explicauit Cl. Tristanus. Asinus ἀνήνορα animal ab antiquis vocabatur, quod Homero locum dedit Aiacem inter præliandum asino comparare. Sic liber diuinus Iacobi & Liæ filium nominat Issachar seu asinum fortem, quòd constans esset firmus & intrepidus. Daci ideò fortassis dicti Asini quòd asinos haberent in vexillis: Illa autem in nummis Romanis repræsentatur in honorem Decii, qui Dacus erat: Dacia enim Transiluaniam Moldauiam, Valachiam, Hungariam & Pannoniam continet: Dicta est FELIX in nummo argenteo quemadmodum CARTHAGO, RAVENNA. Huius postremæ nummum hic scalpi curauimus vrbis Genium ræpræsentantem. Optarem quidem, cœterarum similia monumenta nobis supereſſe quæ aut historiam aut geographiam possent illustrare. 2.

Epitet. lib. 1. c. 18. Lib. 11. Iliad. Geneſ. cap. 49.

3.

Tertius nummus Traianum Decium repræsentat sub habitu Genii exercitum Illyricianum tuentis, quemadmodum in alio nummo dicitur GENIVS ILLYRICI. Apud Romanos omnia suum habebant Genium, qui Angelo custodi Christianorum non malè conuenit. In nummis legitur GENIVS CÆSARIS, GENIVS SENATVS, GENIVS POPVLI ROMANI, GENIVS EXERCITVS &c. Illyricum autem ea est prouincia quæ ab Alpibus & mari supero ad Danubium extenditur; Ideo Decium celebrat in hoc nummo, & quod illius sit patria, & quod suorum militum virtute, ii enim fortissimi censebantur, Philippi exercitus fugatus fuerit & Decius Imperator factus.

Nouus typus prodit ab Antiochenſibus, tria nempe ſigna militaria, quæ haud dubiè legiones indicant Antiochiæ commorantes. Interdum etiam earum leguntur nomina. Antiochias ſupra quadraginta commemorant Veteres; Earum nulli fortaſſis hic nummus conuenit propter appoſitum COLONIÆ nomen, de qua nihil penitus in libris reperi. Characteres latini tum nummi ſcalptura illam deductam eſſe circa Danubii ripam ſubindicant, in Illyrico aut Dacia quòd ſatis Decio cœteriſque eius nummis conueniret.

Præuium habui Cl. Triſtanum in horumce nummorum explicatione, quare hæc gloria illi per me relicta ſit: SEPTIMIAM COLONIAM RESÆNESIORVM exhibent, quam vbi collocata ſit nemo aut Hiſtoricorum aut Geographorum declarat. PECAINA legitur apud Ptolemæum, Lib. 5. c. 18. PECINA apud Stephanum, quam reſtauratam eſſe & coloniam factam ab Imperatore Seuero indicant eius nummi, quare dicta eſt SEPTIMIA. Sita eſt ad Tigris ripam in Meſopotamia prope Euphratis confluentiam: Locus ille eſt ſpectabilis tum propter deuictos Perſas per Gordianum, tum propter ipſius Gordiani cædem à Philippo patratam, *cuius adhuc ſepulchrum ſtat,* inquit Ammianus Marcellinus. Lib. 23.

1. Auerſos typos breuiter exponam. Primus indicat coloniæ in-
2. ſtaurationem cui aquila boum iugo ſuperimpoſita imperium Romanum demonſtrat. Eadem aquila occurrit in altero coronans figu-
3. ram ſacrificantem, quam coloniæ Genium eſſe veriſimile eſt. Vexillum quod in tertio expreſſum eſt, legionem denotat coloniam aduer-
4. ſus Parthorum impetum firmantem. Quartus templum demonſtrat cuius ianuam occupat noctua, indicando Mineruæ cultui. figura virilis palmam tenens Tigrim repræſentat qui vrbem alluit. Quintus figuras duas exhibet ſacrificantes, quas Palladem & Genium Reſainæ poſſumus arbitrari. Ara concordiam, trophæum victorias denotat, quod limitibus vtriusque imperii conuenit Romani & Perſici. Cur Centaurus ad Perſas referatur ſane neſcio.

Easdem figuras ſacrificantes,exhibet hic nummus,ſed hic prioribus longe eſt illuſtrior : Facies enim habet coniunctas Traiani Decii & eius filii de quo ſuo loco dicetur.

Nullus occurrit in hac tabella nummus quorum typos in ſuperioribus non vulgauerimus , quare ab vberiori interpretatione abſtinebimus.

Salluſtia Barbia Orbiana vxor fuit Traiani Decii & mater Q. Herennii Etruſci. De ea altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium : Inſcriptionem commemorat Gruterus eius nomina celebrans.

Gnaeæ Seiæ Herenniæ
Sallvstiæ Barbiæ Orbianæ
Avg. Conivgi Domini Nostri Avg. &c.

Concordia ſedens in auerſo nummo nihil peculiare indicat, præter domeſticam tranquillitatem,cuius monumenta vxores Imperatorum poſteris ſignificare conabantur.

Decii filius fuit QVINTVS HERENNIVS ETRVSCVS MESSIVS DECIVS & Barbiæ Orbianæ. A patre primùm Cæsar dictus est deinde Augustus, cùm ad expeditionem Gothicam properaret : nummos habeo vtramque dignitatem seorsim indicantes. Obiit in primo conflictu fortiter pugnando contra Gothos, anno imperii secundo. Deciorum mortem plerique illustrem ferunt, namque filium audaciùs congredientem cecidisse in acie, patrem autem cùm perculsi milites ad solandum Imperatorem multa præfarentur, strenue dixisse, *Detrimentum vnius militis parum videri sibi* : ita refecto bello cùm impigrè decertaret, interiisse pari modo. Victor.

Imperatorum Augustorum filios frequenter dictos esse PRINCIPES IVVENTVTIS declarant plures nummi, vnum adhuc exemplum tradit primus tabellæ nummus.

Nummus alter Mercurium exponit caduceo conspicuum & crumena : De caduceo trita res est. Crumenam ideo Mercurius tenet quòd ipse aurum seu auri commercium & vsum primus inuenerit, quare ab Ægyptiis *Aureus Deus* dictus est. *Mercurium Deum lucri dicunt, vnde & cum sacculo pingitur* : Τȣ̃ κέρδȣς ἄιλιον λέγȣσι ϗ τὸ ἐμπόριον τὸν Ερμῆν : ὅθεν ϗ τὸ ἄγαλμα αὐτȣ̃ ἱστῶσι βαστάσον μάρσιπον. Codinus in Cōstātinop.

De Prouinciæ Mœſiæ ſuperioris COLONIA VIMINACIO ſupra dictum eſt, pag. 369. At quo tempore Etruſco oblatus eſt nummus? certè nummos vidi in quibus ſeorſim ab eadem colonia Viminacio aut Cæſar aut Auguſtus nominatur: ergo poſtremis temporibus.

Vnus eſt ex his nummis qui explicationem mereatur, cœteris typis ſupra declaratis. Cl. Triſtanus poſt Ptolemæum, Salem vrbem collocat in mediterranea parte Hyrcaniæ. Decius iunior ſacrificare videtur, manu quidpiam ex patera in aram fundens. Arbor quæ hic eſt appoſita, vel ſiluas iſtius regionis indicat, vel ad Deum referenda eſt, cui ſacrificabatur: quem Apollinem poſſumus ſuſpicari ob vicinam laurum. Cœtera ſunt obſcura, præcipuè de DORILAO in nummo ſcripto.

CAIVS VAL. HOSTILIANVS MESS. QVINTVS Traiani Decii certè filius fuit, ſed an à natura, an naturæ vices ſupplente adoptione, incertum eſt & obſcurum, propter diſſentientes hac de re Autores, Victorem præcipuè, Zoſimum, Iornandem, Caſſiodorum, Zonaram & alios. Dicunt illum Barbiam Orbianam Decii filiam in vxorem duxiſſe, eumque generum factum adoptatum fuiſſe. Nummum habemus ad hanc rem plurimum facientem, in quo tum Etruſcus tum ipſe Hoſtilianus faciebus iugatis primam partem occupant, ambobus in eo dictis Cæſaribus, eum infra ſcalpi curabimus. Leguntur apud Gruterum inſcriptiones Valentiæ Pag. 274. in Hiſpania repertæ, quæ eorum dignitatem denotant.

Q. HERENNIO ETRVSCO	C. VALENTI HOSTILIANO
MESSIO DECIO	MESSIO QVINTO
NOBILISSIMO CÆS.	NOBILISSIMO CÆS.
PRINCIPI IVVENTVTIS	PRINCIPI IVVENTVT.
VALENTINI VETER. ET VETERES.	VALENTINI VETERANI ET VETERES.

Poſtquam Patres, hoc eſt Senatus, Traianorum exitium compererunt, GALLO & HOSTILIANO auguſta imperia decernunt: at hic paulò poſt peſtilentiâ atrocius ſæuiente, Romæ interiit. Rari ſunt eius nummi ex quolibet metallo.

Hoſtiliano ſuum obſeruantiæ teſtimonium obtulit Colonia Vimi-nacium : de ea dictum eſt pag.369. Obſeruandum hunc typum ſimilem occurrere in Traiani Decii & Etruſci nummis iiſdem temporibus expreſſum ; Hoſtilianus enim in eo tantùm Caesar indigitatur , quare trium illorum Principum non modo concordia ſed & affinitas ſuſpicitur,& quodammodo probatur. Quid ſignificet An.xii. in nummo ſignatum non ſatis video , id enim ad annum duodecimum referri nequit : nec etiam ad Annonam, vt quibuſdam placet.

Hic nummus affinitatem Etruſci & Hoſtiliani arguit vt ſupra dictum eſt. Col. Æl.K. deſignat vt arbitror Coloniam AEliam Capitolinam , quæ Hieroſolyma eſt. De ea dictum eſt pag.196. Cœtera non ſatis liquent ob nummi detrimentum.

C. Vib. Trebonianvs Gallvs patritia familia ortus, Dux limitis Mœsiæ à Decio factus, post eius mortem à legione quæ à Scytharum prælio residua erat, Imperator est electus & à Senatu Augustus nominatus est. Dicitur proditione imperium arripuisse, & fœdere cum Scythis victoribus facto eis ducentarum drachmarum aurearum tributum persoluisse : quo tamen insolentiores facti in Thraciam, Macedoniam, Græciam & Asiam impetum fecerunt, sed repressi ab Aemiliano Mœsiæ limitis Duce, non sine magna cæde in solitudines suas redire coacti sunt. Is re feliciter gesta, imperator ab exercitu appellatur, contra quem Gallus Volusiano suo filio in consortium imperii adscito & secum ducto profectus est. Vterque cæsus est à propriis militibus Aemiliano fauentibus, apud Interamnam. Vixit an. XLVII. regnauit II.

1. Provincia Dacia & Colonia Viminacium omnibus Imperato-
2. ribus à Gordiano, suos nummos dicauere, eos quos in honorem Galli cuderunt hic habes: De iis supra dictum est. Annos infra positos non intelligo, cum Gallus biennio tantum regnauerit, & in nummo tredecim notati sint.

Tertius nummus COLONIAM DAMASCVM METROPOLIM SYRIÆ 3. demonſtrat: ſed quid ſignificet illud animal cum iacente puerulo & fortaſſis lactante, non ſatis video, felicior adipiſcetur.

Quartus ab eadem Colonia Damaſco cuſus eſt. Vexillum ſtat 4. cum binis aquilis, quod ſecuritatem imperii Romani demonſtrat, valentibus Imperatoribus, valente exercitu. Obſeruandum tunc temporis Damaſcum Voluſiano nummum ſuum dicaſſe eodem prorſus typo: illum habemus & ſuo loco vulgabimus.

Quintus à vicina TYRO percuſſus eſt: illam non modo chara- 5. cteres ſignati indicant, verum & conchile purpuræ, quod in Tyrienſibus nummis perpetuò occurrit. Bos coloniæ ſimbolum eſſe nemo non nouit, vt vexillum legionis alicuius indicium. Characteres In theſauro. appoſiti III. tertiam indicant, quæ in honorem Gallorum Gallica dicitur; quid enim aliud GAL. ſignificaret. Deinde tertiam Gallicam legionem ex inſcriptione antiqua commemorat Goltzius.

NUMMUS hic vtriuſque Imperatoris effigies præ ſe fert, patris Treboniani Galli & Voluſiani filii. Ab Antiochenſibus cuſum eſſe inſcriptio docet, de quibus ſupra dictum eſt. Orontes fluuius qui Antiochiam alluit, Cybeles pedibus ſubiectus videtur.

ASPENDIUM vrbs eſt Pamphyliæ ad Eurimedontem fluuium, non procul à mari Pamphylio dicto. Cur luctantes in ſuo nummo Treb. Gallo dicato ſignauerit, mihi obſcurum eſt.

Nicæenſium & Byzantinorum communitatem hic habes, ſed quales fuêre iſti Nicæenſes? coniectura eſt de Bithynis, ob viciniam. Piſces hos pelamides eſſe veriſimile eſt, de quibus dictum eſt in Plotinæ nummo, pag. 183.

Aquila nihil ſignificat præter imperium Romanum & eius potentiam: eum typum qui frequenter occurrit in nummis frequenter etiam prætermitto.

CAIVS VIBIVS VOLVSIANVS Treboniani Galli filius vulgò perhibetur; A patre Augustus secum vnâ dictus est: & contra Æmilianum ductus. Ambo ciuile bellum molientes, vt inquit P. Diaconus, ab exercitu suo cæduntur. Isti nihil omnino clarum gesserunt; solâ pestilentiâ & morbis atque ægritudinibus noti, quòd nulla fere prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illâ generali pestilentiâ correpta atque vastata sit. Ambo in Christianos sæuiere.

Nummos Latinos Volusiani lubens omittam, quòd eorum typi in aliis Imperatoribus sæpe occurrant. Colonias duas hic apponi curaui quemadmodum iam scalptæ sunt inter eius parentis Treb. Galli nummos, nimirum COLONIA VIMINACIUM & COLONIA DAMASCUS METROPOLIS, de quibus dictum est pag 369. Obseruandum hunc postremum nummum ita circum caput inscriptum esse, IMP. GALLO VOLOSSIANO AVG. Hic lubet aliquid scribere de tot nummis qui similes occurrunt in diuersis Imperatoribus eodem tempore regnantibus: Verisimile est prouincias vtrosque sic suos Dominos & suos Augustos

Augustos appellasse, eosdem honores illis congerendo. Plurima edidimus exempla paris venerationis indices, Aurelio & Vero, Balbino & Pupieno, Caracallæ & Getæ, quod nunc etiam confirmatur ex Treboniani Galli & Volusiani nummis. Quod si istius generis omnes nummos producere non possim, nemo me opinor ideo accusabit, cùm eorum iacturam sola temporum iniuria efficere potuerit; Deinde quis eos tandem publicos esse futuros negare audebit? Sane plures reperi quorum nulli libri nulli Autores mentionem fecêre. quare neminem fore arbitror qui meam in hisce rebus quantulamcumque felicitatem, meamque erga Rempublicam litterariam obseruantiam damnare possit, quique laudem aliquam deneget: maiorem iis referam qui plures vulgabunt.

Nicæensium nummus Volusianum celebrans idem probat argu- 1.
mentum. Ipsi enim supra vulgato nummo quamuis dissimilis typi Treb. Gallum iisdem temporibus sunt venerati. De iis supra dictum est.

Colophonii duos egregios sequentes nummos percusserunt: 2.
De iis vt de Apolline qui pro typo est, dictum est in Gordiani nummis pag. 376. Quinam fuerint Claudius ille Callistvs & Avrelius Atheniensis, non facile est dicere. Spectanda venit illa scribendi formula quæ non frequenter occurrit in nummis antiquis, nempe o & y coniunctos esse ita vt ex vtroque charactere euadat diphthongus ϒ vno tantum signata. 3.

Phaneæ Palæstinæ vrbis plures nummos supra declarauimus. de ea diximus pag. 242. At typum huic similem vulgauimus inter Macrini nummos pag. 323.



HERENNIA ETRVSCILLA filia fuit Traiani Decii, vxor Volusiani: de eius moribus silent Autores. Eius PVDICITIAM & Fœcunditatem celebrant nummi antiqui: at inter illos eminet quem hic scalpi curauimus. Sedet Augusta sub habitu Deæ Pudicitiæ inter duas Deas stantes, quibus ex caduceo & serpente Pacem & Salutem significari arbitror. Eumdem typum habeo in nummo cuius moles, pondus & integritas pretium adaugent.

COLONIA VIMINACIUM nulli fere hisce temporibus defuit: non mirum si filiæ & vxori Imperatorum suos nummos dicauerit, ei præcipuè quæ Traianum Decium patrem habuerat quem genuisse & educasse Dacia gloriabatur. In ea autem Viminacium, vt supra dictum est.

Tres nummos Græcos in honorem Herenniæ Etruſcillæ cuſos ex- 1.
hibet hæc tabella. Primus ad Reſænenſes pertinet Tigrim accolentes, de quibus dictum eſt pag. 391.

Alter Dianam celebrat, ſed nomen populi qui nummum per- 2.
cuſſit ex detrito nummo non licet aſſerere.

Aquila quæ eſt in tertio, ſeu fulgure ſeu coronâ nonniſi ſum- 3.
mam potentiam demonſtrat. Duo adhuc occurrunt in hoc nummo notatu digna, primum eſt quod duplici dialecto inſignitus ſit, S C. Romanè Senatus conſultum indicat, cætera Græca ſunt: alterum quòd Tribunicia poteſtas in nummo Auguſtæ ſignata ſit; id certè rarum eſt cum honos iſte non niſi viris conceſſus fuerit.

C. Ivlivs Æmilianvs in Mauritania ortus cœpit à pueris ſtipendia mereri: Dux limiti Sarmatico in Mœſia à Decio præpoſitus & à Treb. Gallo non ſubmotus. Scythas non modo fugauit ſed & magna ex parte profligauit. Poſt victoriam præmiis perſolutis Imperator ab exercitu appellatus eſt. Ad hos motus opprimendos Gallus cum filio Voluſiano profectus eſt, ſed vterque cæſus eſt. Aemilianus Senatui ſcribens docet ſe Imperatorem lectum, promittit liberaturum Thracias & Meſopotamiam atque Armeniam recuperaturum: ſed interea Alpini milites Valerianum eligunt Imperatorem. Hoc nuncio accepto, Aemilianum milites, ne ciuili bello ſe conficerent, occidunt ad Spoletum, Valeriano cenſorio ſe tradentes. Imperauit menſibus III. Vixit annos XLVI.

D. N. C. AEmiliano
Fortissimo Principi
Hercvli Conservatori
L. Virivs Pavllinvs V.C.
Comes Domesticorvm.
Præfat. Vrb. D.N.M.
Q. Eivs.

Ad illum attinet hæc inſcriptio quæ nummum eius argenteum explicat, in quo Herc. Conservatori.

Hos nummos non ita commendant typi, ſed raritas. Aemilianus enim, ex breuitate imperii id coniicitur, rarus eſt in nummis antiquis, quem ideo frequentiſſimè ſuppoſititium habent in cimeliarchiis. Hi ſunt autem tum antiquitate tum integritate conſpicui, de quorum auerſis partibus nihil eſt quod dicendum habeam ſupra id quod iam dictum eſt, aut cuiuſque coniecturam.

De Provincia Dacia & de Colonia Viminacio nihil ſuppetit 1. quòd prius non dictum fuerit. Vnum dicam, Coloniarum 2. nummos penes Romanos Imperatores longè rarius habendos eſſe ſi eorumdem latini & ſoliti nummi rari ſunt: id in Aemiliano occurrit.

Tertius longè rarior qui characteribus rudioribus ſcriptus & 3. ſcalptus Damaſcum indicat, cum deſignatione ludorum ibi celebrari ſolitorum in honorem Apollinis: vrna è qua palmæ prodeunt nihil aliud deſignat: Senatus-Conſulti notam appoſitam eſſe notabile eſt, cùm ea rariſſimè ſcalpta ſit in Coloniarum nummis. Diſſimulare non poſſum hunc nummum ad Aemilianum fortaſſis non pertinere, characteres enim circum caput poſiti, quamuis ſatis integri, quodammodo confuſi videntur. Deinde caput ornatum eſt coronâ radiatâ, quæ in cœteris eius nummis æneis non occurrit. At in re incerta, conieci: feliciùs alter rem indicet: ſed certè nummus eſt illuſtris. Narrat
In Gallien. Treb. Pollio temporibus Gallieni AEMILIANVM *apud Ægyptum ſumpſiſſe imperium occupatis horreis multa oppida malo famis preſſiſſe ſed tandem victum, ad Gallienum miſſum eſſe.* In eius honorem fortaſſis Damaſcus nummum cudit; locorum enim vicinia aliquod beneficium illiuſque gratam teſtificationem potuit efficere.

IMP. LCINIVS VALERIANVS ſtolidus & iners, à Victore dictus eſt, neque ad vſum aliquem publicum officio, ſeu conſilio, ſeu geſtis commodus. At cœteri ſcriptores eum nobili progenie ortum aſſerunt, vita & moribus laudatis doctrinâ clarum, exemplum antiquitatis, ad omnes dignitatum gradus peruenisſe & per LXX. annos vitæ probitatem in eo fuiſſe conſpicuam. Cenſoriam poteſtatem ab vniuerſo Senatu delatam per Tr. Decium accepit. Cùm Imperator factus eſſet maximam de eo ſpem Fortuna fefellit: nam in Perſidem profectus, in poteſtatem hoſtium deuenit, fraude captus à Sapore Rege, ignobili miſeráque ac perpetuâ ſeruitute apud ipſum conſenuit: nam quoad vixit Rex Sapor pedem ceruicibus eius imponens equum aſcendere ſolitus pro ſcabello eo vſus eſt. Tandem quod Odenatus pro Imperatoris Romani libertate feliciter pugnaret, Sapor Valerianum crudeliſſima morte, à ceruicibus cute ad imos pedes detracta, necauit. Anno æt. LXXVI.

Plures coloniæ nummos Valeriano dicauerunt, vel mores ſuos ſeruantes, vel beneficiorum à Valeriano acceptorum gratias agentes, vel ei vota offerentes. VIMINACIVM cum ſolito typo in primo cernitur, quemadmodum in omnibus ferè Imperatoribus à Gordiano. De eo dictum eſt pag. 369. 1.

COLONIA IVLIA AVGVSTA FELIX BERYTUS in ſecundo ſignificatur, de qua abundè dictum eſt pag. 39. Veriſimile eſt percuſſum fuiſſe nummum cùm Valerianus ad Perſas tenderet. Typus egregius eſt & & nummus integerrimus. Inter nummos Caracallæ vnum eiuſdem Beryti coloniæ vulgauimus pag. 299. in quo ſimilis fere typus ſed in medio templo exhibetur. 2.

Sequentes duo ad Tyrum pertinent, de qua multoties ſupra dictum eſt præcipuè pag. 166. 3.

Quarti, typum ad hiſtoriam Stratonis reuocat Cl. Triſtanus quam ex Iuſtino deſumpſit, *Cum ille velut occiſos alienaſſet, ſeruisque de ſtatu Reipublicæ deliberantibus placuiſſet regem ex ſuo corpore creari, eumque potiſſimum quaſi acceptiſſimum Diis qui Solem Orientem primus vidiſſet, rem ad Stratonem, hoc enim ei nomen erat, dominum occultè latentem detulit. Ab eo formatus cum medio noctis omnes in vnum campum proceſſiſſent, cæteris in orientem ſpectantibus, ſolus occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in occidente Solis ortum quærere: vbi vero dies aduentare cæpit, editiſſimisque culminibus vrbis oriens ſplendere exſpectantibus aliis vt ipſi Solem adſpicerent, hic primus omnium fulgorem Solis in ſummo faſtigio ciuitatis oſtendit. Non ſeruilis ingenii ratio viſa, requirentibuſque autorem, de domino confitetur. Tunc intellectum eſt quantum ingenua ſeruilibus ingenia præſtarent, malitiâque ſeruos non ſapientiâ vincere. Igitur venia ſeni filioque data eſt, & velut numine quodam reſeruatos arbitrantes, regem Stratonem creauerunt &c.* Caput enim radiis ornatum Solem eſſe Cl. Triſtanus arbitratur, qui cum oritur ſic in demiſſa orbis parte vt in imo nummo cernitur: ædificium ſeu portam Tyrum repræſentare cui inſidens Strato Genium vrbis muliebri figura perſonatum alloquitur, ſeque primum Solem orientem vidiſſe prædicat, quare conſentiente Tyriorum plebe, Rex illis creatus eſt. Ruſticus terram fodiens & copiæ cornu fertilitatem indicant. Si non placeat ænigmatis ſolutio, felicius ſoluat quiſpiam. Conchile in tertio expreſſum ad purpuram, vt ſæpe diximus, refertur. Cœtera in rariſſimo nummo expreſſa iam vulgauimus inter Alexandri Seueri numiſmata, pag. 349. 4.

Lib. 18.

1. COLONIA Augusta Troas hos duos nummos percussit. Primus quidem indicat Romæ originem eo typo quem etiam sibi sumpsit Roma, fratribus Romulo & Remo lupam lactantibus; quem vulgauimus pagina huius Operis secunda.

2. Typus sequentis admodum est insolitus. Victoria orbi innixa ambabus manibus tenere & firmare videtur aliquid capiti impositum clypeo simile. Certe res est egregia sed quam interpretari non valeo.

7. HOS omnes typos ad Ephesios referri ex Diana & inscriptione certum est. De iis frequenter supra diximus. Septimus & octa-
8. uus nummus docent Dianam interdum Fortunam dictam fuisse, quemadmodum culta fuerat sub habitu Iunonis, Naturæ, Isidis, Veneris, & Cybeles. Græci pro placito Theologiam suam mutabant, suis Diis quaslibet dotes tribuentes, cum iis indigerent. Venerem fingebant pudicam cùm lasciuam neglexerant. Iouem adorabant iratum, si beneficiis non afficerentur. Solem & Neptunum colebant cùm vbertatem & diuitias eis debere simulabant. Valeriano militanti & contra Persas proficiscenti suam Dianam non venatricem obtulerunt sed Dianam Fortunam, quæ prosperum belli euentum portenderet. Conspicuus est postremus nummus in quo TYXH vtriusque habitum explicat. Gregor. Gyrald.

Typum profectò eximium exponit primus hic nummus, siue 1.
Charites siue Nimphæ censeantur. Eæ sunt quæ quidquid apprehendunt venustant, quare nudæ pinguntur. De iis adi
De Diis Gentium. doctissimum Gyraldum. A Iuliensibus colebantur & Valeriano offeruntur, fortassis cùm contra Persas pugnaturus proficisceretur. Iulis autem vrbs insulæ Ceæ in mari Aegæo. Ιȣλις πόλις ἐν Κέῳ τῇ νήσῳ, ἀπὸ Ιȣλίδος κρήνης, inquit Stephanus: *Iulis vrbs in Cea insula ab Iulia fonte dicta.* Iulienses posset quis reuocare ad Byzantinos qui Romani dicti sunt, & adhuc hodie *Romeli*, deducto nomine ab Iulo gentis
In Politiis. conditore. Controuersiam dirimit Heraclides illam Hydrussam nominans, ex qua Nymphas quæ eam tenebant à leone terrefactas in Carystum quæ in Euboea est traiecisse scribit. Quid nummo proximius, id enim situm loci demonstrat & typum quem occupant Nymphæ.

Nummus alter ab Amphipolitanis cusus est: Eos autem Syriacos 2.
fuisse arbitror ex nummi scalptura & ex Diana polymamma quam Serapis tenet præ manibus. Deum sedentem Serapidem interpretor ex modio caput ornante. Amphipolis erat etiam in Macedonia propè Strymonicum sinum.

Mariniana Valeriani fuit vxor altera, ex quo Valerianum genuit qui cum Gallieno imperauit: ea fortassis Marini filia fuit qui Philipporum temporibus degustauerat imperium. De eius moribus nihil apud antiquos Autores reperi. Pauo qui auersam nummi partem occupat Augustarum animas in cœlos deferre simulabatur, quemadmodum Aquila Imperatorum: quod frequenter in nummis antiquis occurrit.

IMP. LICINIVS GALLIENVS Valeriani filius fuit, primùm à Patre Cæſar, deinde Auguſtus eſt appellatus: præclara plurima geſſit; Erat enim in eo ſubitæ virtutis audacia, nam aliquando iniuriis grauiter mouebatur. Oratione, poemate, atque omnibus artibus clarus fuit, & ingeniosiſſimus. Patre capto cùm reliqui mœrerent, ipſe lætatus eſt; excuſſo ceruicibus iugo paterno, vino, mulierculis, popinis, lenonibus ſe totum dedit. Eius temporibus triginta propè tyranni in oriente & in occidente imperium adipiſci conati ſunt, quorum nummos pleroſque vulgabimus: Exoſus tandem fere omnibus à propriis Ducibus & militibus prope Medio lanum interemptus eſt, ætatis anno L. imperii decimo quinto. Ingens tum exorta militum ſeditio, Imperatorem ſibi vtilem, neceſſarium fortem, efficacem dicentium, raptum; pecuniarum largitione Claudius illos ſedauit. Natum abdomini & voluptatibus dies & noctes vino ac ſtupris dicunt perdidiſſe orbem terrarum. In eius arcu adhuc exſtat Romæ hæc inſcriptio à Grutero commemorata.

GALLIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI
CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST
ET SALONINÆ SANCTISSIMÆ AVG.
M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS
NVMINI MAIESTATIQVE EORVM.

Secundum hunc nummum ad Gordianos Africanos reuocauit Cl. Triſtanus, procul dubio ex detriti alicuius inſcriptione quam coniicere non valuit. Noſter etenim CONCORDIAM AVGVSTORVM declarat & aperte vultum Valeriani patris Gallieno oppoſitum exhibet. Auguſtum hunc ille declarauerat, antequam ad Perſas proficiſceretur: Liberalitatis quæ vel Deâ vel figuris demonſtratur, mentio frequens eſt apud antiquos; ſed eam eſſe arbitror quam ante diſceſſum Patris exercuit. *Congiariis populum mollíuit*, inquit Treb. Pollio, quod ad nummum noſtrum referri poteſt.

Zoſim. lib. 1. In Gallien.



Cum Cl. Triſtano hunc nummum ad Gallienum pertinere arbitror quamuis alii, Octauio Auguſto tribuerint: conuenit enim facies tametſi radiis Solis ornata & in Genii modum aliquid gerat in capite. Gallienum vt Solem videri voluiſſe exponit Treb. Pollio his verbis: *Statuam ſibi maiorem coloſſo fieri præcepit Solis habitu: ſed ea imperfecta periit: tam magna denique cœperat fieri vt duplex ad coloſſum videretur.* Cur eum etiam in nummis non eſſet imitatus. GENIVS Populi Romani hic cenſetur tum inſcriptione tum turri capiti eius impoſito quæ mole ſua maximam vrbem denotat, Romam ſcilicet. Auerſa facies coronam ſuppeditat ipſi fortaſſis delatam quaſi Genio Vrbis cum in illam magnificè intraret, quod videntur innuere hi characteres INT. VRB. Geniis frequenter comparatos fuiſſe Romanos Imperatores probant infiniti poſteriorum temporum nummi.

Illustris est in hoc numismate vtriusque faciei inscriptio. GALLIENVM Avgvstum compellat in accusatiuo casu Populus Romanus, quasi post erectam illi statuam. Illustrior Dea Hygiæa quæ auersum typum occupat OB RESTITVTIONEM SALVTIS. Scribunt Historici postremis illis temporibus pestem per totum terrarum orbem ita sæuiisse, vt nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuerit, quæ non illâ generali pestilentiâ correpta atque vastata sit. Oroſius. l. 7. c. 21. At Gallieno imperante *Tanta pestilentia exstiterat vt vel Romæ vel in Achaicis vrbibus, vno die quinque millia hominum pari morbo perirent*, inquit Treb. Pollio. Eam tamen minus paulò post desæuiisse docet Orosius his verbis: *Romæ autem à Senatu Gallienus Cæsar creatus mansit in regno annis quindecim, respirante paulisper ab illâ supra solitum iugi & graui pestilentiâ humano genere.* In Gallien. lib. 7. c. 24. Posset etiam hic nummus reuocari ad aliquam ægritudinis restitutionem à Gallieno perceptam sicuti in superioribus nummis vidimus præcipuè Antonini, Aurelii & Commodi. Eodem typo iam vsi erant Romani, quemadmodum videmus in gente ACILIA in cuius tertio nummo Manius ACILIVS signatus est, qui tunc temporis III. VIR erat VALETVDINARIVS: de quo vide Familias nostras Romanas pag. 4. Tanti autem æstimabant Veteres prosperam valetudinem, vt eam optimum naturæ donum sæpe vocauerint, absque quo cætera veluti languerent. Amicis sibi inuicem scribentibus pro votis solitum erat ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ, quod vnum solum à Pyrrho Deos precante, omissis victoriis & triumphis flagitabatur.

1. Colonias quæ in honorem Gallieni nummos percusserunt exponit hæc tabella. Primus nummus à Dacia vniuersa quemadmodum prioribus Imperatoribus Gallieno dicatus est de qua satis in superioribus.

Sequentes duo pertinent ad COLONIAM IVLIAM AVGVSTAM FELICEM HELIVIAM de qua dictum est pag. 281. & alibi. Spectandæ veniunt Gallieni & Saloninæ facies sese inuicem respicientes: hanc sub habitu Genii exprimit caput turritum, illum quasi Mercurium indigitat caduceus retro positus: qui typum prioris etiam occupat. Nummus alter Gallieni sed græcus Mercurium exhibet propter quem obseruandum nullum fortassis fuisse Romanum Principem qui pluribus Diis suam religionem nummis testatus sit. Habemus enim Gallieni nummos quorum partem posticam occupant Iupiter, Neptunus, Mars, Mercurius, Diana, Minerua, Sol, Vulcanus, Hercules, Victoria, Bacchus, Deus Augustus, at super cœteros Apollo quem diuersis agnominibus & diuerso habitu exprimunt nummi. Verisimile est istum Deum vt summum Medicum, Oratorem, Poëtam, Vatem, Musicum, Sagittarium coli, quorum exercitationibus lubens Imperator ille dabat operam. 2. 3.

Postremi duo ad COL. AVG. TROADem referuntur, de qua abunde dictum est: quarti typus iam scalptus est, pag. 235. 4. 5.

Hæc tabella ad Ephesios pertinet diuerso habitu suam Dianam fingentes. Supra cœteros spectabilis venit secundus nummus carpentum exprimens quemadmodum videmus in Iuliæ & Agrippinæ nummis: doleo quod superioris partis inscriptionem assequi non possim, nummus enim est elegantissimus & cœtera integerrimus.



Nicomedienses duos priores nummos cuderunt in quibus palmæ in vrnis nil nisi ludos significant, quorum erant præmia: fortassis ij in honorem Gallieni erant celebrati vt temporibus Valeriani alios celebrauerant, quorum memoriam refricat nummus ille in indice postremo positus cum tribus capitibus Valeriani patris, Gallieni & Valeriani iunioris. 1.

iunioris. Gallieni beneuolentiam in Nicomedienſes teſtatur Treb. Pollio ſcribens *Scythas Aſtacum quæ poſtea Nicomedia dicta eſt, incenſam grauiter vaſtauiſſe, in Gallieni contemptum.* Eumdem poſſideo typum in nummo ex ære maximo Caracallæ dicato quem ſi Deus faueat poſt aliquot menſes in Theſauro noſtro vulgabimus.

2. Tria templa quid indicent præter Nicomedienſium reuerentiam erga ſuos Imperatores patrem Valerianum & filios, Gallienum & Valerianum non ſatis video.

3. Idem fere occurrit in Smyrnæenſium nummis, quorum ſimile puto fuiſſe conſilium.

4. Tres figuræ quæ in quarto nummo ſtant Charitum inſtar, eædem occurrunt vt arbitror, ac in Valeriani nummo ſupra vulgato quem Iulienſes cuderunt.

Nummum iſtum vulgauit Cl. Triſtanus: eum illuſtrem reddunt Probini facies, cætera incogniti. Suſpicatur ille non Prætorem tantùm fuiſſe apud Pruſienſes qui nummum percuſſere, ſed & Bithyniæ Prætectum, & fortaſſis Gallieni affinem. Ruunt funditus iſtæ coniecturæ, ſi nummus liquid aliud deſignet: at id certum eſt; non enim ei inſcriptum eſt ΠΡΟΒΕΙΝΩ vt aſſerit Cl. Triſtanus, ſed ΠΡΟC ΥΠΙΩ, quod Pruſam deſignat ad Hypium fluuium ſitam, ab ea diuerſam quæ eſt ad Olympum ſita eſt. Cognomen deinde Gallieni obtruendum venit, quod non niſi in hoc & in alio nummo legitur, nempe IGNATVIS.

1. Ludos adhuc aliquot exhibet hæc tabella, quos ab vnis & palmis præcipuè nouimus. Duo primi cuſi ſunt Metropoli, ſed incertum an Ioniæ aut Phrygiæ. In primo indicantur ludi Auguſti Cæſarei ab Auguſto nomen deducentes, qui vt veriſimile eſt in honorem Gallieni iterum celebrati ſunt. Eorum mentionem faciunt marmora Arundelliana de quibus Seldenus doctiſſimè diſſeruit.

Alter Cybelem exhibet dextrâ tenentem Gallieni ſtatuam: 2. Idem eſt eius habitus in nummo Gallieni cui id inſcriptum eſt VIRTVS AVG.

Certum eſt à Samienſibus cuſum eſſe tertium nummum, at 3. qualis ſit illa Dea, incertum. Coniicit Cl. Triſtanus illam eſſe Iunonem Martialem cuius nomen habemus in Treb. Galli nummo: id autumat præcipuè quod in inſula Samo Iuno præ cœteris Diis colebatur: laudo quidem coniecturam, at aliam præfero, Dianam ſcilicet hîc eſſe ſcalptam: firmat hanc opinionem alter noſter nummus in quo circum Dianam Epheſiàm legitur idem populorum nomen ΣΑΜΙΩΝ: Diana deinde vbique, at præſertim in Græcia colebatur.

Sequentes duo ad Magneſiam referri ex inſcriptione patet. Prioris typus nauem exhibet cum ſuperbiſſima inſcriptione ΑΡΤΩ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. Quare arbitror eos deſignari Magnetes qui non iuxta montem Sypilum ſiti ſunt, ſed ad Mæandri oram in Aſia propria non longe à Metropoli & Epheſo: Illam etiam indicat poſtremus nummus in quo prodeunt palmæ ab vrna, ludorum præmia. Veriſimile eſt vicinas iſtas vrbes ludos celebraſſe, quorum memoriam tum Gallieno tum poſteris gratam fore ſunt arbitrati hoc fortaſſis conſilio illos in nummis ſuis ſignauerunt.

Nummos abſque vlla inſcriptione hic habes, qui tamen ferè omnes annos imperii deſignant. Plures potueram vulgare, at ii in indice poſtremo occurrent. Primus nummus cognomen habet iterum Gallieni, qui in eo ΙΓΝΑΤΙΟΣ nuncupatur. Cœtera religionem Imperatoris deſignant erga Vrbem æternam, Mineruam, Iouem habitu ſub aquila Orientem & Iouem Serapidem, omiſſis pluribus aliis alios Deos indicantibus.

CORNELIA SALONINA origine Græca, nomine ΧΡΥΣΟΓΟΝΗ, formâ egregiâ, moribus ſanctis, & erga eruditos propensâ. Male illam tum Occo tum alii Pipam aut Piparam nuncupant, Marcomanorum Regis filiam, cui per pactionem Gallienus pro conceſſâ vxore ſuperioris Pannoniæ partem conceſſit. Hæc concubina tantum fuit, Salonina vxor, vtraque Gallieno dilectiſſima. Dignitatis vxor nomen eſt, concubina voluptatis. Plurimæ ſuperſunt inſcriptiones illam celebrãtes. Auerſi nummi typum VENVS GENETRIX facit: ea pomum tenet, alludente coram puerulo: quod vt arbitror Treb. Pollionis dubium tollit, imo corrigit, cùm ipſe Gallieni filium ideo *Saloninum* cognominatum ſcribat *quòd apud Salonas natus eſſet:* cur id à matris nomine non ſumpſiſſet, & nomen Patris & matris in ſe non coniunxiſſet: vocabatur enim LICINIVS GALLIENVS SALONINVS. Ex nummo arguitur Saloninam filium habuiſſe Venerique Genetrici gratias egiſſe, quòd filium pepererit, ſicuti videtur in aliarum Auguſtarum nummis.

1. EIuſdem Saloninæ nummos duos exhibet hæc tabella, ſed cum appoſito cognomine, vel nomine græco. Eam enim à natalibus ΧΡΥΣΟΓΟΝΗΝ dictam illam fuiſſe demonſtrant. Primus Epheſios celebrat, eo protinus modo, quo illi Gallienum in ſuis nummis etiam celebrauerant; per Dianam nempe venatricem, ſagittam è phareira mittentem, cane iuxta pedes ad prædam currente.

2. Alterum vulgauit Cl. Triſtanus quem ad Sardianos reuocat vtrumque pretioſum facit & rariſſimum ΧΡΥΣΟΓΟΝΗΣ nomen. Id poſſum aſſerere, primum nempe nummum ex fabri ærarii auari manibus feliciter euaſiſſe, qui proximè fundendus in ignem immittebatur: de quo mihi etiam gratulor.

Theſſalonicam ludos etiam feciſſe in honorem Gallieni & Saloninæ 1.
ex vrna veriſimile eſt, in qua ΑΚΤΙΑ legitur hoc eſt propter Apollinem. De Theſſalonicenſibus dictum eſt pag. 290. Vnum reſtat eam quæ ΜΕΤΡΟΠΟΛΙΣ in nummo indicatur, dictam etiam fuiſſe totius Macedoniæ matrem.

Anthol. Græc. cap. 26.

Σοί μι, Θρηικίης σκυλιφόρε Θεσσαλονίκη
Μήτηρ ἡ πάσης πέμψε Μακεδωνίης.

Cabiros ibi cultos fuiſſe docent ſecundus & tertius nummus: ſed 2.
iam de iis vt & de Theſſalonicenſibus dictum eſt, pag. 290. 3.

Nicomedienſes quartum cuderê, eodem prorſus conſilio quo 4.
Gallieno nummos ſuos obtulerant. Iſis in eo velum extendit ſicuti in Amaſtrianorum nummis ſupra videre eſt, pag. 250.

Cyziceni quintum cum naui, indicandæ maritimæ potentiæ aut nauium copiæ. De iis dictum eſt pag. 238. 5.

Metropolitani in ſexto ſignati ſunt, quos Ionios ſuſpicor: Dea 6.
ſedens vrbis Genium ſignificat.

Epheſii nihil peculiare hic habent: Primi Aſiæ dicuntur ſeu 7.
primatum habentes, de quo ſupra dictum eſt.

Octauus à Smyrnæis cuſus eſt, Bacchum thyrſum & cantharum 8.
tenentem ſignauêre: ſed eum cur Saloninæ dicauerint, ignoro.

Poſtremi duo annos imperii deſignant vndecimum & duode- 9.
cimum, duarum Dearum Fortunæ & Spei imaginibus. 10.

P. Licin. Corn. Saloninvs Valerianvs filius fuit Gallieni & Saloninæ, Valeriani nepos. *Valerianus filium suum Gallienum Augustum fecit, Gallienique filium* Cornelivm Valerianvm *Cæsarem.* Victor An id congruat cum Victore hæc scribente? *His prosperè ac supra vota cedentibus, more hominum secundus solutior Gallienus rem Romanam quasi naufragio dedit, cum Salonino filio cui honorem Cæsaris contulerat.* Epit. 33. cap. 33. Is nobiliter natus, educatus regiè, à Patre Coloniam missus qui Duce Postumo Gothorum barbarorumque impetum coerceret: Postumus iis deuictis se Imperatorem nuncupari patitur, Coloniam obsidet, in qua Saloninus occisus est, non sua sed patris causa. Huius hæc exstat inscriptio Romæ à Grutero commemorata. Inscript. antiq. pag. 275.

P. Licinio Salonino Valeriano
Nob. Cæs. Prin. Ivven.
Valeriani Avg. Nepoti
Gallieni Et Saloninæ Avg. Filio
Mater Pientissima.

1. Eum fuisse Principem Ivventvtis docet tum ille nummus tum etiam inscriptio supra posita. Eadem etiam occurrit in alio nummo in quo captiuus iacet ad pedes stantis Principis: Id sane huius aliquam victoriam demonstrat.

2. Consecratio quæ in altero legitur, nummum ad Gallieni filium pertinere demonstrat: hic enim à Patre in Deorum numerum relatus est, cum Valerianus iunior Galliemi frater vna cum fratre necatus sit, nec à Claudio successore Deus sit factus. Aquilam Cæsarem ad cœlos euehere typus docet.



Conſecrationem eius iterum exponit hic nummus, quem rariſſimum iure merito Cl. Occo arbitratus eſt. Illum vtrique Valeriano adſcripſit, fratri Gallieni & eius filio: At ad hunc pertinere tum ipſa declarat conſecratio, tum nomina & prænomina, cùm frater Gallienus non fuerit dictus SALONINVS, qui tamen legitur in nummo. Aquilam autem caput iſtius Cæſaris gerentem iam ita ſcalptam vidimus in antiquis nummis: Marinum Deum ita pictum vulgauit Illuſtriſ. Seguinus. Qua mente ducti Pergenſes hunc percuſſerunt, non ſatis noui: videntur ii ludos in eius honorem celebraſſe, quorum nomen meo quidem iudicio menſæ inſcriptum erat, at malo quodam fato iſta periit epigraphe, quamuis cætera nummus ſit integerrimus. De Perga dictum eſt pag. 286.



P. LICINIVS VALERIANVS filius fuit Valeriani, Gallieni verò frater. matris nomen ignoratur, at aliam fuiſſe à Mariniana conſtat. Adoleſcens fuit formâ conſpicuus, verecundia laudabilis, eruditione pro ætate clarus, moribus iucundus, à fratris diſſolutione ſeiunctus, à patre abſente Cæſar, à fratre Auguſtus eſt appellatus. Cum fratre prope Mediolanum à militibus Claudio fauentibus *interemptus eſt, quem multi Auguſtum, multi Cæſarem, multi neutrum fuiſſe dicunt,* In Gallien. *quod veriſimile non eſt*, inquit Trebellius Pollio: *ſiquidem capto iam Valeriano ſcriptum inuenimus in faſtis* VALERIANO IMPERATORE CONSVLE. Eius ſepulchro iuſſu Claudii id ſcalptum eſt, VALERIANVS IMPERATOR.

Auerſus typus Deam Clazomenem repræſentat ſeu Genium vrbis, qui turribus capiti impoſitis dignoſcitur. Clazomene vrbs eſt Ioniæ prope Smyrnam, olim inſulam: Peninſulam fecit Alexander Magnus quemadmodum Tyrum. Dea indigitatur, ſic quemadmodum Roma frequenter Dea dicta eſt. Iunonem pronubam præ manibus tenere aſſerit Triſtanus non Victoriam, quod indicium eſt, inquit, Valerianum aliquam vxorem duxiſſe ex iſtis regionibus, quemadmodum frater Gallienus Saloninam Chryſogonem. Fortaſſis eſt Diana Epheſia, polymamma &c.

Pauſan. lib. 7. Strabo.

MARCVS CASSIVS LATIENVS POSTVMVS obſcuro genere natus eſt, arbitror, in Galliis. Vir in bello fortiſſimus, in pace conſtantiſſimus, in omni vita grauis, vſque adeo vt Saloninum filium ſuum eidem Gallienus in Gallia poſitum crederet, quaſi cuſtodi vitæ & morum, & actuum imperialium inſtitutori. Cùm Galli vehementiſſimè Gallienum odiſſent, puerum autem apud ſe imperare ferre non poſſent, eum qui commiſſum regebat imperium, Imperatorem appellarunt, miſſiſque militibus adoleſcentem interfecerunt. Erga hunc magnus amor Gallicæ gentis, quod ſubmotis Germanis, Romanum in priſtinam ſecuritatem reuocauit imperium. Eius elogium ſcripſit Valerianus Imp. in epiſtola quam ille ad Gallos miſit. Trans-Rhenani limitis ducem & Galliæ Præſidem Poſtumium fecimus, virum digniſſimum ſeueritate Gallorum, præſente quo non miles in caſtris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat, qui vnicuique proprium & ſuum ſeruet, virum quem ego præ cæteris ſtupeo, & qui locum principis mereatur iure, de quo ſpero quod mihi gratias agetis. &c. Tandem à militibus nouarum rerum cupidis interemptus eſt, æt. LX. imperii anno VII.

Primum hunc nummum cur Cl. Triſtanus filio Poſtumo tribuerit 1. ſane non video, cùm non minus patri quam filio conueniat ſenilis illa & barbata facies. Exercitvs Iscanicus fortaſſis hic repræſentatur vt Ræticvs, Dacicvs, Britannicvs, Ivdaicvs, Mavretanicvs in nummis Hadriani. Iscam dicunt in Magna Britannia poſitam in Monumethenſi comitatu, hodie dictam *Kaerleon-ar Vsk* ſeu *vrbs Legionis ad Iſcam* fluuium. De illa doctè diſſeruit idem Triſtanus. Veriſimile eſt iſtius exercitus operâ aliquam Poſtumo partam eſſe victoriam.

Cuius quidem victoriæ vel fortaſſis alterius, plures enim adeptus 2. eſt, illuſtria ſuperſunt monumenta in duobus ſequentibus nummis, 3. quorum alter egregiam habet inſcriptionem & typum perrarum, gaudet equis victor Poſtumus præeunte Comite Victoria.

Felicitas inſcripta arcui triumphali indicat ſe victoriis origi- 4. nem debere, nec vllam eſſe poſſe tranquillitatem niſi victis hoſtibus, præcipuè ſi potentes fuerint.

Poſtumus dicitur Pacator Orbis in quinto nummo, quod 5. plus erat in ſpe quam in re. Rempublicam omnimode turbatam aut potius orbem terrarum ciuilibus armis, & hoſtibus vndecunque in imperium ruentibus, facilè putabant Galli ſuum Imperatorem virtutibus ſuis, prudentia & fortitudine pacaturum.

Treb. Pollio. *Poſtumus talem ſe præbuit per annos ſeptem vt Gallias inſtaurauerit* 1. & hoc primum nummum explicat. Solus Poſtumus cum Hadriano dictus eſt Galliarum Reſtitutor, quod ei non minimam peperit gloriam. Gallia autem in genua Poſtumi procumbens coronam habet radiis ornatam, quòd in prouinciarum typis non occurrit, dignitas eius ſupra cœteras hoc ornamento indicatur.

Quam-

2. Quamuis de Deuſone non conſtet, eam tamen eſſe *in Franco-*
3. *rum regione* ſcribit D. Hieronymus, *Duiz* prope Coloniam arbitrantur. Ab eius incolis Poſtumus vt alter Hercules dictus eſt, ſed qua-
4. lem ipſi ſibi proprium fingebant. Eadem adulationis ſpecie vſi ſunt illi qui quartum nummum percuſſere, Poſtumum ſuum Herculem Macuſanum nominantes: ſed vbi illa Macuſa vel Macuſum? apud Geographos non reperitur: Ortelius ad Scaldis oſtium fingit, quibus ductus teſtimoniis neſcitur: Ad Moguntiam referri poſſe coniicit Cl. Triſtanus.

5. Poſtumi fortitudinem adhuc explicat quintus hic nummus illum exhibens quaſi alterum Herculem taurum domantem: an id ad toties fractos Germanos & barbaros debeat referri, veriſimile eſt.

Spectabilis eſt hic nummus qui Poſtumi vtriuſque faciem exhibet, Patrem quidem ſub Herculis Deuſonienſis imagine, de quo ſuperiori pagina dictum eſt. Filium à Patre Cæſarem dictum deinde Auguſtum ac cum illo interemptum ſcribunt hiſtorici: ſic apud Pollionem, cuius non meminit Cl. Triſtanus cum ſcripſit: Poſtumum filium ante necem patris ad plures tranſiiſſe, tacentibus hac de re omnibus veteribus Autoribus. *Fuit autem ita in declamationibus* Trebel. Pollio. *diſertus vt eius controuerſiæ Quintiliano dicantur inſertæ, quem declamatorem Romani generis acutiſſimum vel vnius capitis lectio, prima ſtatim fronte demonſtrat.* Quanti Valerianus Imperator illum magnifecerit hæc eius epiſtolæ verba teſtes ſint, *Huius filio Poſtumo nomine Tribunatum Vocontiorum dedi, adoleſcenti qui ſe dignum patris moribus reddet.*

M. Fvlvivs Macrianvs vir fuit fortis, conſtans, integer, probatus in Republica & diues. Eum S. P. Q. Romano commendauerat Valerianus antequam ad Saporem proficiſceretur, his verbis, Ego P.C. bellum Perſicum gerens, Macriano totam Rempublicam

credidi quod à parte militari, ille vobis fidelis, ille mihi deuotus, illum amat & timet miles, &c. Auditis quæ de Valeriano facta erant, Augustus est appellatus in Asia, Balistæ consiliis & exercitus vniuerso consensu. Rebus in Oriente quodammodo compositis, contra Gallienum inertem pro tempore Principem proficiscitur, cui obuiam processit Domitianus Aureoli Dux fortissimus, eumque in Illyrico quadraginta quinque militibus stipatum vincit & cum filio interimit, reliquo exercitu in Aureoli potestatem veniente. Imperauit biennio.

Auersus nummus Alexandriæ Genium repræsentat. De ea iam dictum est pag. 22. At illam *omnium ciuitatum verticem nominat* Amm. Marcell. quæ Macriano fauens hunc illi nummum dicauit quum primùm Imperator est renunciatus: indicatur id per L. A. que annum imperii primum significat.

Lib. 22.

Q. Fvlv. Macrianvs filius à Patre M.F. Macriano Imperator Cæsar Augustus appellatus est, & post biennium cum ipso interfectus in pugna cuius victor exstitit Domitius Aureoli Dux. A Valeriano Tribunus erat constitutus, multum armis potens. Iovi Conservatori dicatus est nummus cuius opem implorabat Cæsar: Alium nummum eiusdem Macriani possideo Apollinem celebrantem, Apollini Conservatori. At quia ille nummus est argenteus, huius non est propositi.

C. Fvlv. Qvietvs Macriani senioris filius Balistæ voluntate cum patre & fratre Imperator dictus êst; adolescens imperio dignus, ab Odenato qui iam certior factus Macrianum cum filio ab Aureolo victos & occisos, milites quoque in eius potestatem concessisse, quasi Gallieni vindicaret partes, est interfectus, prope Emesam. Iuuenes Imperatores frequenter Soli, seu Orienti suos nummos dicauerant, quem

INVICTVM nominabant. Iuuentus ſibi fauentem habere fortunam dicitur, ideoque fortaſſis per Solem repræſentatur, quod eius ortui ſimilis ab omnibus appetatur; tot inde aræ, tot inſcriptiones, tot nummi Solem celebrantes.

M. PIAVONNIVS VICTORINVS per Poſtumum in imperii partem venit, quo interfecto & Lolliano, in imperio ſolus remanſit in Gallia, vir fortiſſimus & præter libidinem optimus Imperator. Sed cum corrumpendis militum matrimoniis vacaret, à quodam actuario cuius vxorem conſtuprauerat, Agrippinæ cum filiolo interfectus eſt: virtute Traiano, clementia Antonino, grauitate Neruæ, gubernando ærario Veſpaſiano, cenſurâ vitæ Pertinaci, & ſecuritate militari Seuero comparatus. Sed omnia hæc libido & cupiditas muliebris voluptatis ſic perdidit vt nemo auderet virtutes eius litteris mandare, inquit Trebellius Pollio. Eius ſepulchro inſcriptum fuerat:

HIC
DVO VICTORINI TYRANNI
SITI SVNT.

Auerſi typi nihil docent quod prius declaratum non fuerit, ſi tres vltimos excipias: exhibent ii Victorinum in Deorum numerum relatum, ſed à quo; certè id Romæ præſtitum non fuit, penes quam non Auguſtus ſed Tyrannus habitus eſt. Veriſimile eſt in Gallia cuſos eſſe nummos cui præfuerat. Auget coniecturam huius Imperatoris nummorum copia quæ in noſtris regionibus occurrit, ſiue in cimeliarchiis ſiue in terræ viſceribus.

M. Avr. Marivs ex fabro ferrario Imperator, triduo tantum imperauit. Vir fuit ſtrenuus ac militaris. Miræ erat in manibus & digitis fortitudinis. Occiſus eſt à quodam milite operario eius in officina fabrili, qui gladio in eum ruens dixit; *hic eſt gladius quem ipſe feciſti.* Cum vno die factus eſſet Imperator, altero viſus eſt imperare, tertio interemptus. Fabuloſa, aut plurimùm obſcura ſunt, quæ de hoc Imperatore ſcripta ſunt: Eius nummi Victorias indicant, at eæ non vno die partæ ſunt. Sæcvli Felicitas à populis non celebrabatur poſt triduum etſi felix fuiſſet. Concordiam Militvm quis agnoſcit momento? neque illa potuiſſet monetis conſignari ſi Marius tantùm triduo regnaſſet. Arbitror cum Cl. Triſtano eum diutius imperium tenuiſſe, qui tum in Galliis pugnauerat & vicerat, tum etiam in magna Britannia, quæ nobis hodie Anglia dicitur.

L. Ælianvs iiſdem temporibus imperium arripuit Moguntiaci, poſt interfectum Lollianum: at paulo poſt ipſe occiſus eſt. Eius geſta ab hiſtoricis aut non commemorantur, aut valdè obſcurè, ita vt etiam cum Lolliano plerumque confundatur. Victoria quæ in auerſo typo cernitur ei fauiſſe videtur, at non diu duraſſe iſtam gratiam certum eſt.

M. Avr. Clavdivs è Dalmatis oriundus, vir integerrimæ vitæ, morum grauitate insignis: staturæ proceræ, oculis ardentibus, vultu lato, digitis adeo robustis vt sæpe equis & mulis ictu pugni dentes excusserit. Inuidit nulli, malos persecutus est, militaribus virtutibus maximè clarus Decii & Valeriani temporibus. Gallieni morientis sententiâ Imperator est designatus: imperium adeptus leges optimas condidit, & ita se gessit vt eius stirpem ad imperium Senatus Principesque eligerent. Sarmatas Gothos, Scythas, Quados vicit: quare Gothicus dictus est. Daciam recuperauit. Gothos & Sarmatas qui prædæ cupiditate in Romanum solum irruperant insigni clade contriuit, interfectis trecentis viginti millibus. Nauali quoque pugnâ eos oppressit ac submersit cum duobus millibus nauium. Tandem morbo consumptus eo ingraescente periit, Sirmii, anno ætatis XXXII. imperii tertio. Quidam cum interfectum scribunt. Illum & Senatus & populus ante imperium, in imperio & post sic dilexit, vt satis constet neque Traianum, neque Antoninos nec quemquam alium Principem sic amatum: nam in Capitolio auream statuam & clipeum aureum, expressa vultus eius imagine post mortem collocauit.

Primum tabellæ nummum in gloriam fortitudinis Claudii cuſum 1.
eſſe arbitror. Res eſt ſane egregia Herculem eo quoſolet eſſe habitu ſtantem, clauam dextrâ ſiniſtrâ vero exuuias leonis & pomum tenentem cernere, cum hac epigraphe IVVENTVS AVG.

In Claudio. Narrat Trebellius Pollio Claudium *digitis vſque adeo fortibus vt ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. Fecerat hoc etiam adoleſcens in militia, cum ludicro Martiali, in campo luctamen inter fortiſſimos quoſque monſtraret:* quibus intelligitur Imperatoris huius cum Hercule comparatio. Nummum Claudii vulgauit Cl. Triſtanus in quo Hercules ita ſtat circum quem legitur VIRTVTI AVGVSTI.

IVNO REGINA vix in nummis Auguſtorum cernitur: 2.
hîc prorſus ſimilis eſt eæ quam ſupra ſcalpi curauimus in Manliæ Scantillæ nummo, pag. 272. Salonina eamdem habet in nummis inſcriptionem & typum.

Tertius Claudii LIBERALITATEM celebrat, de qua tacent hiſto- 3.
rici: at tanti Principis indolem denegantibus libris nummus aperit.

PROVIDENTIA ſæpe in nummis occurrit, iſtis temporibus 4.
præſertim quibus Imperatores Deorum omnium attributa ſibi vindicabant vt patet ex eorum numiſmatibus.

Quintus nummus CONSECRATIONEM indicat Claudii, quam 5.
apud antiquos commemoratam non legi. Scribit tamen Pollio *Adulator igitur Senatus, adulator populus Romanus, adulatrices exteræ gentes, adulatrices prouinciæ. Siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis ciuitas, ſtatuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus, bonum Principem aris ac templis honorauerunt.*

Gruter. inſcript. pag. 276.

SENATVS ET POPVLVS SAGVNTINORVM
CLAVDIO INVICTO PIO FELICI
IMP. CÆS.
PONT. MAX. TR. POT. P.P PROCOS.

Nummos Græcos in honorem Claudii cuſos exponit hæc tabella, quibus demonſtratur illum non ſecundo imperii anno obiiſſe vt dicunt, at tantùm tertio: poſtremus ſiquidem nummus annum tertium indicat. Aquila imperii ſymbolum, Abundantia ſtans & Iuſtitia ſedens nihil peculiare denotant.

M. Avr. Cl. Qvintillvs frater Claudii, vir ſanctus, mortuo fratre delatum ſibi imperium omnium iudicio ſuſcepit, à Senatu Cæſar Auguſtuſque eſt appellatus. Aureliano Imperatore creato, impar illius conatibus, venas ſibi ſoluit, & voluntariè deceſſit, ante completum menſis imperium. Apollo Conſeruator frequenter occurrit in nummis Auguſtorum, ſiue vatis habitu, ſiue Solis Orientis.

Cl. Domitivs Domitianvs ab vno Zoſimo nominatur Auguſtus, cœteris illum tantum Ducem deſignantibus: at nummus Zoſimo fauet, quem etiam illuſtrat tribus characteribus in ima parte nummi appoſitis: Alexandriam enim denotant, in qua veriſimile eſt percuſſum eſſe nummum & occupatum imperium. Γ appoſitum tertium eius imperii annum indicat: Ab Aureliano tandem oppreſſum fuiſſe veriſimile eſt.

Auerſus nummus Genio Popvli Romani inſignitus eſt, qualis illis temporibus frequenter in nummis occurrit. Prudentius plurima de Geniis conſcripſit ſacra, erudita, curioſa. lib. 2. in Symmach.

C. Pesvvivs Tetricvs Galliæ Præſes, Victoriâ ſuadente imperium ſuſcipit & Auguſtus appellatur. Cum multa præclara egiſſet & militum inſolentiam diutius ferre non poſſet, maluit ſe Aureliano committere, quam inſidioſis imperare. Aurelianus eum cum Zenobia in triumpho duxit, poſtea vero non ſolum viuere ſed etiam in ſumma dignitate, commiſsâ illi totâ Italiâ manere paſſus eſt, ilium ſæpe collegam, nonnunquam commilitonem, aliquando Imperatorem appellans. Mortuo nummi cuſi ſunt conſecrationem illius celebrantes, quod mirum in eo qui priuatus mortuus eſt: duos filios reliquit quorum nomina in nummis leguntur. Spes Pvblica, Fides Militvm, Salvs Avgg. Lætitia Avgg. & Consecratio nihil habent quod in pleriſque Imperatoribus non occurrat.



C. Piv. Tetricvs Auguſtus cum Patre dictus eſt; an ille fuerit vnicus filius, an fratrem habuerit minorem natu, variant & libri & nummi. Hunc cum Patre ab Aureliano in triumphum ductum, omnibus deinde honoribus Senatoriis functum, illibatum patrimonium ad poſteros ſuos tranſmiſiſſe hiſtorici docent: Tres eius monetas hic apponi curaui, omnes illum Cæſarem indigitantes. Typi auerſi iuueni Principi conueniunt.

Omnis iam consumptus est pudor, inquit Treb. Pollio, siquidem fatigatâ Republicâ eo vsque peruentum est, vt Gallieno nequissimè agente, optimè etiam mulieres imperarent, & quidem peregrina nomine ZENOBIA quæ se de Cleopatrarum Ptolemæorumque gente iactaret. Post Odenatum maritum imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, donis ornata, diademate etiam accepto, nomine filiorum Herennian & Timolai diutius quam fœmineus sexus patiebatur, imperauit. Siquidem Gallieno adhuc regente Rempublicam, regale mulier superba munus obtinuit & Claudio bellis Gothicis occupato, vix denique ab Aureliano victa & triumphata concessit in iura Romana. Castitas eius fuit vt ne virum suum quidem sciret, nisi tentatis conceptionibus. Vixit regali pompa, more magis Persico; adorata est more Regum Persarum. Conuiuata est Imperatorum more Romanorum. Ad conciones galeata processit cum limbo purpureo gemmis dependentibus per vltimam fimbriam, brachio sæpe nudo. Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris, spiritus diuini, venustatis incredibilis: tantus candor in dentibus, vt margaritas eam plerique putarent habere, non dentes. vox clara & virilis; seueritas vbi nec necessitas postulabat tyrannorum: bonorum Principum clementia vbi pietas requirebat; larga prudenter, conseruatrix thesaurorum vltra femineum modum. Vsa vehiculo carpentario, raro pilento, equo sæpius. Fertur autem vel tria vel quatuor milliaria frequenter cum peditibus ambulasse. Bibit sæpe cum Ducibus, cùm esset aliàs sobria: bibit etiam cum Persis atque Armeniis, vt eos vinceret. Vsa est vasis aureis gemmatis ad conuiuia, quibus & Cleopatra vsa est. In ministerio Eunuchos grauioris ætatis habuit, puellas nimis raras. Filios latinè loqui iusserat adeo vt græcè vel difficilè vel raro loquerentur. Ipsa latini sermonis non vsquequaque ignara, sed vt loqueretur pudore cohibita; loquebatur & ægyptiacè ad perfectum modum. Historiæ Alexandrinæ atque Orientalis ita perita, vt eam epitomasse dicatur: latinam autem græcè legerat. Palmiræ habitabat quam ædificauerat Salomon. Cùm illam Aurelianus cepisset atque in conspectum suum ductam sic appellasset, *Quid, o Zenobia, ausa es insultare Romanis Imperatoribus?* illa dixisse fertur, *Imperatorem te esse agnosco qui vincis, Gallienum &*

In XXX. Tyrannis.

Aureolum & cæteros, Principes non putaui. Ducta est igitur per triumphum ea specie vt nihil pompabilius populo Romano videretur. Iam primum ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissime restitisse, cum diceret se gemmarum onera ferre non posse. Vincti erant præterea pedes auro, manus etiam catenis aureis: nec collo aureum vinculum deerat, quod scurra Persicus præferebat. Huic ab Aureliano viuere concessum est. Fertur vixisse cum liberis, matronæ iam more Romanæ, data sibi possessione in Tiburti, quæ hodieque *Zenobia* dicitur, non longè ab Hadriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen est *Concha*.

Eius nummos rarissimos esse norunt omnes Antiquarii: duos hic apposui, tum propter eximiam raritatem, tum propter nomen Augustæ quod Gallienus Zenobiæ impertierat: primum è meo musæo ad Regium cimeliarchium euectum esse cum duobus aliis millibus eximiæ raritatis & integritatis, non parum mihi gratulor.

VABALATHVS cognomine ERMIAS Athenis filius hic legitur; fuit is Odenathi filius ex priori vxore. Diademate cinctus est quemadmodum Abgarum vidimus & Rhœmetalcem, Reges etiam in Romanorum monetis depictos, quod ipsis fauissent & vltro fuissent amici. De Vabalatho plura exstant apud Tristanum quæ mirificè illustrant antiquos qui de eo scripserunt. Aurelianum Imperatorem ab altera parte cernis pro quo Vabalathus pugnauerat, credibile est contra Zenobiam patris alteram vxorem & viduam.

DOMITIVS AVRELIANVS Sirmii Pannoniæ obſcura familiâ ortus, matre tamen Sacerdote templi Solis. A prima ætate ingenio vivaciſſimo, viribus clarus, nullum vnquam diem quin in eo ſe exerceret intermiſit. Adulta ætate ſaturâ procerus, neruis validiſſimis, ſeueritatis immenſæ, diſciplinæ ſingularis, gladii exercendi cupidus. Iuuenis erumpentes in Illyrico Sarmatas cum trecentis prædidiariis ſolus attriuit, XLVIII. interfecit. Tandem omnium legionum conſenſu Imperator factus contra Sueuos & Sarmatas pugnat & ſplendidiſſimam victoriam reportat: Marcomannos qui Romanis tantum incuſſerant terrorem vt de Vibe deſperarent, ſuperat. Quibus peractis in Orientem proficiſcitur contra Palmirenos, & Zenobiam filiorum nomine imperium Orientale tenentem, Palmiram obſidet & expugnat, Zenobiam ad Perſas fugientem capit, & Romam adduxit, vbi ſuperbiſſimo triumpho de ea cæteriſque victis populis triumphauit. In Gallias deinde profectus eſt, & Vindelicos obſidione barbarica liberauit, & contra Perſas pugnaturus cum per Illyricum iter faceret, prope Byzantium fraude notarii ſui interfectus eſt: anno imperii VI. Imperator magis neceſſarius quam bonus. Eius mortem ægrè tulerunt & milites & S. P. Q. R. à quibus id conciliante ſucceſſore Tacito, inter Diuos relatus eſt.

Ex pluribus Aureliani nummis hos ſelegimus qui hiſtoriam ſummoperè illuſtrant. In quibus omnibus notanda eſt eius corona radiis ornata quæ diademati ſuperimpoſita videtur: id Victori con-
In Aurelian. gruit apud quem de Aureliano legitur, *Primus apud Romanos diadema capiti impoſuit*. Apud Iornandem, *Is*, inquit, *primus gemmas veſtibus calceamentiſque inſeruit, diademataque in capite.*

Auerſi typi gloriam Aureliani exhibent. Primus enim Orien- 1.
tem ſeu Solem exhibet cum proſtratis hinc inde captiuis, quos vicerat: nummum vulgauit Cl. Triſtanus in quo ſe SOLEM DOMINVM
Orat. 7. IMPERII ROMANI vocauit Aurelianus: Fingit Iulianus Aurelianum ideo DOMINVM fuiſſe appellatum quaſi Solem; quare illum iurantem ſic ſcribit οὔ μὰ τὸν ἐμὸν Δεσπόζων ἥλιον, *Per Dominum meum Solem* notat Plutarchus *à Perſis Solem Dominum nuncupari*, quod nummos illuſtrat, Κύριον γὰρ καλοῦν πέρσας τὸν ἥλιον. Alter videtur nummus cum eodem prorſus typo, quem circumdat hæc inſcriptio SOLI INVICTO.

Sol ſeu Aurelianus ſub habitu Solis, & Dea quam Concordiam 2.
ſuſpicor hîc PROVIDENTIAM DEORUM exponunt, quæ Aurelianum ad comprimendos Scythas, Sarmatas, Gothos, Germanos, Palmyrenos & Perſas impulit: Eodem habitu videtur Dea in altero Aureliani nummo in quo legitur CONCORDIA MILITVM.

In tertio gratulatur Roma ſedens Aureliano ſtanti, tum ob par- 3.
tas eius virtute victorias, tum ob ampliatos ſuos muros: Aurelianus enim *adhibito conſilio Senatus, muros Vrbis Romæ dilataut.* Idem
Vopiſcus. narrat Victor, *At ne vnquam*, inquit, *quæ per Gallienum euenerant, acciderent, muris vrbem quam validiſſimis latiore ambitu circumſepſit.* quod etiam apud alios Authores legitur.

Quartus Aurelianum nominat RESTITVTOREM EXERCITI, quod 4.
rariſſimum eſt in nummis. Exerciti autem priſce in genitiuo vſurpabatur pro Exercitus.

At quintus adhuc eſt illuſtrior in eo nominatur RESTITVTOR 5.
ORBIS, idque à Victoria coronam ipſi præbente, ob debellatos ſcilicet Romani imperii hoſtes. Ea ex alis & palma quam geſtat, dignoſcitur: Cl. Triſtanus Fortunam eſſe putat ſed aut illam vidit in alio aliquo nummo aut ob nummi detrimentum deceptus eſt. Rem firmat ſuperbiſſima hæc inſcriptio antiqua Romæ reperta quam com-
Pag. 276. memorat Gruterus.

IMP. CÆS. L. DOMITIO
AVRELIANO PIO FELICI
INVICTO AVG. PONTIF. MAXIMO
GOTHICO MAX. GERMANICO MAX.
TRIB. POT. V. COS. DESIG. III. IMP. III.
P. P. PROCONS. RESTITVTORI ORBIS
INVICTISSIMO ET VICTORIOSISSIMO PRINCIPI.

Aureliani faciei coniuncta est Seuerinæ facies, de qua vnus Vopiscus inter tot historicos facit mentionem, qui tamen illam neque vxorem neque filiam indigitat. Libros ornant numismata, ut illi interdum horum breuitati succurrunt. Ex Aureliano filiam suscepit Seuerina, matrem alterius Aureliani viri grauis, Senatoris & Ciliciæ Proconsulis.

Primos tres huius tabellæ nummos populi Seuerinæ dicauerunt quos pridem eius marito Aureliano obtulerant. CONCORDIA MILITVM vtrique gratulatur similibus nummis, vt & PROVIDENTIA DEORVM, quam mariti & vxoris habitu pingi placuit. Aurelianus etiam vt Sol aut Oriens fingebatur. Seuerinam autem ex tot nummis

Concordiam dictam esse verisimile est, quæ præcipua laus est vxorum frugi.

IVNO REGINA maiestatem indicat, VENVS FELIX prolem: quamuis Seuerinam nonnisi filiam genuisse compertum habeamus: Gloriatur tamen illa infantulo quem tenet præ manibus eodem prorsus typo quem sibi plurimæ aliæ Augustæ assumpserant. 3. 4.



C. M. CLAVDIVS TACITVS à Senatu permittentibus militibus Imperator atque Augustus eligitur, cum post occisum Aurelianum per sex menses interregnum fuisset. Tanta militum concordia, tanta populi quies, vt sub iudicio Senatus militum & populi, totus orbis temperaretur. Cornel. Tacitum Scriptorem historiæ Augustæ, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit. Vitæ fuit parcissimæ, tunicis & togis iisdem in Imperio vsus quibus priuatus. Validior in senectute, adeo vt & minutas literas ad stuporem legeret. Ob temporis breuitatem nihil præclari gessit. Insidiis enim militaribus sexto Imperii mense est necatus, vel vt alii tradunt febre correptus, Tarsi interiit, ætatis anno LXV. Exstant aliquot eius inscriptiones in Hispania, quas Gruterus in suo thesauro recensuit, pag. 276. Vopiscus.

Illustrant Taciti historiam auersi nummi: PROVIDENTIA AVG. SPES PVBLICA. & TEMPORVM FELICITAS, quæ in tribus prioribus leguntur. Aristot. Plutarch. Plinius. A. Gellius l. 5. Noct. Att. c. 6.

Quartus Victoriam exhibet vincula veluti captiuis parantem, quare fortassis à vinciendo dicta est. Eam frequenter antiqui nummi signant cum corona laurea & palmas. hæc illi tributa, quòd ponderi impositio exsistat, nec premi se patiatur, imo obsistat. Corona laurea vinculum erat quo victi hostes allegari solebant.

Quintus TEMPORVM CLEMENTIAM celebrat, quasi eam quâ solebant gloriari boni Principes sibi etiam per tantum Imperatorem seneca populi vindicarent: *Clementia enim eorum adauget Maiestatem.*

Explicant hunc nummum hæc Zosimi verba; *Gothi scitè traiecta palude Mæotide per Pontum ad Ciliciam vsque sita, incursionibus vexarunt. Quos aggressus Tacitus partim ipse debellatos ad internecionem deleuit, partim Floriano designato Prætorii præfecto debellandos tradidit, & in Europam contendit, vbi lapsus in insidias, necatus.* Id explicat nummum & vicissim per nummum explicatur, in quo legitur VICTORIA GOTTHICA. Facetè id perstringit Scaliger scribens decantatam esse victoriam antequam parta fuisset, τὸ ἐπινίκιον πρὸ τῆς νίκης ἄδειν. At nummus indubitatæ antiquitatis facetias soluit. Ad Eusebii n. 2291.

Victoriam interdum fuisse alatam plures nummi demonstrant, indicendæ Victoris celeritati. Ob eius alas fulmine percussas & exustas sic lusit Pompeius poëta,

Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος ὅπποτ' ὀλεῖται
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος ἡ δυώτατα.
Roma potens alis cur stat Victoria lapsis?
Urbem ne valeat deseruisse suam.

Anthol. Græca.

M. AN. FLORIANVS Taciti frater, vir imperandi cupidus, suo motu quasi hereditarium arripuit Imperium, illudque duobus tantum mensibus tenuit: nam Probo Imperatore facto solutis venis occubuit, aut vt alii scribunt Tarsi à militibus occisus est.

Ex pluribus eius nummis quos possidemus, vnum scalpi curauimus CONCORDIAM MILITVM exponentem: hæc sub Victoriæ habitu Florianum coronat. Olim vel symbolo dextræ duplicis, vel Deam hastæ innixâ signabatur, quæ interdum geminum cornucopiæ tenet, maioris vbertatis, duplicisque fœcunditatis tesseram, cum hæ per illam ampliari videantur. Illam per OMONOIAM siue communitatem frequenter Græci signauerunt.



C. M. Avr. Val. Probvs Sirmio Pannoniæ oriundus, tam priuatus quam Imperator nobiliſſimis virtutibus claruit. Valeriani iudicio puer & imberbis, tribunatum adeptus bello Sarmatico, tranſmiſſo Danubio multa fortiter fecit. Valeriani patrem è Quadorum manu liberauit, inde militum amor erga Probum ingens fuit. Marmaridas vicit: Pugnauit contra Palmirenos: Ægyptum & Orientis maximam partem in Aureliani poteſtatem redegit. Tacito Cæſare ab Orientali exercitu cæſo, Imperator eſt creatus, inuitus & retractans, dicens & obtrectans; *Non vobis expedit, milites, non mecùm bene agitis, vobis enim blandiri non poſſum:* Tandem à Senatu nomen Cæſaris & Auguſti ſuſcepit. Aureliani & Taciti percuſſores vindicauit. Gallias cum LX. ciuitatibus à Germanis occupatas recepit: Gothos deuicit. In Oriente omnia compeſcuit. Saturninum diuerſis prœliis ſuperauit: Proculum & Bonoſum Impp. apud Agrippinam oppreſſit. Romam reuerſus triumphauit de Blemiis & Germanis. Spectacula edidit magna; item ludos gladiatorios ex deuictis hoſtibus. Ad bellum Perſicum iter parans à militibus quos nimium agitaret, nec otioſos pateretur, apud Sirmium occiſus eſt, ætatis anno L. imperii VI. Eius ſepulchro à militibus ex aggeribus extructo, id inſcriptum eſt.

Hic Probvs Imperator Vere Probvs Situs Est
Victor Omnivm Gentivm Barbararvm
Victor Etiam Tyrannorvm.



1. In honorem optimi Imperatoris hi nummi cuſi ſunt. Primus Siscia Probi Avg. inſignitus quæ fortaſſis eius patria indicatur. Sirmium quidem indicat Vopiſcus, at quodammodo nummus refragatur. Vtraque autem Pannoniæ vrbs erat, Sirmium regionis caput ideo fortaſſis à Vopiſco nominatum eſt. Siſcia quæ hodie *Siſceck* nominatur, ad confluentiam Colapis & Saui ſita eſt: Eos duobus ſenibus repræſentatos eſſe veriſimile eſt. Quid præ manibus teneat illa Dea ſedens, quod fortaſſis vrbis Siſciæ Genius eſt, non facile eſt interpretari, an pannos a quibus diceretur Pannonia? certè viliorem arbitror quam par eſt, etymologiam.

2. In altero Probus eques captiuum calcat cum inſcriptione rem demonſtrante. Ea non galeata eſt, quemadmodum ſolebat in nummis Veterum, ſed per galeatum Imperatorem & hoſtes ſuperantem ſe exprimit. Virtvs Probi Avg. conſpicua eſt in debellandis hoſtibus. Carthagini ſignatum eſſe nummum infima inſcriptio docet, quare illum Vopiſci verbis explicatum credimus. *Pugnauit* In Probo. *Probus contra Marmaridas in Africa fortiſſimè, eos denique vicit, atque ex Libya Carthaginem tranſiit, eamdemque à rebellionibus vindicauit. Pugnauit & ſingulari certamine contra quemdam Aradionem in Africa, eundemque proſtrauit: Et quia fortiſſimum ac pertinaciſſimum virum viderat, ſepulchro ingenti honorauit.*

3. Tertius eamdem Probi Virtutem ſeu fortitudinem demonſtrat, quam præterea denotat Victoria. Certè typus eſt egregius.

4. Quartus Adventvm Avgvſti equitis exhibet, poſt tot luſtratas prouincias, tot deuictos hoſtes, quod captiuo calcato demonſtratur. R & A in imo nummo Romam, vt arbitror, denotant, in qua percuſſus eſt nummus.

5. Quadriga eminet in quinto Solem vehens: Is tunc temporis frequenter in nummis occurrebat, qui in honorem Aureliani noſtri procul dubio ſcalptus eſt. Invicti cognomen ſæpe apud antiquos ei tributum legimus quod exſtat in marmoribus antiquis.

ΗΛΙΩ ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩ

Soli Mitræ Invicto.

M. Avr. Carvs Narbonæ genitus in Illyrico, Romæ in bonis litteris educatus, per gradus ita creuit vt Proconsul Ciliciæ & prætorio Præfectus à Probo crearetur, atque eo interfecto, militum amore Imperator. Vir morum veterum dictus est. Bellum Persicum quod Probus parauerat consensu militum aggressus est, liberis priùs Cæsaribus dictis. Sarmatas Pannoniam vastantes deuicit: Mesopotamiam recepit & Ctesiphontem peruenit. Cumque auidus gloriæ longius esset progressus, fulminis ictu interiit, vel morbo, vel vulnere: varia enim scribunt Autores, anno imperii secundo.

In primo nummo Carus vt Restitvtor Orbis inscriptus est, 1. an aliquid Principi gloriosius potest offerri? In sequenti Æternitas 2. Imperii significatur Sole currente, qui vt narrat Diod. Siculus *æternus habebatur & antiquissimus Deorum.* Victoria gradiens res à 3. Caro gestas celebrat; easque nobilissimas. Alter Pacem exercitus, 4. eam inscriptionem nusquam videram in antiquis nummis. Quintus 5. Consecrationem Cari exhibet; in quorum postremo obseruanda venit inscriptio Divo Caro Parthico, ob deuictos scilicet Parthos. Iam diu erat quod Imperatores Romani ab suis Dii vocabantur. Scribonius Largus ad Iul. Calistum scribens sic de Tiberio loquitur, *tradendo scripta mea medicinalia Deo meo Cæsari*: Domitianus se Dominum & Deum appellari iussit. Cætera eius generis exempla omittam.

Bibliot. histor.

Sueton. in Domit.

Pag. 278. Eius & filiorum extat adhuc inscriptio Tarracone, à Grutero commemorata.

VICTORIOSISSIMO PRINCIPI IVVENT. M. AVRELIO CARINO NOBILISS CÆSARI COS. PROCOS.

FORTISSIMO ATQVE CLEMENTISSIMO IMP. CÆS M. AVRELIO CARO INVICTO AVG. P. M. TR. P. II. COS. II.

VICTORIOSISSIMO PRINCIPI IVVENTVT. M. AVR. NVMERIANO NOBILISS. CÆSARI PROCOS.

M. AVRELIVS VALENTINIANVS V.C. LEG. AVGG. PRO PR. PROVINCIÆ HISPANIÆ CITERIORIS D.N.M.Q. EORVM.

M. AVREL. CARINVS Cari filius fuit primogenitus, à Patre Cæſar factus eſt, deinde Auguſtus. Ei commiſſum fuit Occidentis imperium, Patre contra Perſas proficiſcente : qui niſi morte præuentus fuiſſet, ei Cæſareum nomen cum imperio abrogare decreuerat, ob nimiam libidinem prauamque indolem. Cùm audiuit Diocletianum ab exercitu in Perſide Imperatorem electum, cum ſuo exercitu contra eum progreſſus eſt: multis tandem prœliis in Dacia victus occubuit; ætat. anno XXXVI. Imperii II. Trucidatus eſt eius Tribuni dextrâ cuius dicebatur coniugem polluiſſe.

De auerſâ nummorum parte nihil eſt quod occurrat noui : ſi poſtremus excipiatur. Is ambos fratres exhibet coronatos à Diis, Carinum ab Hercule, quod adeptas eius fortitudine victorias demonſtrat, Numerianum ab Oriente, globum quo orbis regimen ſignificabatur, Fratri ſuo maiori offerentem.

M. Avrel. Nvmerianvs alter Cari filius fuit, optimis moribus præditus, eloquens, comes patris bello Perſico, nimio fletu ob paternam necem ſibi oculos corrupit. Cæſar à Patre & Auguſtus dictus erat cum fratre. Tandem ab Apro ſocero occiſus eſt, & fœtore cadaueris quod tanquam viuum lectica deportatum eſt, prodita mors eſt, nec inulta: Aper enim à Diocletiano interfectus eſt, à quo etiam Numerianus conſecratus.

Primus nummus iiſdem dignitatibus inſignitus eſt quæ inſcriptæ leguntur in ſuperiori pagina. De Mercurio crumenam tenente dictum in ſuperioribus. Sed cur petaſatus eſt, cur alas habet capiti infixas? Deum interpres dictus eſt, præſes eloquentiæ, Mercatorum vt & fruum Deus. Virgam ſemper habet præ manibus:

Tum virgam capit: hâc animas ille euocat oreo
Pallantes, alias ſub triſtia tartara mittat.

Mars Victor ad victoriam Perſicam reuocatur: Numerianus enim poſt obitum Patris Perſas vicerat, & ipſam Babylonem expugnauerat. Mars autem inter duodecim maiorum gentium Deos numerabatur qui victorias parabat tranquillitatem firmabat.

Ivno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venvs, Mars
Mercvrivs, Iovis Neptvnvs, Vvlcanvs, Apollo.



DIOCLETIANVS Salonis Dalmatiæ ortus vtroque Parente ignobili, militare à pueris cœpit. Gregarius miles in Gallia augurium futuri imperii à Druide accepit. Interfecto Apro, victo Carino, Imperator est appellatus & Augustus, atque à Senatu magno honore exceptus. In quibusdam imperii regionibus tyrannis insurgentibus, vir prudens aduertens imperii consorte opus esse, legit Val. Maximianum : mox Galerium Maximianum, & Constantium Chlorum Cæsares fecit, & adoptauit. In gubernanda Republica tanta fuit inter vtrumque Imperatorem concordia vt alter alteri nunquam repugnauerit, & Maximianus vt filius Patri Diocletiano obtemperabat. In Oriente plurimas nacto victorias triumphus à Senatu decernitur, quem aureo & gemmato curru expleuit. Divinos sibi honores vsurpauit & adorari voluit. Senio confectus decreuit se imperio abdicare & priuatus viuere, quod fecit Nicomediæ, quo die & Maximianus Mediolani imperii fasces deposuit, anno Christi 304. Imperauit annis XX. Post depositum imperium, mansit priuatus Salonis agriculturam exercens annis decem. Cùm ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans in hunc modum respondit, *Vtinam Salonæ possetis viſere olera noſtris manibus inſtituta, profectò nunquam iſtud tentandum iudicaretis.* Tandem à Constantino & Licinio vocatus ad nuptias Constantiæ, excusans se per senectutem, sed excusationem minacibus literis reiicientibus, suspectans necem ignominiosam, quòd fauisset Maxentio ac Maximino, venenum sumpsisse fertur, atque ita occubuisse, ætatis anno LXVIII. Atrociter in Christianos sæuiisse, declarant historici & inscriptiones.

Primus huius tabellæ nummus Solem habet pro typo seu Orien- 1.
tem. Is captiuum habet iuxta pedes, Persam scilicet quem victricibus armis Diocletianus subiecerat. Inscriptio sanè vt elegans sic insolita, virtutes Imperatoris CLARITATE exprimit: quod fortassis locum dedit posterioris æui appellationibus. Imperatoribus enim sæpe & dictum & scriptum est, CLARITAS vestra, Æternitas vestra. P. TR. in imo nummo interpretantur de moneta Percussa Treueris. 2.

Sequentes duo quamuis in honorem Iouis signati videantur, ii 3.
tamen planè Dioclerianum celebrant qui Iouius dictus est, Maximianumque voluit Herculem aut Herculeum nuncupari. TVTATORIS nomen in nummis, hoc excepto, non occurrit.

Quartus CONCORDIA MILITVM insignitus est, per quam ad 4.
imperii fastigium euectus est Diocletianus: hic enim post mortem Apri qui Numerianum interfecerat, vniuersis consentientibus Cæsar Augustus appellatus est.

Quintus typus certè ad Maximianum imperii collegam refertur. 5.
At ne aliquis honos vni tantum deferri videretur, ideo qui Maximino oblatus est eumdem etiam Diocletiano dicatum esse arbitramur: Testes sunt cæteri nummi eorundem Imperatorum quorum typi fere omnes similes vtrique dicati sunt. Testes ex priori æuo illi quos in imperio collegis similes dicauerant Romani, Aurelio & Vero, Caracallæ & Getæ, Balbino & Pupieno, quorum suo loco mentionem fecimus.



Quamuis hi duo nummi nullius Imperatoris nomen indicent, eos tamen prætermittendos non censui, quos ad Diocletianum reuocari verisimile est. Fortassis ille sub habitu IOVIS CONSERVATORIS depictus est, globum siue orbem moderantis.

Alter APOLLONI SANCTO dicatus est: notandum epithetum, notanda formula, Apolloni pro Apollini. Auersa facies Orontem fluuium exhibet iuxta Deæ pedes veluti natantem, quam Antiochiæ Genium interpretor. Eumdem typum supra vulgauimus pag. 304.

M. Avr. Val. Maximianvs è Sirmio in Pannonia, vir natura ferus & immitis, ardens libidine, consiliis stolidus, ciuilitatis expers, ortu agresti, à Diocletiano Cæsar factus est, deinde cum Augusti nomine consors imperii. Tyrannos vicit Amandum & Aelianum, Gallias pacauit, & cum Carausio quem vincere non potuerat, pacem firmauit. Africanos vicit & ad pacem coegit. Cum tandem ingraueſcente æuo parùm ſe idoneum Diocletianus moderando imperio eſſe ſentiret, autor Herculio fuit, id erat Maximiani cognomen, vt in vitam priuatam concederent, Rempublicam iunioribus mandarent, cui ægrè collega obtemperauit. Tamen vterque vna die priuato habitu imperii insigne mutauit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, post triumphum inclitum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant. Maxentio filio fauens & Constantio genero insidias struens per Faustam vxorem detectas, profugit Massiliam, vbi oppressus est. Captus pœnas dedit fractis laqueo ceruicibus: cadauer Mediolani sepultum est. Vixit annis LX. imperauit XX. In Christianos vnà cum Diocletiano atrociter sæuierat, vt patet ex columna Cluniæ in Hispania asseruata, in qua id legitur.

DIOCLETIANVS IOVIVS ET
MAXIMIANVS HERCVLEVS
CÆS. AVGG.
AMPLIFICATO PER ORIEN
TEM ET OCCIDENTEM
IMP. ROM.
ET
NOMINE CHRISTIANORVM
DELETO QVI REMP. EVER
TEBANT.

Herculis labores quidam expreſſi videntur in Maximiani nummis, 1. quòd hic alter Hercules dictus fuerit, vel ob domitos tyrannos, 2. vel ob eius cum Hercule faciei & morum ſimilitudinem. Sicut autem vetus Hercules

Compreſſit Nemeæ primùm virtute leonem,

ideo frequenter leones in huius Imperatoris nummis occurrunt, à Maximiano veluti altero Hercule debellati: quare VIRTVS AVGG. eodem nomine celebratur in duobus prioribus nummis. Alterum Herculis facinus Maximiano dicauit antiquitas cum eadem inſcriptione, aprum Herculis humeris impoſitum ſignans, quo ſcriptum eſt,

Mox Erymanthium vis tertia perculit aprum.

Alterum etiam ex auro percuſſit, in quo Hercules aut ſub eius ſpecie Maximianus ceruum aureis cornibus comprimit.

AETERNITAS in tertio deſignatur Elephante, animalium 3. omnium longæuiſſimo: An hîc adpoſita ſit vt CLARITAS in nummo Diocletiani? facile coniicerem.

Leo in quarto expreſſus, iterum ad Herculis indicandam ſimi- 4. litudinem ſcalptus eſt, cuius AETERNAM fore MEMORIAM optabat & confidebat Maximianus. Fortaſſis ille eius tumulo impoſitus fuerat, *ſymbolum ſcilicet Herculei roboris: vnde mos inoleuit in reliquorum quo-*
In Bœotic. *que ſepulchris, marmoreos ſtatuere leones.* Narrat Pauſanias, *proximo vrbi loco eſſe commune Thebanis ſepulchrum, iis qui in acie contra Philippum ſtantes ceciderunt, nulla ei appoſita inſcriptione: at inſigne tumuli leo eſt, ad eorum virorum animi magnitudinem ſignificandam.*
Photius. Obſeruandum in hoc nummo eum nuncupari Diuum, quod arguit à Cæſaribus per eum factis percuſſum fuiſſe: ſicuti alium in quo pariter exſtat conſecrationis argumentum, Aquila. Ita ſe habet inſcriptio circum caput, DIVO MAXIMIANO SEN. OPTIM. PR.

De FELICE ADVENTV Imperatorum frequens eſt apud veteres 5. mentio, præcipuè in nummis: Diem feſtum tunc celebrabant, quem ſacrificiis, epulis, ludis & omnis generis exultationibus paſſim decorabant populi. Leonem appoſitum eſſe puto qui perpetuo Herculem Maximianum demonſtret.

CARAVSIVS ex Hibernia natus, vir militiæ nauali assuetus, in Britannia purpuram sumpsit, imperii indicem. Maximianus bellum ei indixit, at vincere non potuit: quare sancitâ pace, ei Britanniæ regnum concessum est. Dolo denique circumuentus, interfectus est ab Allecto eius potentiam ambiente, postquam imperasset annis VII.

PAX, SALVS & PROVIDENTIA frequenter in Imperatorum Romanorum nummis occurrunt.

De ADVENTV AVG. maior esset dissertationis locus, nec enim licet eum interpretari quemadmodum de cæterorum Imperatorum aduentibus, nempe Romam intrantium: Carausium enim in suis ditionibus permansisse certum est; at nummum intelligere possumus de felici aduentu in magnæ Britanniæ metropolim: Augustam Trinobantum coniiciat quislibet, aut aliam definiat.

ALLECTVS Carauſii familiaris regnandi libidine percitus, ſuo Principi & benefactori vitam eripuit, imperioque potitus eſt. De eo admodum pauca leguntur apud antiquos. Certum eſt eum in Britannia permanſiſſe; tandem ab Aſclepiodoto Conſtantii prætorii Præfecto, poſt triennium victus & interemptus eſt.

PAX in nummo deſignatur quam ambiebat Allectus, ſed quam habere non potuit, ſtatim enim oppreſſus eſt. Fortaſſis eundem typum ſibi ſumpſerat qui prius prædeceſſori Carauſio erat inſcriptus.

VIRTVS quæ interdum Imperatore, interdum Deâ ſignificatur, hîc per nauim conſpicua eſt: maritimis enim viribus ſe ſuumque imperium tueri Allectus confidebat.

FL. VAL. CONSTANTIVS cognomento CHLORVS filius Eutropii Rom. gentis nobiliſſimi & Claudiæ Criſpi filiæ qui frater fuerat Impp. Claudii & Quintilli. In eiûs vultu videbant omnium ſigna virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in robore verecundiæ. Vir fuit pius & Chriſtianus naturâ, mitiſſimus, diuitiarum ſpretor, modici cultus, tantæ modeſtiæ vt facilem ſe & amabilem cunctis præberet. A Maximiano & Diocletiano cum Gal. Valer. Maximiano in imperium adoptatus eſt, cui diuiſo orbis imperio cedebat Illyricum, Græcia & Oriens; Conſtantino verô Gallia, Germania, Italia & Hiſpania cum tota Africa. Allectum per Præfectum vicit, tumque hoſtes populi Romani ab armis ceſſauêre. *Deuicta Germania & Alemania*, inquit Berengarius Abbas, *tandem victor omnium, mortuus & ſepultus eſt*, Eboraci, *in Britannia*: cum imperaſſet vt Cæſar XII. annos, vt Auguſtus duos. Et quoniam illis temporibus plures erant Auguſti & Cæſares, inſcriptionem quæ Romæ viſitur, poſt Gruterum proferam, cum notis rem illuſtrantibus.

Lib. 2. … vent … cræ…

1. DD. NN. DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS INVICTI 2. SENIORES AVGVSTI 3. PATRES IMPERATORVM ET CÆSARVM CONSTANTIVS ET 4. MAXIMIANVS INVICTI AVG. ET SEVERVS ET 5. MAXIMINVS NOBILISS. 6. CÆSARES 7. THERMAS FELICES DIOCLETIANI AVG. FRATRIS SVI NOMINE CONSECRAV. COEPTIS AEDIFICIIS PRO TANTI OPERIS MAGNITVDINE OMNI CVLTV PERFECTAS ROMANIS SVIS DEDICAV.

1. Soli Auguſti dicebantur Domini noſtri.
2. ratione habita Galer. Maximiani & cœterorum Auguſtorum & Cæſarum, qui iuniores erant ætate & dignitate. SENIORES ſæpe in nummis occurrit.
3. per adoptionem.
4. ſcilicet Galerius Maximianus.
5. Maximinus non Maximianus, in quo errauit Gruterus & poſt eum multi alii.
6. Seuerus & Maximinus adoptati ſunt à Galer. Maximiano, & Cæſares dicti.
7. Adhuc viſuntur Romæ.

Horum omnium tum Auguſtorum tum Cæſarum antiqua numiſmata in hoc Opere ſcalpta ſunt quod marmoreum illud ſcriptum illuſtrat

Ex pluribus Conſtantii nummis duos hic habes cum aquila & leone, quaſi AETERNÆ eius MEMORIÆ ſacris. Conſtantius enim in eo Diuus nominatur, quare nonniſi poſt eius mortem illos percuſſos fuiſſe certum eſt: DIVI enim titulus ſeu conſecrationis nota poſt mortem tantùm tribuebatur: typos refert Cl. Triſtanus ad Chriſtianam religionem, autumans quod cùm nulla ſignata ſit ara, nullus rogus, id in odium idololatriæ Conſtantium deſeruiſſe paganiſmum ſubindicet, cuius pietatem Conſtantinus filius & Helena vxor hiſce typis exprimi curauerunt. At ſibi proſpiciat, qui ſimiles typos, ſimileſque titulos obſeruare potuit in Diocletiani Maximianique nummis quos habeo, de quorum in religionem Chriſtianam odio nullus dubitare poteſt. Aquila certe imperii Romani ſymbolum, Leo fortitudinis, illis tanquam fortiſſimis Principibus potuit conſecrari, nullo religionis habito reſpectu. Deinde aquila Iouem, leo Herculem ſignificabat quorum ſymbola, Impp. Diocletianus & Maximinianus aſſumpſerant: quod leones Heroum tumulis imponebantur, dictum eſt in Diocletiani nummo.



FL. HELENA Conſtantii Chlori vxor fuit adhuc priuati: Ex eo Conſtantinum Magnum genuit. Repudiata eſt iubente Maximiano ei Theodoram ſuæ vxoris Eutropiæ filiam collocante, poſt quod Cæſarem illum creauit. Helena ſagax fœmina à Chriſtianis religioſè colitur, tùm propter pios eius mores, tum ob repertam quæ iamdiu delituerat ſanctiſſimam Crucem, cui Saluator mundi Chriſtus nefarie affixus fuerat. Inter cœteros eius honores *Conſtantinus M. matri* Euſebius lib. III. de vita Conſtant. c. 46. *conceſſit vt* AVGVSTA *diceretur & nummus eius imagine ſignaretur.* Auerſam faciem ad prouerbium refero ΔΑΦΝΙΗΝ ΦΟΡΩ ΒΑΚΤΗΡΙΑΝ Eraſm. adag. chiliad. cent. I. *Laureum porto baculum.* Suidas tradit ita ſolere loqui eos qui inſidiis petiti feliciter effugiſſent periculum. *Laurus luſtrationibus adhiberi ſolita*, inquit Plinius, *valetque contra uim fulminis.* Helena ipſa ſub habitu

habitu Deæ, SECVRITATEM REIPVBLICÆ lauro promittere videtur quæ per Maxentium omni ex parte turbata fuerat: nisi mauis id ad religionem referre, quam securè & palam profiteri poterant populi, ad exemplum piissimorum Principum sese componentes. Ad rem nostram spectat quod refert Bosius ex M. S. eiusdem Helenæ actis Codd. Later. & S. Petri, his verbis. *Postquam beatissima Helena Romam ad filium* (Constantinum) *rediit, ibi plena dierum vltra octogesimum ætatis annum, expleto vitæ suæ cursu cum felici lætitia, sexto Id. Febr. deposito carnis onere, cælo reddidit spiritum & sepulta est honorificè cum aromatibus Via Labicana, vbi dicitur* inter duas lauros *milliario tertio ab vrbe. Et in eodem loco fecit* (Constantinus) *Basilicam sanctis Martyribus Marcellino & Petro & ibi in mausoleo porphyretico vndique pretiosè sculpto, iuxta regiam excellentiam, matrem suam sepeliuit.* Eius inscriptionem quæ Neapoli visitur, hic apponere cum notis Lectori curioso tædiosum fore non arbitror.

[1] PIISSIMÆ ET [2] VENERABILI
DOMINÆ NOSTRÆ [3] HELENÆ
AVGVSTÆ MATRI
DOMINI NOSTRI [4] VICTORIS
SEMPER AVG. CONSTANTINI ET
AVIÆ [5] DOMINORVM NOSTRORVM
[6] BEATISSIMORVM CÆSARVM
ORDO ET POPVLVS NEAPOLITANVS.

1. Hoc iam Christianismum sapit.
2. sic Gruterus. Tristanus autem supponit CLEMENTISSIMÆ.
3. Sic Gruterus, & benè. Tristanus scribit AVGVSTÆ HELENÆ. non enim Augustus Tiberius, aut Augustus Vespasianus aut Augusta Faustina, sed Tiberius Augustus, Vespasianus Augustus, Faustina Augusta.
4. Constantinus Magnus sæpe in antiquis inscriptionibus VICTOR nuncupatur.
5. Sunt illi Constantinus iunior, Constantius & Constans.
6. Obseruandum venit istud ἐπιθετὸν, quod non nisi posterioribus temporibus vsurpatum est.

Eiusdem Helenæ nummum alterum habemus, cuius auersam partem occupat ipsa Helena sub habitu PACIS PVBLICÆ, sicuti in priori se SECVRITATEM REIPVBLICÆ prædicabat. Spectandus venit capitis ornatus admodum insolitus: Diademate subcincti capilli morem præbuerunt Constantinopolitanis Imperatoribus sua capita sic ornare.

FL. MAXIMIANAM THEODORAM ex prioribus nuptiis ſuſceperat Eutropia, quæ poſtea Maximiano nupta eſt. Theodoram filiam volentibus Diocletiano & Maximiano, Conſtantio Chloro coniunxit ſtatim Cæſari creato. Hâc de causâ Helena Conſtantini mater repudiata eſt. Tres illi Theodora peperit filios, totidem filias, Delmatium, Conſtantium, Hannibalianum, Conſtantiam vxorem Licinii, Eutropiam matrem Nepotiani, denique Anaſtaſiam vxorem Baſſiani Cæſaris. De eius actis & moribus ſilent Hiſtorici.

PIETAS ROMANA hic optimè deſignatur matre infantem lactante, quod tunc temporis & optimè quidem, moris erat. Sic matrem filiam alloquentem fingit Alcinius Auitus, Lib. 1. de conſolat. caſtit. laude.

Delicia mea gnata meæ, charißima matri
Pignora grandæuæ, per ego has te deprecor vlnas
Per quæ ſuxiſti primæuis vbera in annis,
Fac iſthinc abeam promiſſo libera voto.

MAXIMIANVS hic GALERIVS & VALERIVS dictus est, cognomento Armentarius, ob pecorum commercium: Parentibus agrariis in Dacia ortus est. Militiâ præstans à Diocletiano adoptatus & Augustus factus est. Vtramque fortunam in Persia expertus erat; victus est enim primùm à Narseo, deinde ingenti successu pugnauit, nec minore consilio simul & fortitudine: castra eius diripuit, vxores, sorores, liberos cepit, infinitam Persarum nobilitatem, abduxit gazam Persicam copiosissimam; quare ad Diocletianum in Mesopotamia cum præsidiis tum morantem ouans regressus ingenti honore susceptus est. Duos sibi adoptauit Cæsares, Seuerum & Maximinum sororis suæ filium. Mortuo Seuero consortem imperii Licinium fecit, ac contra Maxentium proficiscitur, sed auditâ militum defectione, in Illyricum rediit; ibique ob sæuam libidinem & crudelitatem in Christianos vlcere inguinibus innato, consumptis genitalibus defecit, & vermibus vbique erumpentibus fœdissimo, sed digno exitu periit. Homo sanguinarius & crudelissimus, simulachrorum cultor, deliciis & luxu ad insaniam diffluens, nullam vrbem sine adulteriis & virginum stupris incontaminatam relinquens; cum nulla Medicorum ope leuaretur, sibi ipsi manus intulit cùm Cæsar fuisset annis tredecim, Augustus septem. Eius ætas ignoratur.

Auersus typus in omnibus fere huius temporis numismatibus occurrit; omnes enim Augusti, omnes Cæsares se GENIVM POPVLI ROMANI iactitabant, cuius ambiebant dominationem.

Eius exſtat inſcriptio antiqua à Grutero commemorata quàm tum propter eius nomen, tum Paganorum in Chriſtiano odium hic apponemus.

DIOCLETIANO CÆS. AVG.
GALERIO IN ORIENTE ADOPT.
SVPERSTITIONE CHRISTI
VBIQVE DELETA
ET CVLTV DEORVM PROPAGATO.

GAL. VALERIA Diocletiani filia fuit, quam pater poſt adoptatum ſibi Gal. Val. Maximianum, eidem in vxorem tradidit. In eius honorem Stiriæ pars inter Sauum & Danubium ſita *Pannonia Valeria* dicta eſt.

Venerem in auerſa parte cernere eſt, pomum pro more tenentem quam plures Imperatorum vxores ſibi propitiam in nummis optauêre. Exempla videantur inter Fauſtinæ numiſmata & Iuliæ. Inſcriptionem hîc poſſe explicari arbitror, aut quòd Valeria fuerit comes victoriarum Mariti, quas ad Venerem refert, aut quòd ipſa maritum velut alterum Martem vicerit. Obſeruat Cl. Triſtanus in eiuſdem Theodoræ nummis interdum lauream eius capillos cingere quod ad viri eius Gal. Maximiani victorias refertur: ſeque nuſquam lauream capita fœminarum ornantem in nummis vidiſſe: Nummum habeo Helenæ, cuius caput laureâ cinctum eſt. Alterum cum ſimili laurea Theodoræ, poſterioris Conſtantii vxoris. Hunc in Theſauro noſtro vulgabimus.

FL. VAL. SEVERVS à Conſtantio & Gal. Maximiano, addito collega Maximino, Cæſar & Auguſtus dictus eſt. Italiæ & Africæ præfectus eſt, poſtquam Conſtantius Galliâ Hiſpaniâ & Britanniâ contentus, eas abnuiſſet. Cùm Maxentius in vrbe à prætorianis Imperator creatus eſſet, contra eum Seuerus profectus eſt & duxit exercitum, at viribus impar fugere coactus, circa Tres Tabernas captus eſt & cæſus iuſſu Maxentii, deinde in Gallieni ſepulchro ſepultus, non longè ab Appia via, cum imperaſſet annos duos. Alii ſcribunt Seuerum circa Rauennam captum & ceruicibus laqueo fractis ſtrangulatum.

1. Primus typus Imperatorem Seuerum repræſentat ſub habitu Romuli opima ſpolia gerentis, aut Martis poſt ſuperatos hoſtes: Inſcriptio quæ eum tantùm vt Cæſarem celebrat, facit etiam mentionem AVGVSTORVM, Conſtantii ſcilicet & Maximiani.

2. Alter Seuerum vt GENIVM POPVLI ROMANI celebrat quemadmodum priores Imperatores Diocletianus, Maximianus, Conſtantius in nummis erant depicti.

3. Sequentes duo frequentiſſimè occurrunt in nummis eorum
4. qui tunc temporis aut Auguſti erant aut Cæſares. Arbitror communi conſenſu in eorum omnium gloriam percuſſos eſſe, quam ambientes alii ſimilibus typis & inſcriptionibus expreſſerunt.

5. Ad quintum ſpectat quod Plinius ſcribit, *Præſides cuſtodesque imperii Deos, ego Conſul pro rebus humanis, ac Te præcipuè, Capitoline Iupiter, precor, vt beneficiis tuis faueas, tantiſque muneribus addas* PERPETVITATEM. In Panegir. Illam veneratus erat Seuerus prior Alexander dictus, in nummo argenteo: ad cuius imitationem fortaſſis Val. Seuerus nummum percuſſit, nihil enim de PERPETVITATE videre contigit in aliorum Impp. nummis. Diuerſis tamen typis illam finxere, hic vt Romam ſedentem, alter vt Deam columnæ innixam baculum ſiniſtrâ tenentem in Prouidentiæ modum, dextrâ globum, qui æternitatem deſignat, cùm vtrique deſit & principium & finis. Infimi characteres monetam Siſciæ percuſſam fuiſſe demonſtrant.

ALEXANDER *Phryx origine, ingenio timidus, inferior aduersus laborem vitio senectæ,* inquit S. A. Victor: alter è Pannonia ortum scribit: A Seuero Præfectus aut Pro-Præfectus, prætorio Africæ factus est, alterutrum enim non constat. Audita Seueri nece Imperator à militibus appellatus est contra Maxentium, at statim oppressus est per Volusianum, quem cum exercitu eô miserat Maxentius. Certamen quidem leue fuit, ex eo fugiens Alexander, Cirtæ apprehensus est & strangulatus. Illum regnasse supra annum constat ex eius nummo Græco, in quo L.B. scriptum est quod secundum indicat.

Zosim. l. 11.

Auersa pars huius nummi Genium Carthaginis exhibet habitu pacifico, spicas & papauera tenentem, fertilitatis indices. P.K. Pecuniam Karthaginensem denotant vel monetam Percussam Karthagini, quod idem est. Carthaginem autem dictam fuisse FELICEM ex pluribus nummis patet, & Autoribus; *Deinde promontorium Apollinis* inquit Martianus Capella, *& in alio sinu Vtica Catonis morte memoranda, flumen Bagrada, ac propinque Carthago, inclyta pridem armis nunc* FELICITATE *reuerenda.* De Carthagine supra diximus. pag. 15. De illa posterioribus temporibus sic loquitur Saluianus, *Carthaginem vrbi Romæ quondam aduersariam & in Africano orbe quasi Romam,* & paulò post, *Romanis arcibus semper æmulam, armis quondam & fortitudine post, splendore & dignitate.* Ideo in hoc nummo vt in plurimis aliis INVICTÆ ROMÆ FELIX KARTAGO coniungitur.

Lib. 6.

De gubern. Dei. l. 7.

Exstant nummi Nigriniani, Nigrianum plerique libri nuncupant, quibus minimè fidendum est. At qualis ille fuerit non liquet. Eum cum Sergio Consulem fuisse, cùm Constans interfectus est, scribit Cassiodorus. Tradit Cl. Tristanus hunc fortassis Alexandri filium fuisse quem libidinosus Maxentius suæ fidei committi optauerat, Ἡ γὰρ παῖς ἐστι Ἀλεξάνδρῳ τὴν τε ἡλικίαν ἀκμάζον καὶ τὴν ὄψιν ὡραῖος. Quibus temporibus & à quo consecratus, penitus ignoro.

In Chronic.

Zozim. lib. 11.

MAXIMINVS cognomine DAZA ab auunculo Gal. Val. Maximiano, Galerius Valerius dictus eſt, cùm ab eo adoptatus eſt & Cæſar creatus. Orienti præfectus, Cæſar quadriennio, Auguſtus triennio imperauit. In Chriſtianos maximè ſæuiit. Cum aduerſus Licinium res nouas in Oriente moliretur, rupto fœdere, cum filiis quos iam ſocios imperii aſſumpſerat, oppreſſus, & ne viuus caperetur ſe ſtrangulauit Tarſi. Scribit Euſebius eum fœdidiſſimo morbo correptum in atrociſſimis doloribus vitam finiiſſe. Id etiam teſtatur Diuus Hieronymus his verbis, *Legamus Eccleſiaſticas hiſtorias,* *quid Decius, quid Valerianus, quid Diocletianus, quid Maximiani duo, quid ſæuiſſimus omnium Maximinus, & nuper Iulianus paſſi ſunt. Et tunc rebus probabimus etiam iuxta litteram prophetiæ, veritatem eſſe completam. Quòd computruerint carnes eorum & oculi contabuerint, & lingua in pedorem & ſaniem diſſoluta ſit.* Lib. 9. cap. 8. Zachar. cap. 14.

1. Primus nummus fortitudinem bellicam celebrat Cæſarum & Auguſtorum eius temporis, quorum nomina in ſuperiori inſcriptione leguntur pag. 447. Mars, Romulus, eodem habitu ſæpe in nummis depicti ſunt opima ſpolia reportantes, ad quorum exemplum, Imperatores Romani, cùm victores erant.

2. Typi ſecundi & tertii tunc temporis ab omnibus Principibus vſurpabantur, quia omnes monetam ſignabant; in quo ius regale conſiſtere nemo inficiatur.

3.

4. Quartus à Carthaginienſibus cuſus eſt in honorem quidem Maximini, ſed adiuncta cæterorum Principum autoritate: ita vt illos omnes ſibi demereri conati ſint ex tot illis dicatis nummis.

5. Quintus legionum Romanarum potentiam demonſtrat, earumque affectum erga Seuerum: ſed cur OPTIMVS PRINCEPS à S. P. Q. R. dictus eſt, cùm eſſet peſſimus; deinde cùm Romæ non eſſet. Coniectura eſt ſic à ſuis nominatum eſſe, & adulationibus id obtinuiſſe quod Traiani, Antonini, Aurelii, aliorumque Impp. dotibus conueniebat.

M. Avrel. Val. Maxentivs ex cognominibus Maximiani Herculei filius dignoſcitur & Eutropiæ: repugnantibus tamen quibuſdam Autoribus. Imo etiam aliis dicentibus eum ſuppoſitum fuiſſe arte muliebri, Matremque de eius origine quæſitam, reſpondiſſe Syro quodam genitum. A Prætorianis non abnuente Senatu Imperator dictus eſt, deinde Seuerum qui aduerſum ſe exercitum duxerat, circa Rauennam interfecit. A Conſtantino Magno qui contra eum in auxilium à Senatu vocatus fuerat, ad pontem Miluium ſuperatus eſt, & Tiberi abſorptus: ipſum enim cum equo & armis inſignibus fruſtra conatum per abrupta ripæ vlterioris euadere, idem Tiberis correptum gurgite deuorauit. Cadaueri caput fuit amputatum & per omnes Vrbis vias veluti in triumphum deductum; *ſuberat adhuc ei ſæuitia, ac horrendæ frontis minas mors ipſa non vicerat.* Periit ille Tyrannus anno æt. XXX. imperii VI.

Priores duo nummi ad victoriam referuntur quam Maxentius contra Seuerum adeptus eſt: Vicerat etiam Alexandrum in Africa. Refert Cl. Triſtanus alium nummum fere ſecundo ſimilem, in quo Votis Mvltis ſcriptum, in noſtro certè Vota leguntur X. ſeu decennalia, quæ tamen non ſoluit, cùm ante adeptum imperii annum ſeptimum à Conſtantino fuerit profligatus: *ne ſeptenarium numerum ſacrum & religioſum inchoando violaret*, inquit Panegyriſta anonymus. 1. 2.

Tertius refertur ad Caſtorem & Pollucem quos ita deſcribit Prudentius, 3.

Lib. 1. contra Symm.

——— gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles
Nocturnique equites, celſa duo numina Romæ
Impendent, retinentque veru, magnique triumphi
Nuntia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.

Nihil aptius ad nummi deſcriptionem : ideo autem AETERNITATEM Auguſti Noſtri deſignabant, quòd alter alteri æternitatem donauerat: ſic Maxentius Romulo ſuo filio Æternitatem dediſſe dicitur, Caſtoris fatum imitatus. Equos vt ſolent frænis retinent, ſymbolum nempe maieſtatis imperii.

Poſtremi duo Romam in templo deſignant globum tenentem, quaſi orbis dominam. In altero Victoria ei coronam præbet Maxentium celebrans à quo miſſa fingitur, captiuo ad eius pedes lugente, Seuero nempe cuius profligatione, conſeruata cenſebatur ipſa Vrbs ope Maxentii, qui hac de cauſa ſe CONSERVATOREM VRBIS SVÆ declarat.



MAGNIA VRBICA filia fuit Gal. Maximiani, Maxentii vxor. De vtroque tamen quidam dubitant. Magnentio nuptam dicunt. At cur VENVS GENETRIX in nummo Chriſtianæ, ſane id Paganæ tantum competit, nec amplius videntur eiuſmodi inſcriptiones à Conſtantini M. temporibus. Romuli mater perhibetur & alterius qui ante exceſſum Maxentii obierat, aut qui cum Patre interiit: res enim incerta eſt. Illius nulla apud antiquos mentio eſt.



ROMVLVS Maxentii filius fuit & Magniæ Vrbicæ. Is Cæſar & Conſul à Patre dictus eſt. Ante obitum Patris interiit, à quo conſecratum fuiſſe probant nummi inſcriptiones. Pars enim antica illum DIVVM nominat, poſtica vero, aquilam exhibet templo inſidentem, quod MEMORIÆ ÆTERNÆ Diui Romuli conditum videtur. R.P. vel Romanam Pecuniam, vel Romæ percuſſum eſſe nummum indicat, quod mihi idem eſt. Alterum fere huic ſimilem nummum exhibet Cl. Triſtanus, in quo circum Romuli caput legitur IMP. MAXENTIVS DIVO ROMVLO N. V. FILIO. Vltimos characteres ſic interpretantur Antiquarii, Noſtræ Vrbis FILIO, is enim natus erat Romæ. Noſter nummus illum Noſtræ VRBIS Conſeruatorem exprimit, at quidni Conſulem ? Ea ſanè ſunt obſcura, quæ plurimas poſſunt admittere coniecturas.

C. Val. Licinianvs Licinivs in Dacia parentibus agricolis natus à Philippis Imperatoribus originem habuiſſe videri volebat. A Gal. Maximiano *malè Maximinum Occo nominat*, mortuo Seuero conſors imperii factus eſt & Auguſtus appellatus. Conſtantiam in vxorem Mediolani duxit, quam firmando fœderi ei Conſtantinus conceſſerat. Res inde Chriſtianorum auctæ pro quibus edicta tum à Conſtantino vulgata ſunt,tum etiam à Licinio. At paulo poſt diſſentientes Imperatores arma mouerunt: atrox pugna in Pannonia commiſſa, cuius victor Conſtantinus exſtitit. Pax iterum ſancita eſt, quâ Criſpus Conſtantius iunior & Licinius filius Cæſares creati ſunt. Iterum ad arma ventum eſt, Licinius iterum profligatus eſt à Conſtantino M. & Theſſalonicæ cum Martiniano quem Cæſarem creauerat, eſt interfectus à propriis militibus, anno æt. LX. imperii XV. Hic erat aſper & auaritiæ libidinique deditus omnium Chriſtianis infenſiſſimus. Sunt qui ſcribant, cum filiam Herinam Chriſtianæ religionis cultricem ab equis diſcerpi vellet,ipſum à ſuorum vno,morſu interfectum eſſe. Sigonius ſcribit illum à Conſtantino victum, Nicomediam pulſum, ibique obſeſſum, Imperii inſignia deponere & priuatum Theſſalonicam migrare coactum.

Restitvtori Libertatis
Ac Fvndatori Pvblicæ Secvritatis
D. Val. Liciniano Licinio
Pio Felici Invicto Avg. &c.

1. Primi nummi typus frequens eſt illis temporibus. Eumdem cum alia inſcriptione vulgauit Cl. Triſtanus, ſcilicet Genio Avgvsti: ſubintelligebant nimirum eumdem eſſe Deum qui Auguſtum & populum tutaretur.
2. Duo ſequentes Iovi Conservatori dicati ſunt. Peculiaris eſt
3. ille habitus Imperatoris ab aquila portati fulgur gerentis. Aliquod militare facinus id indicat, fortaſſis victoriam quam contra Maximinum adeptus erat.
4. Quartus vexillum militare exhibet cum hinc inde proſtratis captiuis. Vot. xx. non ſuſcipiebantur neque ſignabantur niſi decennalibus ſolutis: ergo circa poſtremos Licinii annos nummus cuſus eſt. Captiui ad victorias referuntur quas plures adeptus erat Licinius. P. in ima nummi parte vel Pecuniam refert vel Percuſſam monetam, perinde eſt. Tr. ad Treuiros referunt, ſed non ſatis mihi conſtat. Cl. Triſtanus eumdem nummum vulgauit cum cruce in ſumma vexilli parte quod labarum eſſe contendit in Conſtantini gratiam, at nummus noſter cuius integritati nihil deeſt, crucem non deſignat, ſed tres veluti globulos ſuperiorem pali partem ornantes in cuſpidis figuram. Deinde plura eiuſmodi vexilla abſque cruce in nummis ſignata ſunt.
5. Quintum illuſtrat Iupiter globum Licinio tradens & victoriam veluti perpetuam comitem fore ſpondens: Ritus paganos in ſingulis obſeruabat Licinius quibus milites & populum contineret, Conſtantinumque tanquam nouæ religionis cultorem exoſum haberet. Ii enim ei duorum Auguſtorum mores; fortaſſis ab inuidia ducti, vt ſi vnus aliquas partes tueretur, ſtatim alter in contrarias deſcenderet.

LICINIVS iunior Licinii filius erat & Conſtantiæ. menſibus viginti natum Imperatorem & Cæſarem fecit Conſtantinus M. pace cum patre ſancitâ. Egregius erat Iuuenis & optimæ indolis. Duodecimo ætatis anno Fauſtæ inſidiis interfectus eſt, eodem quo Criſpus. Nomina eius variant in nummis. Secundus enim ſic inſcriptus eſt D. N. VAL. LICIN. LICINIVS NOB. C. tertius LICINIVS IVN. NOB. CÆS. omnes autem ſunt integerrimi.

Typi auerſi filio dicati ſunt quos prius inter nummos Licinii patris vulgauimus. ROMAE AETERNAE primus dicatus eſt clypeo inſcribenti Vota quinquennalia, quæ Cæſaribus frequenter offerebantur. P. & R. ſiue Populi Romani exprimant ſiue Pecuniam Romæ percuſſam aut Romanam, nummum illuſtrant. VOTA autem vicennalia hiſce characteribus XX. deſignata ridicula ſunt in altero huius Principis nummo, cùm ille ætatis anno duodecimo interfectus fuerit, Monetarii fortaſſis auerſas partes Patris, filii nummis impreſſerunt. S. P. TR. fortaſſis indicant ſignatam fuiſſe hanc pecuniam ſeu monetam TREUERIS. IVPITER CONSERVATOR nil deſignat præter idololatriam, cui eô pertinacius inhærebant Licinii quô gratiores forent iis omnibus qui aut Conſtantino non fauebant, aut ab idolorum cultu ſemoueri nondum potuerant.

DELMATIVS Hannibaliani filius à patruo Conſtantino M. Cæſar dictus eſt & Conſul. In Meſopotamiam admodum iuuenis miſſus eſt, qui cum exercitu Perſas coerceret & à Romanarum regionum ditione arceret. In Cyprum deinde iuſſu Conſtantini nauigauit, qui Calocerum tyrannum expugnaret, quem deinde captum Tarſi Ciliciæ Conſtantino M. obtulit. Thraciam deinde, Macedoniam, Achaiam, ripamque Gothicam regendas habuit. Hoc mortuo imperauit aliquot menſes cum Conſtantino, Conſtante & Conſtantio, deinde *interfectus eſt, incertum quo ſuaſore*. Rem ſic narrat Eutropius, *Dalmatius proſperrima indole neque patruo abſimilis*, is erat Conſtantinus Magnus, *non multo poſt oppreſſus eſt, factione militari & Conſtantio patruele ſuo ſinente potius quam iubente*. Necis reum Euſebius Conſtantium facit. Illam autem cum patruo ſimilitudinem non modo ex moribus conſideres ſed ex vultu: ſola enim inſcriptionis diuerſitas Conſtantini nummos ac Delmatii diſcrepare facit, ſi ætatem excipias: hic enim magnos oculos, naſum aduncum, virilemque ac prorſus martialem faciem exhibet. Primus nummus poſt adeptam de Calocero victoriam in Cypro cuſus eſt. Sit ne labarum inter duos milites, aut vexillum ſolitum militare, incertum: nulla enim neque crucis neque Chriſti deſignatio: at in ſuperiori parte velata eſt, inquit Clariſſ. Triſtanus: ſuſpicetur cum illo quislibet: Rei tectæ & incertæ velum non detraham.

Victor. In Chronic.

FL. CL. HANNIBALIANVS Delmatii frater, Delmatii Hannibaliani filius erat. *Conſtantinus cum fratris ſui Delmatii filium fecit Cæſarem, eius fratrem Hannibalianum datâ ei Conſtantinâ filiâ ſua Regem Regum & Ponticarum gentium conſtituit,* inquit Autor anonymus Cappadociæ ſcilicet & Armeniæ. Ei plures regulos ſubiecerat minuendæ Perſicorum Regum gloriæ, qui ſe Reges Regum nominari iubebant: cuius exemplum ſubminiſtrat Cleopatræ nummus, tum ille Perſicus quem proximè in THESAVRO publici iuris faciam. Conſtantii artibus interfectum fuiſſe Hannibalianum vt fratrem Delmatium veriſimile eſt.

De geſtis Conſtant.

Fluuius iacens videtur Euphrates, quod ſit ille maximus in illis regionibus Hannibaliano ſubiectis. Characteres in infima nummuli parte deſignant Conſtantinopoli. OBSIGNATAM eſſe monetam autem debet intelligi per conſenſum Auguſti tunc temporis imperantis, nimirum Conſtantis.

FL. VALER. CONSTANTINVS filius fuit vnicus Constantii Chlori & Iul. Helenæ. Puer optimis imbutus litteris, militare cepit in Oriente cum Gal. Maximiano. Adolescens contra Sarmatas missus ducem ipsorum catenatum Galerio adduxit; quare Galerio suspectus insidias fugiens ad patrem peruenit. Eo mortuo regnum Galliarum, Hispaniarum & Cottiarum Alpium sibi testamento relictum accepit: Cæsar annis tribus in Galliis summa cum laude imperauit. Italiam à tyrannide Maxentii liberauit; eamque biennio cum vrbe pristinæ maiestati asseruit, inde primus Magni cognomen meruit & arcum triumphalem à Senatu. Ante Licinii cædem cum priuatus adhuc viueret, tres Cæsares fecit Crispum, Constantinum filium & Licinium iuniorem sororis suæ filium. Post bella ciuilia vicit Sarmatas & cum Gothis omnem Scythicam gentem. Byzantium instaurauit, illi Nouæ-Romæ & Constantinopoleos nomen tradens, ac illuc imperium transtulit. Lauacrum baptismatis in extremum tempus distulit, cupiens in Iordane baptizari. Senex Persis Mesopotamiam diripientibus bellum indixit: copiis coactis Sotiropolim petiit vt aquis calidis senile corpus foueret: pharmaco dato ministri venenum admiscuerunt, quod intrepidus hausit; paulo post in morbum incidit, quo tandem extinctus. Corpus Constantinopolim regiâ pompâ à filio Constantino deductum, & ibidem in templo XII. Apostolorum cum matre sepultum, anno ætatis LXVI. imperii XXXII. relictis filiis Constantino Constante & Constantio à quibus consecratus & in Diuorum numerum relatus.



Mirum videri poſſit Conſtantinum primum Imperatorem Chriſtianum Herculem ſui conſeruatorem primo nummo agnoſcere: at cum cuſus eſt nondum erat Chriſtianus: inſcriptio circum caput docet, hunc tantum Nobilem aut Nobiliſſimum Cæsarem demonſtrat. Deinde Herculeus dictus erat ob adoptatum patrem ſuum Conſtantium à Maximiano cognomine Herculeo: at Cl. Triſtanus ex Praxagora rem propiùs attigiſſe videtur his verbis: Παρὸν δέ φησι Μαξιμιανὸς ὁ τῆς κάτω Ασίας βασιλεύων εἰς ὀπιβυλὰς ὥρμησε τὸ νέῳ, ᾧ τοῦτος μάχῳ λέοντι ἀγρίᾳ καθίστησι τὸν νεανίαν. Ὁ δὲ τὸ μὲν ἥριον κρατήσας ἀνῆλε τῆς δὲ ὀπιβυλῆς ἀισθόμενος φεύγει τοῦτος τὸν πατέρα. Hoc eſt, *Dicunt Maximianum inferioris Aſiæ Dominum, iuueni* (Conſtantino) *ob inuidiam inſidias ſtruxiſſe, illumque ad debellandum leonem impuliſſe: quod ille fecit, belluamque occidit, at cognita inuidia ad patrem fugit* Conſtantium in paternum regnum reducto populi gratulantes hoc fortitudinis & generoſitatis facinus ſuis nummis conſignauerunt. Moneta deinde quam etiam ex auro alii viderunt, Treueris percuſſa inferiobus characteribus indicatur. Photius. 1.

Secundus Iouem celebrat, aut ſub habitu Iouis Diocletianum qui Iouis dictus erat: Infimi characteres id indicant, ſignata Moneta Alexandriæ. 2.

Tertius Martis effigie inſignitus eſt quæ eadem eſt ac Conſtantini. fortaſſis quod vterque in Thracia natus erat, ac ſemper victor. 3.

Quartus Conſtantinum Soli ſimilem reddit: an quia ille Imperator lætus erat & pulcherrimus? an quia victoriarum celeritate ipſius Solis curſum æquauerit: Interdum enim in nummis non capitis modo ſimilitudine pingitur, ſed toto corpore globum tenente, nempe quem irradiat. 4.

Quintus Iſidem ſtantem exhibet ſuo more ſiſtrum tenentem: Vota Publica Aegyptiorum hic demonſtrantur quibus ſua ſacra aut non immutari aut planè ſibi reddi ſperabant. omnes autem ii lentam deſignant religionis Chriſtianæ propagationem quam nonniſi paulatim receperunt gentes, Imperatore ſuo iam facto Chriſtiano. Idolorum & Deorum ſuorum imagines adhuc Conſtantino offerentes quemadmodum prioribus Principibus quibus ob Paganiſmum grata cenſebatur hæc ſignificatio. 5.

1. Egregii ſunt hi nummi, ſiue inſcriptiones ſpectes ſiue typos. VBIQVE VICTOR cernitur Conſtantinus ſtans inter duos captiuos. Eius victorias nemo neſcit. quare interpretatio nulla deſideratur.

2. In ſequenti procedit opima ſpolia ferens poſt debellatum hoſtem ſub calcati captiui repræſentatione. Nummum mirificè illuſtrat hæc inſcriptio antiqua, quam ex pluribus eiuſdem formæ autoritatis ſelegimus. Exſtat adhuc integra in arcu Conſtantini qui eſt in capite viæ Appiæ ad Amphitheatrum.

In eodem arcu ſub ſacrificiis inſculptis. VOTIS X. Item VOTIS XX.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS
MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO
TAM DE TYRANNO QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS
REMPVBLICAM VLTVS EST ARMIS
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM D. CAVIT.

In eodem arcu ſub ſacrificiis ſculptis. SIC. X. Item SIC. XX.

Intra fornicem maiorem eiusdem arcus legitur.

LIBERATORI VRBIS. FVNDATORI QVIETIS.

3. De CLARITATE iam dictum eſt in nummo Diocletiani pag. 442. At hic Conſtantinus cenſetur ipſe Claritas Reipublicæ: ad quod alludit Theodoretus cùm illum appellat *Maximum aſtrum* Μέγαν ἀστέρα. Propiùs Euſebius his verbis, *Porro impius hominibus è medio ſublatis & poteſtate tyrannica deleta* Maxentii nimirum & Licinii, *mundus de reliquo velut Solis claritate colluſtratus fuit*. Occurrit hæc eadem inſcriptio in pluribus aliis Imp. Rom. nummis. Gloria autem à Claritate in eo differt *Quòd gloria multorum iudicijs conſtat, Claritas bonorum*, inquit Seneca. Epiſt. 102.

4. Quarti nummi typum implet ara, cui noctua inſidet, clypeo à dextris, à ſiniſtris galeâ, ſceptro tranſuerſim poſito, cum inſcriptione pretioſiſſima, SAPIENTIA PRINCIPIS. Ad pietatem illa referuntur quæ ſumma inerat Conſtantino. Cæteras eius virtutes quæ ad Sapientiam

tiam reuocantur, ſic commemorat Panegyriſta, *Neque enim forma tantum in Te patris, Conſtantine, ſed etiam continentia, fortitudo, iuſtitia, prudentia, ſeſe votis gentium præſentant &c.* Nummum vidi aureum ſimili fere typo inſignitum cum hac inſcriptione SAPIENTIA. PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI. S. ARL. hoc eſt Signata ARELate in Gallia Narbonenſi: iuxta id quod legitur in *Notitia Imperii* PROCVRATOR MONETÆ ARELATENSIS.

Quintus Nummus apotheoſin refert Conſtantini in cœlum 5. rapti. An id paganiſmum non redoleat, non definiuit Baronius: Rudes adhuc iſthic temporibus Chriſtiani Imperatorem piiſſimum ſummis etiam honoribus venerabantur quem orbis pacatorem, pacis fundatorem, religionis aſſertorem nouerant. Coniectura eſt filios hunc ſibi quæſiuiſſe honorem per Parentis gloriam.

Alteros Conſtantini M. nummos exhibet hæc tabella. VOTA 1. Populi Romani decennalia cernuntur in primo nummo ob VICTORIAM LAETAM PRINCIPIS PERPETUI; ſupra Maxentium partam.

Omnibus hæc ſit læta dies, tua gaudia, Princeps,
Nullus agat triſtis.

Trophæum cum captiuis ad eamdem refertur, ſed cum epigraphe 2. militum virtutem bellicam celebrante. Interdum loco trophæi ſcalptum eſt Labarum cum votorum vicennalium deſignatione. De hoc in nummo Conſtantii dicetur. Conſtantinus autem nullam teſtandæ ſuæ erga ſanctiſſimam crucem pietatis occaſionem prætermittebat quam frequenter militaribus ſignis impoſuit, victoriæ partæ ſymbolum & futuræ indicium.

Nouam inſcriptionem profert tertius nummus; & inauditam 3. SARMATIAM nempe DEVICTAM. Commodus quidem in nummo ſuo triumphum erexit DE SARMATIS. Illorum autem regio vix illis temporibus erat cognita, quare nummus hic priori eſt illuſtrior. Autor anonymus ſcribit *Galerium pluribus periculis obieciſſe Conſtantinum: nam & in Sarmatia, cum hic iuuenis eſſet, ferocem Barbarum capillis tentis raptum ante pedes ſupplicem Galerii Imperatoris adduxerat.* Id ad nummum poteſt reuocari: Sed propius accedit illa memorabilis victoria quâ *Gothos atque Sarmatas, Thraciam diripientes profligauit,* XII. Kal. Mai. A. V. MLXXXIV.

De geſtis Conſtant.

4. PROVIDENTIAM AVGG. in muniendis ciuitatibus aut condendis thesauris, quartus nummus innuit: ad quid enim turris hæc seu quiduis aliud ædificium? De Constantinopoli quidam interpretantur tum à Constantino tum à Constantio ornatam. Suspicor nummum à filiis in Constantini parentis memoriam percussum: Augusti plures duplici GG. designantur. Stella super imposita apotheosin eius denotat: siue Constantinopolim cuius adhuc stemma est ab antiquis desumptum. Cernitur enim in nummo gentis PETRONIÆ, quod sibi etiamnum habent Turcæ. Hi quamuis barbari, antiquitatis & historiæ ignari, eruditionis vt & religionis Christianæ hostes illud retinuerunt indicandis victoriis, & imperii orientalis possessioni. Signatam Monetam Alexandriæ indicant imi characteres. Famil. Roman.

5. Quintus nummus indiget Oedipo. Victoria sedet lauream tenens captiuum calcans iuxta trophæum; res satis nota. sed quid indicant hæc verba CONSTANTINIANA DAFNE; an hæc pro laurea quæ se totam esse Constantini asserat? nummus absque dubio percussus est Constantinopoli.

FL. IVL. CRISPVS Constantini M. ex Mineruina filius, à Patre adhuc priuato Cæsar dictus est, cum Patre baptizatus est: optimæ indolis adolescens à Lactantio Firmiano instructus fuit; bellicis deinde artibus operam dedit: Francos & Germanos superauit: deinde felicissimè Licinii exercitum nauali prœlio profligauit. Tandem à Fausta nouerca delatus, quasi vim ei inferre tentasset, iussu Patris interfectus est, in Istria: *Frigore veneni sublatum* scribit Sidonius, æt. XXIV. Constantinus demùm cognitâ Faustæ fraude & libidine, eam calore balnei extingui iussit, filioque Crispo statuam erexit ex argento inaurato, quasi reparandæ iniuriæ & proprio leniendo dolori, cum hac inscriptione. Nicephoru. l. 7. Cedrenus. Collectanea antiqua [illegible]. Constant.

ΗΔΙΚΗΜΕΝΟϹ ΥΙΟϹ ΜΟΥ.

In Paneger. Constantini. Vota v. siue quinquennalia Cæsarvm Nostrorvm leguntur. in primo nummo, quorum frequenter mentionem facit Nazarius; hunc locum selegimus, *Quinquenniis igitur feliciter inchoatis, decennia Cæsarum nobilissimorum*, Crispi nempe & Constantini iunioris, *vltra posteros nostros extendenda, quam impensè rogare & orare nos conueniat, ipsis bonis temporum & Reipublicæ vtilitatibus admonemur.*

Alter vota decennalia designat & Virtvtem Exercitvs cuius ope Gallicum & Germanicum bellum imperante Crispo confectum est. 2.

Tertius & quartus Votis xx. siue Vicennalibus inscripti sunt. eminet quartus ob Crispi appositum secundum consulatum his 3. characteribus, Crispvs Nobilis. Cæsar Cos. ii. 4.

Alamannia Devicta legitur in quinto nummo, quæ vt ex 5. superioribus nummis patet, Germania dicebatur. Alamanniam putarem Germaniæ partem. Illam repræsentat captiuus ad pedes Victoriæ vinctus, trophæum & palmam gerentis. *Gallos & Germanos*

De Vita Constantini *in suam potestatem redegisse* Constantium scribit Praxagoras, quos ex-

In Panegyr. Constantini. presse nominat Nazarius his verbis, *Quid memorem Bructeros, quid Chamaros, quid Cheruscos, Vangionas, Alamannos, Tubantes? innumeræ simul gentes ad bellum coactæ, sed vno impetu tuo fusæ, dum collatiuam vim comparant, compendiosam Victoriam præstiterunt.* Honos etiam Victoriæ datus est Crispo Constantinoque iuniori tunc Cæsaribus:

Id. ibid. *quorum alter iam obterendis hostibus grauis, terrorem paternum, quo semper barbaria omnis,* Gallia & Germania intelligitur, *intremuit, deriuare ad suum nomen cœpit.*

Porphyrius. —— —— *Sed Crispi in fortia vires*
Non dubiæ ripas, Rhenum Rhodanumque tueri
Vlteriora parant, & Francis tristia iura.



Fl. Maximiana Favsta Gal. Maximiani ex Eutropia filia fuit vxor altera Constantini M. hac impellente veterum opinionibus hæsit, & Diis sacrificauit aliquando Constantinus, erat enim ethnica. Eius fraude Crispus priuignus interfectus est, sed post aliquot annos cognita causa à Constantino quem Helena mater dolore nimio nepotis increparat, in balneas ardentes coniecta necata est. Sex liberos suscepit tres filios totidem filias: de his infra.

Spes Reipvblicæ indicatur ex Constantini Faustæque liberis, imperii hæredibus. Infimi characteres fortassis id indicant, Sacra Moneta Treueris Percussa.

FL. CL. CONSTANTINVS in nummis vt in inſcriptionibus IVNIOR dictus, filius erat primogenitus Conſtantini M. & Fauſtæ, Arelate natus. Decimo ætatis anno Cæſar à Patre dictus eſt. Auguſtus cum fratribus, appellatus mortuo Conſtantino: diuiſum tunc inter illos imperium fuit; Conſtantino obtigit Gallia, Hiſpania, Alpes Cottiæ, Britannia, Hibernia, Thule; vno verbo omnia trans alpes: Conſtantio à freto Propontidis, Aſia atque Oriens. Conſtanti Illyricum, Italia, Africa, Dalmatia, Thracia, Macedonia, Achaia: Sublatis æmulis & inimicis Delmatio, Hannibaliano & aliis, Conſtantinus ditionibus ſuis non contentus, ob Italiæ Africæque ius cum fratre Conſtante diſſentire cœpit, exercitumque duxit in Italiam ſed victus & interemptus eſt: cadauer in fluuium Alſam proiectum, non procul ab Aquileia. Vixit annis XXV. regnauit III. Princeps fuit piiſſimus, qui S. Athanaſium Treuiris quo exulatus fuerat Alexandriam cuius erat Epiſcopus, remiſit.

DD. NN.
CONSTANTINO ET
CONSTANTIO
BB. BEATISSIMIS
QVE CAES.
R.P. EP.

Plures exponit nummos hæc tabella quos pares iam vidimus Crispo dicatos. Ambo filii Constantini Magni, ambo Cæsares simul dicti, similibus gaudebant honoribus. Certum est iisdem temporibus cusos, in iisdem vrbibus, ne dicam ab iisdem artificibus. Excepta enim facie & nominum diuersitate, auersæ partes vtrique conueniunt: quæ iam explicatæ fuerunt cùm de Crispo egimus. BEATA TRANQVILLITAS quæ in quarto nummo legitur, summam in terris pacem denotat, summumque post tot bella totque labores quietem, Reuocari potest ad æternam illam beatitudinem quam iam in hac vita degustare videbatur Constantinus tanta præditus pietate, tantis virtutibus ornatus. *Hos existimo beatos*, inquit Cicero, *qui sunt in bonis nullo adiuncto malo*: quod cœlo receptis tantum contingit. Illa autem firma in Cebetis tabula & lapidi quadrato, imposita non rotundo, quo tutius staret. Ἕστηκε, ἢ οὐκ ἐπὶ στρογγύλου λίθου, ἀλλ' ἐπὶ τετραγώνου. Porphyrius sic laudat Constantinum hunc iuniorem:

In Panegyr.

Lib. 5. Tusculan.

Constantinus item, laus orbis, gloria sæcli,
Romuleum sidus, lux clemens, inclita fratrum
Nobilitas, proauis verum & memorabile fama
Restituit victor Cæsar, nomenque decusque.



FL. IVL. CONSTANS tertius Conſtantini Magni filius & Fauſtæ, à Patre Cæſar nuncupatus eſt, ætatis an. XIV. Poſt tres annos Auguſtus dictus imperauit cum fratribus: huic Italia, Africa, Illyricum, Dalmatia, Macedonia, Achaia, Peloponneſus & Græcia ceſſit. Cæſo fratre Conſtantino occupat eius hæreditatem, Galliam Alpibus ſuperatis intra biennium redegit. Dolo tandem Magnentii imperium ambientis circumuentus dormiens intra tentorium occiſus eſt Elnæ propè Pyrenæos montes: Rem aliter narrat Aur. Victor. *Conſtans*, inquit, *venandi cupidine ductus dum per ſiluas ſaltusque erraret, conſpirauere aliquanti milites in eius necem autoribus Chreſio, & Marcellino ſimulque Magnentio, qui vbi patrandi negotii dies placuit & Marcellinus natalem filii ſimulans, pleroſque ad cœnam rogat, itaque in multam noctem celebrato conuiuio, Magnentius quaſi ad ventris ſecreta ſecedens habitum venerabilem capit; ea re cognita Conſtans fugere conatus apud Helenam interficitur.* Vixit annos XXX. regnauit XIII. Fortunatus ille fuit cœli temperie, fructuum prouentu, nulla à Barbaris formidine.



GLORIA EXERCITVS quæ in primo tabellæ nummo picta est, ad militum fortitudinem refertur, aut ad diuinum Christi nomen in Labaro signatum, vtrique enim conuenire potest, post deuictos Barbaros & præcipuè Francos: cuius hoc est monumentum. 1.

Sequentes quatuor eamdem habent inscriptionem sed typos diuersos. FELIX TEMPORUM REPARATIO Phœnice repræsentatur se ipsum post mortem reparante. De ea sic Orus Apollo, quòd ad rem nostram facit, *Instaurationem quæ post multa fiat sæcula, volentes indicare, Phœnicem auem pingunt.* Plura leguntur de hac fabula apud Antiquos. 2. 3.

Hic quæ donari mentitur fama Sabæis
Cinnama nascuntur, viuax quæ colligit ales,
Natali cum fine perit, nidoque perusto
Succedens, sibimet quæsita morte resurgit.

Auitus de Origine mundi. lib. 1.

Quartus iterum Phœnicem exhibet orbi impositum quem dextrâ tenet Imperator stans in naui, labarum sinistrâ tenens, Victoriâ in puppi sedente temonem gubernante, quæ omnia referri videntur ad immortalitatem Flauiæ Gentis seu Constantinianæ, & ad religionem Christianam quam Constantinus M. propagauerat, filiique omni cultu prosequebantur. Posset etiam reuocari ad expeditionem Britannicam quam Constans feliciſſime susceperit. Illius facit mentionem Iul. Firmicus Maternus sic Constantium Constantemque alloquens, *Viciſtis hostes; propagaſtis imperium, & vt virtutibus vestris maior gloria accederet, mutato temporum ordine, hieme (quod nec factum est aliquando nec fiet) tumentes ac sæuientes vndas calcaſtis Oceani Britannici sub remis vestris incogniti, iam nobis penè maris vnda contremuit, & inſperatam Imperatoris faciem Britannus expauit. Quid amplius vultis? virtutibus vestris victa elementa cesserunt.* 4.

De mysteriis & err. profan. religion.

Quintus eamdem celebrat FELICEM TEMPORUM REPARATIONEM sed typo, admodum obscuro. Videtur Imperator armatus puerum ex antro ducere, siue tranquillitati temporum indicandæ, siue fortassis Christianum libertati designandæ, qui superioribus temporibus Diocletiani scilicet & Maximiani, solitudines sibi securiores arbitrabantur. Ii fortassis reducti videntur ope Christiani & optimi Imperatoris, sicque tempora feliciter reparata. 5.

MAGNENTIVS



MAGNENTIVS à Magno patre nomen ducens, ex Gallia ortus fuit, barbaris parentibus ſcilicet Britannis, militiæ peritus. Barbaros ſæpe vicerat, præerat enim Iouianæ & Herculianæ legionibus quas inſtituerant Impp. Diocletianus & Herculianus. Conſtans eximius cœtera Princeps venationibus vt plurimùm intentus, occaſionem illi dedit arripere imperium. Purpuram poſt conuiuium Auguſtodani ſumpſit ſtatimque ſicarios miſit qui Conſtantem interficerent; quo facto ei omnes ceſſere prouinciæ Conſtanti pridem parentes, Gallia, Britannia, Hiſpania, Africa, Sicilia, ipſa denique Roma. Poſt plures cum Conſtantio pugnas, ab eo ſuperatus eſt & ne viuus in hoſtium poteſtatem traderetur, matre & charis ſuis necatis ſeipſum transfoſſo latere interfecit, anno æt. L. imperii v. Illi poſt profligatum Nepotianum columna Romæ erecta eſt cum hoc ſcripto.

LIBERATORI VRBIS ET ORBIS ROMANI
RESTITVTORI LIBERTATIS
ET REIPVBLICAE CONSERVATORI MILITVM
PROVINCIALIVM
D. N. MAGNENTIO INVICTO PRINCIPI.

Veriſimile eſt iiſdem temporibus hunc nummum ſignatum fuiſſe, cum Victoriæ mentionem faciat, ob quam ſupra VOTA quinquennalia etiam multiplicata erant decennalia.



DECENTIVS frater erat Magnentii à quo Cæſar Mediolani dictus eſt: FORTISSIMVS appellatus eſt vt ex nummorum inſcriptione patet. Miſſus trans Alpes ad tuendas Gallias, audito fratris caſu, ſibi metuens laqueo apud Senonas vitam finiit. nonne hoc eſt mori propter mortis metum.

Auerſus nummus inſigne Chriſtianorum ſymbolum refert, de quo in Conſtantii nummo dicetur: Arguit id Decentium fuiſſe Chriſtianum vt & Magnentium, in cuius nummis pariter ſignatum eſt. Alpha & Omega eiuſdem ſunt argumenti. Apocal. cap. 1. v. 22. *Ego ſum*, inquit Chriſtus A. & Ω. *principium & finis, primus & nouiſſimus.* Inſcriptio ſatis per ſe nota eſt, SALVS Dominorum Noſtrorum AVGVSTORVM ET CAESARVM in ſigno crucis poſita eſſe cenſetur. Nummus TREVERIS Percuſſus eſt. In illis regionibus Decentius nomine fratris Magnentii ſummæ rerum præpoſitus erat.

FL. IVL. CONSTANTIVS Conſtantini Magni & Fauſtæ ſecundus erat filius, malè tertium Occo ſcribit. Orientem, diuiſo inter fratres imperio, ſortitus eſt. Morte Conſtantis intellectâ, eam vlturus Gallum patruelem Cæſarem fecit & Orienti præfecit. Magnentium memorabili prœlio fudit ad Murciam, quò Romani imperii vires pene concidêre, deſideratis vtrinque LIII. millibus. Illum circa Lugdunum bellum reparantem iterum vicit. Gallum Cæſarem ferocientem & inſolentem interfecit, tyrannos vbique oppreſſit: Contra Perſas infeliciter conflixiſſe ſcribunt multi, plures feliciter. Romam cum Ormiſda Regis Perſarum filio rediit. Julianum Galli fratrem Cæſarem fecit, ſorore ſuâ Helenâ ei in matrimonium traditâ, qui Imperator ab exercitu appellatus eſt. Conſtantius aduerſus Julianum exercitum mittit, ſed febre ardente ex impatientia & indignatione contractâ Mopſueſtiæ deceſſit, anno æt. XLI. imperii XXV. Placidus erat, clemenſque pro negotio: litterarum ad elegantiam prudens, atque orandi genere leni iucundoque: laboris patiens ac deſtinandi ſagittas mirè promptus: cibi, omnis libidinis, atque omnium cupidinum victor: gnarus vitâ bonorum Principum Reipublicæ quietem regi.



GLORIAM EXERCITVS ſibi quiſque ex tribus Conſtantini Magni filiis vindicabat, vt conſtat ex eorum nummis pari typo, pari inſcriptione ſignatis. FELICEM etiam TEMPORVM REPARATIONEM tum ob profligatos hoſtes tum etiam ob Chriſtianam religionem promulgatam. Eius indicium eſt X. & P. vnum veluti characterem efficientes in labaro ſignati. De eo in ſequentis tabellæ interpretatione dicemus. SIS. quod frequenter occurrit in iſtius temporis numiſmatibus, ad Sisciam reuocatur Pannoniæ vrbem in qua erat officina monetaria: quare in Notitia Imperii mentio facta eſt *Procuratoris monetæ Siſcianæ.*



CONSTANTIVS Conſtantini M. filius hunc nummum fieri fecit, in quo Victoriam quæ Imperatorem coronat comitatur ſuperbiſſima epigraphe, & quæ ad religionis Chriſtianæ fundamenta illuſtranda plurimùm confert. Tenet ille Labarum ſeu vexillum militare, de quo nunc dicendum eſt. Characteres ☧ in eius medio erant collocati, vt qui prius vel aquilas vel Imperatorum imagines adorare non dedignabantur, etiam flexis genubus ii diuinum Chriſti nomen quod illis ſignificabatur, omni honore & reuerentia proſequerentur. Percipiuntur etiam iſti in Paganorum nummis, veluti Ptolemæi Ægypti Regis, at hoc nihil ad rem noſtram facit; Ægyptii enim & deinde Iudæi ſuos Reges, Χριστὸς nominauere, quaſi vnctos oleo, nec prius illi renuntiabantur Reges, quam oleo ipſa prophetarum manu perfuſi eſſent: quod etiam ſacræ litteræ confirmant, *Faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid*, & alibi, *non mittam manum in Chriſtum Domini*, hoc eſt, vnctum. Id ab antiquis Chriſtianis obſeruatum eſt. *Jeſus inter homines nominatur, nam Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis & regni: ſic enim Iudæi ſuos Reges appellabant.*

Pſalm. 15. 1. Reg. 24.

Lactantius de vera ſap. l. 4. c. 7.

Quamuis

Quamuis autem characteres illi ante Constantinum Magnum à Christianis fuerint vsurpati in sigillandis epistolis & monumentis, certum est eos in vsum non venisse frequentissimum nisi ab eius temporibus, quibus fuit excogitatum Labarum. Nam cum ille Maxentium aggressurus esset, *ambigenti & animo anxio ob ista, figura ei crucis media die stellis effecta apparuit in cœlo, cum scriptura circa eam Romanis litteris* IN HOC VINCE. *Igitur ex auro statim subitario opere efformans crucem, juxta speciem quæ apparuisset, & hanc jubens prægredi exercitum, cum Maxentianis prœlium commisit & superauit.* In quibus notandum Zonaram Græcum Historicum scripsisse ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ quod siue *in hoc*, siue *in hoc signo* potest traduci. hæc sunt eius verba: Ἀγωνιῶντι δὲ ταῦτα, τύπος αὐτῷ σταυρικὸς μεσούσης ἡμέρας δι' ἀστέρων ἐφάνη κατ' οὐρανὸν, καὶ γραφὴ περὶ τὸν σταυρὸν Ῥωμαϊκοῖς στοιχείοις, ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ. ἐκ χρυσοῦ τοίνυν αὐτίκα σχεδιάσας σταυρὸν κατὰ τὸν φανέντα τύπον αὐτῷ, καὶ τοῦτον κελεύσας στρατιᾶς αὐτοῦ προπορεύεσθαι, τοῖς τοῦ Μαξεντίου συῤῥήγνυται καὶ ὑπερτερεῖ. Rem fusius sic declarat Eusebius: *Ille*, Constantinus scilicet, *simul atque dies illuxit surgens primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus qui aurum & lapides preciosos affabrè scalpere norant, auditis, medio inter illos loco assidet; verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus imitatione adumbrari mandat: quam quidem effigiem contigit ut nos olim oculis contemplaremur: Ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est, erat autem tali figura fabricata: Hastile oblongum, erectumque auro vndique obductum fuit, quod cornu habuit transuersum ad formam Crucis constructum, supra in fastigio eius operis corona affixa lapidibus pretiosis, & auro polito circumtecta. In ea salutaris appellationis Saluatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est è duabus primis litteris nominis Christi erat* P. *in medio litteræ* X, *curiosè & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicuè significarent, quas quidem litteras deinceps semper Imperator in galea gestare consueuit &c. Oblongum vero & erectum hastile in sublime appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsum Crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias, auream Imperatoris pariter ac liberorum suorum effigiem ad pectus usque concinnè descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator tanquam hostilis cuiusque & infestæ violentiæ propugnaculo semper vsus est, cuius expressæ similitudinis mandauit, vt vniuersum exercitum perpetuò antecederent, &c.*

Zonaras in Constant.

In vita Constantin. l. 1. c. 24. 25. 26.

Frequenter eius mentionem facit primus Poeta Christianus:

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis. & alibi:
—— —— —— *prima hasta Draconis*
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimiter effert.

Prudentius lib. 1 contra Symmachũ

Lib. 2

Tom. 3. ann. 312. c. 23.

In hoc autem illud obſeruandum, inquit Baronius, *mira concinnitate iiſdem elementis exprimi ſimul Chriſti nomen & crucis ſignum, vt crux in Chriſto & Chriſtus in cruce monſtratur: Per X. enim Crux licet tranſuerſa notatur, quam in rectam lineam alii diducebant.* Sed ne ab antiquis recedamus in re tanti momenti, Euſebium iterum dicentem audiamus. *At Conſtantinus*, inquit, *vtpote pietate in Deum, tanquam naturaliter menti inſita imbutus, non applauſu illo populari, & ſtrepitu inſolenter ſe iactans, non laudum elatus præconio, ſed præſidii à Deo allati admodum conſcius, extemplo preces cum gratiarum actione auctori victoriæ impertit, atque illuſtribus inſcriptionibus, columelliſque erectis omnibus hominibus ſalutaris Chriſti ſigni virtutem promulgauit. Inque vrbe media quæ præ cæteris principem locum facile obtinet, ingens iſtud trophæum contra hoſtes erexit, & hoc ſalutare ſignum characteribus qui nullo modo deleri poterant, in eo inſculptis, Romanorum aliorumque eiusdem Imperio ſubiectorum propugnaculum eſſe demonſtrauit, palamq; omnibus propoſuit, ad intuendum. At ſtatim vbi erectum haſtile ad formam Crucis in manum propriæ imaginis in ſtatua expreſſæ inſertum Romæ in loco celebri ac multum à populo frequentato locatum fuit, hanc inſcriptionem latino ſermone eò mandat incidere.*

in vita Conſtant. lib. 33.



Poſterioribus temporibus tantus fuit erga illius crucis ſignum cultus vt omni religione illud omnes ſint venerati, crucem etiam cui affixus fuerat Salvator mundi Chriſtus, adorauerint: Illam nominat Calliſtus

In homil. De Cruce.

Angelorum gloriam, Regum victoriam & Martyrum inuictum clipeum: Ἀγγέλων δόξα ὁ σταυρός, βασιλέων νίκη, μαρτύρων ἀήττητον ὅπλον: quod plurimos nummos explicat, in quibus crux typum obtinet cum hac inſcriptione VICTORIA AVGG. Ad id refertur clamor ille militaris ante pugnam effundi ſolitus: σταυρὸς νενίκηκε, *Crux vicit*, & Νικητήριον τὸ σταυρόν, *victoria Crucis.* Quare Theodoſius ad pugnam contra Eugenium Tyrannum

Cedrenus Imp. Leo De apparatu belli co cap. 12.

ſe

se accingens, *sciens se esse non solum signo crucis tuendum sed & victoriam adepturum, signo crucis se muniens, signum victoriæ dedit, ac signo crucis signum prœlio dedit, ac se in bellum etiamsi nemo sequeretur, victor futurus, immisit.* Vetatur in Iustinianeo Codice *signum Salvatoris Christi humi vel in silice insculpi.* Idque summæ venerationis ergo. Orosius lib. 7. c. 35.

Nunc ad id quod Constantium attinet deueniamus. Is fortissimus Imperator fuit, Tyrannorum debellator VICTOR OMNIVM GENTIVM & GAVDIVM POPVLI ROMANI, quod ex eius nummis argenteis probatur. Is summè Parentem dilexit, Themist Orat. propter eum & *Constantinopolim variè ornauit*: Symbolum eius Julian Orat. 2. semper sibi habuit: Constantinus enim *in figurationibus solidorum & imaginibus propriis signum crucis jussit inscribi.* Quod Histor. Tripart. Sozomenus quoque asserit his verbis: πλαττομένῳ τε ἐν νομίσμασι, καὶ εἰκόσι γραφομένῳ, ἐκέλευσεν ἀεὶ συγγράφεσθαι καὶ συντυποῦσθαι τοῦτο τὸ θεῖον σύμβολον· καὶ μαρτυροῦσιν εἰς ἔτι νῦν εἰκόνες αὐτοῦ ἐπὶ τούτου οὖσαι τοῦ σχήματος: hoc est, *Impresso autem sibi in nummis aut picto in imaginibus, iussit semper adpingi istud diuinum symbolum*, & testantur etiamnum quæ in eo schemate exstant. Id præstitit eius filius hic noster Constantius. Quamuis enim inscriptionem illam alteram fuisse fere omnes censent ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, l. 1. c. 6. Paul. Diac. lib. XI. compertum habeo tum ex Philostorgo, tum ex hoc nummo, eam Ant. Au... dialog. ... latinam fuisse: Sed qualem, alii enim sic sunt interpretati, HOC SIGNO VICTOR ERIS, alii IN HOC VINCE: At nummus is quidem integerrimus, certè ita legitur IN HOC SIGNO VICTOR ERIS.

Id autem tanti fecit vt tum in galea tum in pectore semper habuerit, sicuti testantur eius imagines & in nummis & in lapidibus Victor Hist. tripart. ... sculptæ, *Vetus deinde veterrimumque supplicium patibulorum & cruribus suffringendis primus remouit.* Idem Cassiodorus scripsit, *supplicium crucis quod primitus apud Romanos erat in vsu, lege prohibuit.*

Quis itaque nunc audebit rem adeo illustrem in dubium reuocare, quam tot Authores ita præcisè affirmant, & describunt nummusque procul dubio antiquus & primis illis temporibus cusus? Sane id nonnisi à Christianæ veritatis hostibus & ignarissimis hominibus negari potest.





FLAVIVS CLAVDIVS IVLIANVS Constantinopoli natus est patre Constantio Constantini Magni fratre, matre Basilina nobilissima fœmina. Formâ fuit liberali ingenioque & ad litteras & ad arma capessenda satis accommodato. Vir erat staturâ exiguâ & gracili, maiestate conspicuus, similis existimatus Tito, belli successibus Traiano, moderatione M. Aurelio, litterarum studio magnis Philosophis. Noctibus vigilans conscribebat libros & descendens in Senatu publicè recitabat: Solus enim Imperatorum à Julio Cæsare in curia Senatus recitauit orationes. Honorabat disciplinarum cultores, maximè philosophantes. Habebat autem plurimum vanæ gloriæ vitium & in oratione quam *de Cæsaribus* scripserat, cunctos ante se Principes lacerauit. Ab Eusebio Episcopo Nicomediæ in Christiana doctrina institutus palam Christum confessus est, deinde eius fidem deseruit & idolis seruiit. A Constantio Constantini M. filio Cæsar factus est. Is Galliis præpositus in campis Argentoratensibus cum paucis militibus infinitas hostium copias deleuit, Regesque cepit Chonodomarium & Badomarium. Re benè gesta, hostibus sæpe profligatis, vltraque Rhenum coactis, à militibus Parisiis Imperator & Augustus salutatus est. Christianos impio odio insectatus est; ab eorum tamen sanguine abstinuit. Constantio mortuo, adeptoque toto imperio, Persis bellum indixit, traiectoque Euphrate & ponte reuulso ne militibus redeundi via daretur, ad hostes peruenit, commissâ pugnâ acceptoque vulnere lethali, manu cruore repletâ in aerem sanguinem proiiciens, *Vicisti*, inquit, *tandem Galilæe, vicisti:*

Sanguine

ſanguine vacuus epotâ frigidâ interiit, anno ætatis XLII. cùm imperaſſet ſolus annum vnum & ſeptem menſes, & Cæſar fuiſſet annis ſeptem. Cadauer Tarſum perductum in ſuburbana villa ſepultum eſt.

Auerſum typum bos facit, cum duplici aſtro Orientem & Occidentem indicante: Etenim poſt Conſtantii mortem Julianus vtriuſque imperio potitus eſt. Conſtantinopoli percuſſum eſſe nummum docet inferior inſcriptio. Ad bouis interpretationem faciunt Amm. Marcellini verba, *Hoſtias ſanguine plurimo, aras crebritate nimia perfundebat, tauros aliquoties immolando centenos:* quod illum Chriſtianam pietatem deſeruiſſe ſatis probat. Inſcriptionem illuſtrat textus Victoris, *Audax erat plus quam Imperatorem decet: cui ſalus propria, cùm ſemper ad* SECVRITATEM *omnium, tum maximè in bello conſeruanda eſt.* Lib. 22. In Epitom.

Nummos hic habes quos Ægytii cudi curauerunt in honorem Juliani. Eum ſuæ ſuperſtitionis & idolorum cultus reſtitutorem cenſebant, quem Chriſtianam religionem odiſſe & ſpernere ſatis cognouerant. Pingitur is in Serapidis modum quem ſupra cæteros Deos venerabatur, capite interdum radiato, quo magis Solem demonſtraret, ei interdum modio ſuper impoſito, ne alienis à more notis careret. Iunctus eſt interdum Iſidi, quod concordiam coniugum innuit. Helena enim Juliani vxor in numiſmatibus antiquis ſub habitu Iſidis cernitur, vt mox dicemus. Se fortaſſis Deum ſub hac imagine pingebat, vxoremque Deam. *Cœlum enim & Terra iidem ſunt Dii qui Ægyptiis ſunt Serapis & Iſis,* inquit Varro. Auerſæ facies Nilum denotant circa cuius ripas præcipua erga Serapidem erat religio, Lib. de lingua lat.

vel Iſidem, vel Anubida. Caduceum ille tenet & ſiſtrum quo ſe indicaret Mercurio coniunctum. Commemoratur à Plutarcho EPM-ANOYBIΣ quaſi & Mercurius & Anubis. Sic Apuleius de Anubi, *Ibat tertius attollens palmam auro ſubtiliter foliatam, Mercurialem etiam caduceum.* Illorum dotibus Julianum pollere palam dicebant, cum is eſſet pius, doctus, eloquens, ingenioſus; ſagax & aſtutus ſupra priores Principes. VOTA PVBLICA in omnibus his nummis ſignata populorum odium erga Chriſtianam religionem teſtantur, ſeque felices teſtantium hunc Apoſtatam habere Imperatorem. De Iſide velo & naui, dicetur in nummo Helenæ.

Lib. 11. metamorph.

Currus ille à monſtris vectus ænigma nobis eſt quod feliciorem Oedipum requirit. Certè nummum vltrò commendant raritas & integritas.

Cæterum non mirum eſt Julianum interdum in nummis barbatum occurrere, interdum ſine barba. Qui enim Conſtantio ſeſe ſimilem fingeret, eius mores & conſuetudines ſervabat in rebus etiam leuiſſimis: Et deinde quò ſe inter veteres Heroas & Philoſophos annumerandum cenſeret, promiſſam aluit barbam, qualis in nummo ſcalpta eſt. Obſeruari debet quod globo quem Julianus tenet præ manibus non crux ſit impoſita, cum tamen id moris eſſet, ſed Victoria; cuius id eſſe argumentum veriſimile eſt quòd is à Chriſti fide receſſerit, & idolorum cultui addictus vnum ex illis ſemper ſecum habuerit, cuius fauorem ambiebat.

FL. MAXIMINIANA HELENA Constantini M. filia fuit & Faustæ. Juliano à Constantio fratre in vxorem data est, Cæsari tum dicto. Christianam eam fuisse probabile est: Ex partu mortua nullos reliquit liberos. Corpus eius Romam perlatum est & sepultum.

Hi nummi Helenæ ab idololatris dicati fuerunt sub Isidis habitu, quemadmodum Julianum instar sui Serapidis agnoscebant, qui stans in primo cernitur & Herm-Anubide capite canino significatur. De sistro & flore capiti imposito supra dictum est. FARIA inscribitur lenita voce quæ Paria dici debuit, sicuti Philippus pro Pilippus, & triumphus pro triumpus. Farrea à Tertulliano dicta est, *quod fortassis far aut farris vsum inuenerit*. Ab Iside Pharia Pharos Alexandrinum dictum est, quod priùs Paros dicebatur, sicuti ea Illyrici insula in mari Hadriatico à Parisiensibus Gallis ita nominata, qui Illyricum olim & Macedoniam domuerant. inde πόλις Παρισίων Λευκοτεκία apud antiquos legitur, Strabonem, Ptolemæum, Julianum Imperatorem. Hos ab Iside Paria nomen deduxisse verisimile est, cùm hæc apud eos præcipuè colebatur: docente etiam Zozimo Lutetiam in Germania collocans. Eam dictam fuisse *Fariseam ciuitatem* probat fragmentum D. Hilarii *de Ariminensi Synodo*, idque ob Isidem Fariam seu Cererem cuius permultas vidimus statuas antiquas & signa. Vna est etiamnum hodie templo D. Mariæ *de campis* imposita in Parisiensi suburbio, spicas tenens Cereris instar. Ad cuius habitus explicationem facit ille Eusebii textus: Φασὶ τοίνυν Αἰγύπτιον τὴν μὲν Ὄσιριν εἶ τὴν Διόνυσον, τὴν δὲ Ἶσιν τὴν Δημήτραν. hoc est, *Aiunt Ægyptij Osirim esse Bacchum, Isidem verò Cererem.* Confirmat id Herodotus his verbis, *Ceres autem Isis est.* Δημήτηρ δὲ Ἶσις. At supra cœteros Apuleius, apud quem ita de se Isis loquitur, *Me primigenii Phryges Pessinuntiam matrem nominant, me Eleusinii vetustam Deam Cererem.* Lapideam alteram eiusdem Isidis statuam Abbas sancti Germani è muro in quo antiquitùs erat collocata dimoueri curauit, ne in posterum mulierculæ & infimæ sortis homunciones ei genua flecterent, superstitioseque colerent. Cl. Tristani illas coniecturas firmat illa nauis quam pro clipeo & scuto sibi habet Parisiensis ciuitas. In ea enim Isidis nauigium repræsentatum arbitror, quod Ægyptii & Romani venerabantur, gratiam Isidi rependentes, quod vel nauibus ducendis prima vsa fuerit.

Apolog. cap. 16. Strabo l. 5. Plin. l. 5.

lib. 5.

lib. 2. cap. 1.







FL. VALENTINIANVS ex oppido Pannoniæ natus, post Iouiani mortem Niceæ ab exercitu Imperator appellatus est. Ipse magnanimus & rei militaris peritus, pius, iustus, robustus, egregio vultu, animo graui, ingenio solertissimus, sermone cultissimus. Sed auaritia notatus & quandoque immanis, trux & sanguinarius. Orthodoxus fuit, vim tamen nulli faciebat qui dissentiret in religione. Thraciâ expulit Gothos, Saxones ad officium redegit, Germaniam Theodosii auspiciis pacauit. Quadorum legationem latrocinia excusantem audiens subitâ irâ accensus, in morbum incidit, ex nimia scilicet vocis contentione arteriam rumpens & sanguinem effundens. Obiit ætatis anno LV. imperii XI.

Tres eius nummi interpretatione non indigent: ad Victorias referuntur quas contra Thraces, Sarmatas, Gothos & Saxones reportauit, VIRTVS EXERCITI in primo celebratur, per quem ad imperium euectus fuerat. Secundus trium Augustorum characteres habet, Valentiniani nimirum, Valentis eius fratris, & Gratiani filii, quos postremos ille imperii consortes fecerat.

GLORIA ROMANORVM indicatur frequenter Imperatore captiuo supplici manum imponente. Vt spectandum semper venit Labarum diuino charactere insignitum qui veram Romanorum gloriam efficiebat, deductis ad sacrosanctam religionem Paganorum mentibus.



FL. VALENS Valentiniani frater, ab eo collega imperii & Augustus designatus, bella gessit in Oriente. Procopium vicit & occidit, Christianus primùm, mox coniugis suasu Arrianus, grauissimam contra Orthodoxos persecutionem excitauit. Contra Scythas & Gothos pugnans ferociùs quam cautiùs in fuga vulneratus, atque in vile tugurium deportatus circa Hadrianopolim, igne a Gothis iniecto, etiam ignaris quid facerent, flamma absumptus est, anno ætatis L. Imperauit cum fratre annis XIV. solus III.

Typos nummorum similes habuit cum fratre, ex quibus vnum hîc exhibemus qui probet eum fuisse Christianum, cùm GLORIA ROMANORVM non tam ex Imperatore captiuum ducente exurgat quam ex Labaro in quo Saluatoris Christi symbolum pro temporum more impressum est.

FL. GRATIANVS Valentiniani ex Seuera filius Sirmii natus, litteris bene inſtitutus, Princeps religioſus & pius, patruo Valente defuncto, Aſiæ Libyæque regna ſuſcepit. Treueris Valentinianum iuniorem fratrem, Cæſarem & participem imperii declarat. Admodum iuuenis Alemannorum triginta millia in Gallias irrumpentium circa Argentoratum fudit. Theodoſium contra Gothos in Thraciam miſit, & re feliciter geſta, imperii conſortem fecit, tradito Oriente cum imperio Thraciæ. Dum otioſus exercitum ſuum negligens & Alanos fouens, Maximi inſidiis, qui ab exercitu Imperator factus eſt, circumuentus periit, circa Lugdunum ad Rhodanum, cum imperaſſet annos XV. nimirum cum Patre VIII. cum patruo Valente III. & cum Theodoſio IV. ætatis anno XXIX.

Veriſimile eſt ei nummos ſimiles dicatos eſſe ſicuti Valentiniano & Valenti: plures quippe nobis videre contigit ſimiles, etiam ex omni metallo. Duos hîc tantum appoſuimus quorum alter Chriſtianam religionem ab eo ſummoperè cultam fuiſſe probat, alter REIPUBLICÆ REPARATIONEM, quam laudabiliter quidem tunc temporis ambiebant Principes.

FL. VALENTINIANVS Iunior Valentiniani ex Iuſtina filius, frater Gratiani, ab eo poſt obitum patris conſors imperii factus eſt & in Italiam miſſus. Fratre dolo Maximi interfecto, in Illyrium confugit, inde in Orientem ad Theodoſium. Tandem reſtitutus cùm ex Italia in Gallias profectus dum Viennæ Allobrogum negligentius moraretur, fraude Arbogaſti Alanorum Prætecti, quem ad nimiam potentiam euexerat, nocte in cubiculo ſtrangulatus obiit. Vixit annos XXVI. imperauit XVI. Eius cadauer à ſororibus Arbogaſtis mercede redemptum, Mediolanum transmiſſum eſt & ſepulturæ mandatum.

Nummi typus idem eſt quem in Valentiniano patre & Valente & Gratiano vidimus ſupra. Labarum eorum cultum indicat, Chriſtianoſque fuiſſe ſatis declarat. De eo dictum eſt in Conſtantii nummo.



FL. Magnvs Maximvs Britannus ſe de Conſtantini ſtemmate oriundum ferebat. Vir in militari expeditione aduerſus Francos, Germanos, Gothos, aliosque Barbaros habita, fortis & ſtrenuus, quos terrore ſui tantum nomìnis domuit & ad præbenda vectigalia coëgit. Cœca dominandi libidine percitus, Gratianum optimum Principem per Andragatium interfici curauit, imperii titulos, maieſtatemque vſurpauit. Legatos ad Theodoſium miſit, qui illum compellerent ad pacem, vt potius collegam in imperio reciperet, quàm res ſuas aleæ belli committeret. Officiis non ſuccedentibus, & ſe morâ detrimentum paſſurum cogitans, in Italiam migrauit in qua ampliſſimam reportauit victoriam: Bis deinde à Theodoſio victus eſt & Aquileiæ obſeſſus, tandem à propriis militibus Theodoſio vinctus deditus eſt. Cum ille veniam daturus eſſe videretur, eum rurſus milites abſtraxerunt & necauerunt.

Hi nummi cuſi videntur poſt adeptam in Italia victoriam, quæ tertio nummo deſignatur. Reſpublica ab Imperatore gerente ſubleuata ac reparata videtur in altero. Tertius ad imitationem illius cuſus cenſetur quem Conſtantinus M. vulgauerat quò ſibi Magnus Maximus animos conciliaret renouatâ Conſtantini Magni memoriâ, ex cuius proſapia ſe genitum prædicabat.

FL. VICTOR Magni Maximi filius adhuc puer à Patre Cæſar factus eſt, & Galliis præpoſitus. Eum Auguſtum fuiſſe teſtantur nummi ex auro & argento quos vidimus. Cognita patris nece, à militibus Romanis & eorum Præfecto Arbogaſte interfectus eſt.

Eius nummi typus ſimilis ſcalptus eſt inter Parentis nummos, quem ideo cuſum ſuſpicamur profapiæ à Conſtantino Magno indicandæ, per quem maximam vterque ſibi deducebat gloriam.

FL. THEODOSIVS genere Hiſpanus Patre Theodoſio Magiſtro militum, ab Imp. Traiano ducebat originem; cui moribus, vultu & ſucceſſu rerum ſimilis fuit. Huic enim eminens fuit ſtatura, cæſaries magna, ingentes oculi, ſumma clementia, incredibilis pietas, rei militaris diſciplina: quibus, vt alter, Optimus Princeps dictus eſt. Ex Duce Mœſiæ, Magiſter militum à Gratiano, ac mox Auguſtus creatus eſt. Ingentibus prælijs Gothos ſuperauit illosque Thraciâ expulit, quare triumphans Conſtantinopolim ingreſſus eſt. Subactis vndique Tyrannis, Maximo, Victore, Eugenio, Arbogaſte, Reipublicæ adminiſtrationi animum adiecit, filiosque imperii conſortes faciens, Arcadium Orienti, Honorium Occidenti præfecit cum Conſulum nomine. Ex Galliis Conſtantinopolim remeans confectus ſenio, & fatigatus mole imperii, deceſſit Mediolani, ætatis anno LX. imperii XVII. Corpus eius Conſtantinopolim translatum, ibi ſepultum eſt cum cœteris Romanis Imperatoribus.

Vnum hîc tantum Theodoſii nummum ſcalpi curauimus, cùm illis temporibus pauci noui typi prodirent: Elegantiores in auro cudebantur qui ad noſtrum propoſitum non faciunt.

REPARATIO REIPVBLICAE tunc temporis prædicari poterat, cum extinctis Tyrannis tota imperii Maieſtas in vnum Theodoſium translata eſt, Principem, pium, beneficum, victorem, pacificum, optimum, vno verbo verè Chriſtianum.

AELIA FLACCILLA fuit Theodoſii prima vxor. Fæmina religioſiſſima, quæ multa pietatis exempla egenis exhibuit: Maritum admonebat ne benefactori ingratus foret. Huius matronæ caſtitas, pietas & beneficentia erga pauperes valde prædicantur, & inprimis hæc memoranda ſententia: *Imperio conuenit vt aurum id largiatur, ego vero manuum mearum opus pro imperio ipſo, ei qui id ſemel contulit, offero.* Deum ſignificabat quem omni cultu eſt ſemper proſequuta. Filios habuit Arcadium & Honorium, de quibus mox dicetur. Hos tamen alii dicunt exTheodoſio & Placidia natos. Scaliger.

Auerſam nummi partem reuocari poſſe ad Paganorum religionem non inficior: Salus enim ſtans Deam repræſentat, quæ tum à ſanis tum ab ægrotantibus celebrabatur: ab his quidem valetudinis recuperandæ gratia, ab illis conſeruandæ. Illam Chriſtianiſſimæ Auguſtæ mentem non fuiſſe cenſemus, niſi quæ voluerit veterem errorem pharmaco mederi, quod in nummo cernitur, Cruce nimirum Chriſtum ſymbolicè deſignante per X. & P. vt in Conſtantii nummo dictum eſt pag. 477. Sanè id piiſſimæ fæminæ conuenit, Paganorum religionem ad veram & ſalutiferam vnam ducenti. Abeſt ſerpens perpetuus Salutis comes, at Chriſti nomen eſt ſubſtitutum, qui Saluatoris vices obiuit in vtroque Teſtamento; in veteri quidem ſub ſerpentis habitu populum qui inſpexiſſet ſanantis: in novo, cum pro ſalute generis humani cruci adfixus eſt. Euang. S. Ioan. c. 3.

FL. ARCADIVS Theodosii filius à patre consors imperii factus Orienti præficitur, quem post Theodosii obitum, pro hæreditate sibi habuit; Tutor ei datus est Rufinus, qui spe potiundi imperii missis muneribus Alaricum Regem Gothorum contra Arcadium sollicitat, qui ad mare Hadriaticum venere, & Constantinopolim obsidere ausi sunt, sed comperta proditione ab Italicis militibus ab expeditione redeuntibus interficitur, & in frusta secatus est. Gainas deinde ciuile bellum mouit, & Arcadii res ad deplorationem vsque pepulit: tandem victus interemptus est. Arcadius pius erat Princeps & ex multis insidiis diuinâ veluti providentiâ liberatus. Obiit Byzantii, annos natus XXXI. cum Imperaasset XIII. anno V.C. 1160. à Christo nato 408. Filium habebat Theodosium ex Licinia Eudoxia, quem in cunis vagientem Augustum appellauit, & quatuor filias, Placidiam, Pulcheriam vxorem Marciani Imper. Arcadiam & Marinam.

Aversus nummus VOTA Quinquennalia designat, quæ solebant suscipi in uniuscuiusque Principis imperio. Hunc Paganorum morem, vt & plures alios, seruarunt Christiani.

FL. Honorivs Theodoſii filius Arcadii frater conſors imperii Occidenti præficitur, tutore Stilicone. Princeps religioſiſſimus diu imperauit ancipiti fortuna: Gildonem qui Africæ regnum inuaſerat, oppreſſit. Sveuos, Vandalos & Alemannos clam à Stilicone accerſitos donis pecuniiſque allectos vicit: eorum Regem Rhadagaiſum, qui cum ducentis Gothorum millibus in Italiam irruperat, cepit & ſtrangulari iuſſit. Ei ſuffectus Athalaricus, imperio potitus eſt, conceſsâ ſuis Galliâ ab Honorio, ad habitandum. A Stilicone vocatus eſt, qui omnem facinorum laudem perfidiæ crimine obliterauit: ille quamuis aliquando victus, in Italiam venit, Romam cepit & diripuit, Placidiam abduxit, quam Ataulfo propinquo ſuo in vxorem dedit. Spoliis onuſti Gothi ad ſuos Lares reverterunt: ſic Roma vrbium Regina capta primùm vaſtata eſt, anno V.C. 1162. Vandali Hiſpaniam diripuerunt Regemque in ea conſtituerunt Gundericum. Honorius Conſtantium Magiſtrum militiæ conſortem imperii accepit: is ingentis animi vir & in rebus gerendis clariſſimus, tyrannos Gratianum in Britannia, Conſtantinum cum filio Conſtante in Galliis ſuſtulit, Barbarorum impetus qui Gallias, Hiſpanias & Britanniam infeſtabant domuit, at immaturâ morte ſublatus eſt. Et paulo poſt Honorius aquâ inter cutem laborans, nulla ſuperſtite prole, ætatis anno XLIII. imperii XXXI.

Oroſ. lib. 7. cap. 37.

Signata eſt hæc moneta Conſtantinopoli, vt indicant infimi characteres. Gloria Romanorvm in eo ſtat, quæ paulo poſt iacuit, captâ à Gothis & vaſtatâ Româ.

FL. ANICIVS IVSTINVS Thrax à Senatu Imperator eſt electus qui labantem Rempublicam reſtitueret. Dicunt Anaſtaſium Imperatorem cùm Deum de reuelatione ſucceſſoris ſui rogaſſet, hoc tuliſſe reſponſum ; *Is qui die craſtino primus adeſſe nominatus fuerit, Tibi ſuccedat*, factum eſſe vt Anaſtaſio nondum cubiculum egreſſo primus adeſſe Iuſtinus nunciaretur. Inſidiatores tres ſuſtulit. Vir veræ pietatis ſtudioſus, Chalcedonenſe concilium inſtituit ; ex Oriente Arrianos expulit, Orthodoxos Epiſcopos ab Anaſtaſio eiectos recepit. Cùm novem annis magna virtute imperium adminiſtraſſet, Iuſtinianum ex ſorore nepotem adoptauit, & paulò poſt obiit, recrudeſcente vlcere quod in pugna quondam acceperat, æt. an. LXXVII. imperii IX. Princeps fuit ἀναλφάβητος, quod malè quidam tradunt de Iuſtiniano.

Egregius typus & inſolita inſcriptio cernuntur in nummo exiguo : Crux vice labari ab Imperatore tenetur, qui hîc per crucem ad religionis Chriſtianæ decus VICTOR dicitur.

